This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Soc 1726.35.5

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

BOUGHT FROM THE

AMEY RICHMOND SHELDON
FUND

MISCELLANEA
LIPSIENSIA
NOVA,

AD INCREMENTVM
SCIENTIARVM,
AB HIS,
QVI SVNT IN COLLIGENDIS
ERVDITORVM NOVIS
ACTIS
OCCVPATI,
PER PARTES PVBLICATA.

EDENDI CONSILIVM SVSCEPIT,
SVA NONNVLLA PASSIM ADDIDIT,
PRAEFATIONEM
PRAEMISIT,

FRIDER. OTTO MENCKENIVS,
PHIL. ET IVR. VTR. DOCTOR,
POT. POL. REGIS ET ELECT. SAX. CONSILIARIVS AVLAE,
VRBIS PATRIAE SENATOR, SOCIET. SCIENT. REG.
BORVSS. SODALIS.

VOLVMINIS SEXTI PARS PRIMA.

LIPSIAE,
IN OFFICINA HAEREDVM LANCKISIANORVM
MDCCXLVIII.

LSoc 1726.35.5

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY AUG 31 1943

Sheldon fund

Lectori
S. D.
FRID. OTTO MENCKENIVS.

Cum primum ad edenda hæc *Miſcellanea* animum applicarem, duo inprimis mihi fuere propoſita: primum, ut literarum, quantum fieri a me poſſet, commoda iuvarem; alterum, ut Lipſiæ meæ aliqua ex parte honori conſulerem. Quorum utrumque ſicut conſilio & inſtituto bonum putari poteſt, ita alterum ſatis feliciter poſſe perfici, ſi, neglectis his, quæ parum ad literas utilitatis haberent, ſelecta tantum & explicatu inprimis digna induſtriam noſtram argumenta occuparent, alterum non cariturum ſucceſſu, ſperavi, ſi, qui mecum in eadem urbe nati, educati, atque bonis literis inſtituti eſſent, plana hac & expedita, res ſuas exteris commendandi, via uterentur. Atque meis hiſce deſtinatis & optatis, nemini, ut arbitror, vituperandis, quam vellem, ipſe deinde eventus, & eorum, quos mihi in re non adeo moleſta, nec profecto indecora, ſocios & adiutores cupiebam, honeſtus labor, reſpondiſſet! De eo quidem, ſintne hæc, quæcunque Muſa noſtra per hoc ipſum, quod transegimus, quinquennium excudit, in numero aut excellenter & egregie, aut mediocriter & ex vulgari ratione, aut imperite prorſus & indocte, ſcriptorum habenda, nec mihi animus eſt iudicare, nec fortaſſe a me decet iudicari. Suum cuilibet lectori palatum, ſuum ingenium, ſuus ſenſus, eſt; nec, quod ſciam, ita quemquam ad hunc diem fortuna amavit, ut omnium, quicunque ſunt, lectorum plauſum tulerit. Id, velim, credas, Lector, &, non credere, iniquum fo-

ret,

ret, curam hanc mihi, ne incepti hujus operis aliquando pœnitere me deberet, ut bona & utilia hic legerentur, ut, quæ converterent in uſus ſuos, adulti magis & firmatæ doctrinæ homines, quam in literis tirones, invenirent, præcipuam fuiſſe. Sed, quantocunque ſtudio id ipſum egerim, ſi meum me aliquando judicium fefellit, ſi auctoritati, conſiliis, perſuaſionibus, eorum hominum, quos ego & ſoleo & debeo inprimis colere, ſi amicitiæ, quam fateor apud me plurimum valere, ſi præjudicatæ opinioni, plus interdum, quam veritati, a me datum eſt, egone affirmare auſim, laudem nobis de his, quæ officina noſtra exierunt, omnibus ac ſingulis deberi, nec ullas in opere tam longo, & Auctores tam varios, tam ætate, tam genere ſcribendi, tum ipſa eruditione, inter ſe diverſos, habente, maculas agnoſcam? Ridiculum id fuerit, nec, ſi quis liberalis ingenii homo eſt, ab hoc exſpectandum facile. Id bene ſciens, perfectionem humanis rebus nihil inveniri, & ſufficere hoc nobis ad laudem poteſt, ſi, feciſſe nos tantum, quantum potuit a nobis fieri, & ita nos fuiſſe in gerenda, quam nobis ipſi impoſuimus, perſona diligentes, appareat, ut, quæ collegimus in opere præſenti, magna ſui parte utilia poſſint & literis, & harum ſtudioſis, judicari. Sed illud inprimis aliqui mirantur, nec fortaſſe temere mirantur, cur, quæ *Lipſienſia* inſcripſimus, adeo vacua ſint civium meorum laboribus hæc *Miſcellanea*, ut, qui ſpectandum ſe exteris in publico hoc ingeniorum quaſi theatro dederit, vix illorum invenire unum & alterum liceat. De re ipſa dubitare non licet, quandoquidem hæc perquirenti *Miſcellaneorum* ſingula *Volumina* utique patet. Nec

mihi

mihi ipſi, quem ſtudioſiſſimum ſuæ laudis Lipſia habet, diſſimulare hoc licet, ſi nulla mihi aliunde, quam ab urbe patria, ſperanda ſubſidia fuiſſent, vix ultra *primam primi Voluminis Partem* proceſſurum, quicquid eſt huius operis, fuiſſe. Sed eius rei cauſas a me requirenti, id unum ſatis ſit reſponſi dari, a mea parte, qui ita neminem mihi inimicum puto, ſicut viciſſim amicus eſſe omnibus ſoleo, eſſe, quod ſciam, nullas, a parte autem civium meorum ſingi multas variasque poſſe, ſed a quibus libere hic explicandis tenerrimus me quidam amor patriæ, debitusque huic honor, retinet. Abundare Lipſiam, & a multis inde ſeculis ad hunc uſque diem floruiſſe, viris omni genere doctrinæ excellenter doctis, a quibus, ſi hoc impetrari a ſe patiantur, ut, quod poſſint, velint etiam, exſpectare non incrementa tantum literis, ſed hiſce etiam *Miſcellaneis* ornamenta, liceat, ſi mihi non credis, Lector, at conſtanti illi, & exteras dudum regiones pervagatæ, famæ crede. Hos igitur, aut horum ſaltem aliquos, pro ſuo ſive in literas animo, ſive amplificandæ famæ ſuæ ſtudio, haud mihi, ad opus in commune utile aggredienti, ſuam eſſe operam negaturos, hoc certius mihi videbar ſperare poſſe, quo maiorem ea res apud exteros commendationem ſtudii & doctrinæ haberet. Liberum enim hiſce *Miſcellaneis* ad remotiſſimas quasque gentes iter conceſſum, nec ulli unquam noſtrorum hominum Academico libello in ea pervenire loca contigiſſe, quæ noſtræ huic Muſæ liberale ac perpetuum præbere hoſpitium ſolent, ſi adhuc ignorarunt illi, iam demum certo ſibi a me perſuaderi patiantur. Ceterum, non aliter, ac ſi mea unius

res

res ageretur, quam eſſe prorſus omnium apparet, adeo me non puduit, quæ poteram fortaſſe iure quodam poſtulare, verbis humaniſſimis rogare, ut, ſi quem meá hæc non hortandi tantum, ſed precandi etiam & obteſtandi, conſuetudo literis afferre fructum poſſet, malevolorum etiam voces, emendicatas a me merces venditari criminantium, æquo animo ferendas duxerim. Illud autem, fateor, haud parum me afflixit, quod viderem, apud plurimos meorum civium plus valere aut ſuavioris otii oblectamenta, aut ſuæ gloriæ incuriam, aut facultatum, quas natura dedit, diffidentiam, aut neſcio quam animi moroſitatem, & aliorum conatibus quocunque modo officiendi libidinem, quam honeſtas *Menckenii* cuiusdam preces, ſpem ſecum honoris atque commodi certiſſimam ferentes. In quo dolore meo niſi illud mihi iucundiſſima ſolatia dediſſet, quod, quæ petenti mihi ab urbe patria negata eſſent, hæc ſponte, nec rogatæ unquam, regiones non finitimæ tantum, ſed paullo etiam remotiores, ſuppeditarent, vidiſſem mihi brevi tempore, horum curam *Miſcellaneorum* abiiciendi, atque adeo ſpem publicam deſtituendi, neceſſitatem impoſitam. Illi, inquam, exterorum hominum, in quibus & doctrina egregii, & fama clariſſimi, complures ſunt, de meis rebus, aut de communibus potius ſtudiis, optime merendi facilitati debere te, Lector, bona illa omnia, quæ tibi ſunt ex horum *Miſcellaneorum* lectione acquiſita, intelligis, nec, ſi, quod ſperamus, ſua honeſtiſſimi iidem homines promiſſa ſolvant, ullam in futurum etiam tempus, male timendi huic operi, aut de negligentius hic tractata literarum cauſa conquerendi, cauſam habebis.

✡ ✡ ✡

I.

IO. CHRISTOPH. HARENBERGII
HISTORIA CRITICA
ODÆ DAVIDICÆ
QVINTÆ.

Summa. *§.* I. *Tempus Odæ conſcriptæ.* II. *Hiſtoria & occaſio.* III. *Interpretatio Latina.* IV. *Diiudicatio interpretationis Græcæ Alexandrinæ.*

I.

Nomen *Davidis* legitur huic *Odæ* præfixum. Occaſio conſcriptionis, & hiſtoria *Odæ*, non ſignificatur in fronte, ut alias fieri ſolet. Elucent tamen ex *Oda* ipſa hinc inde documenta, e quibus de tempore conſcriptionis fieri poteſt iudicium. Tentorium enim Dei, eiusque ſedem ſacram, adire ſtuduit *David*, cum in eo fuit, ut *Odam* hanc adflatu Numinis ſibi propitii exprومeret, literisque mandaret. Ipſe tentorium ſacrum appellat הֵיכָל, *palatium Regis præpotentis*, & *domum* Numinis ſupremi, *verſ. 8.* Utramque denomi-

nationem pariter adhibuit de tentorio ſacro *Pſ. XXVII, 8*, eo tempore, quo templum Hieroſolymitanum nondum erat exſtructum. Et quid multa? *Hechal* proprio ſignificatu denotat *ſedem domumque Regis Dan. I, 4*. Nonne tentorium ſacrum referebat inter Iudæos ſedem domicilium que Dei? Hiſce præmiſſis, perpendenda ſunt illa *Davidis* verba *verſ. 8: Ego propter multitudinem benignitatis tuæ ingrediar domum tuam, proſtratus humi cultum venerationis præſtabo verſus palatium regium, tibi ſacratum, cum reverentia tui.* Palatium illud regium, illa Dei interior ſedes, eſt ipſum tentorii ſacri *adytum* interius, ſeu penetrale ſanctiſſimum, דביר alibi dictum, unde Græcum nomen, adytum, profluxit. Si ſingulorum momentorum rationem habemus, & ea ſub unum revocamus conſpectum, in illud temporis ſpatium incidimus, quo *David*, ut vitæ ſuæ parceret, a *Saule* profugerat, & ſacerdotes Nobitas lugebat, ab eodem *Saule* enecatos, *1 Sam. XXII, 11 ſeq.*

II. Dilucent omnino indicia ex *Oda* ipſa, quibus ad ſic ſentiendum adducimur. Pateſcit enim exinde,

1) *Davidem* a tentorio ſacro tunc vixiſſe disiunctum; ſperaſſe tamen, fore, ut ad illud rediret.

2) Ipſum animi admodum fuiſſe diſcruciatum, & ab inimicis circumſpectum.

3) Ipſum a mendacibus ac ſanguinolentis viris fuiſſe infeſtatum, *verſ. 7.*

4)

4) Ipſum abhorruiſſe a ſanguine innocentum profuſo, *verſ.* 7.

5) Ipſum inimicos, qui technas & fraudes ſpirabant, fuiſſe averſatum, *verſ.* 7.

6) Ipſum multitudine inimicorum, vitæ ipſius inſidiantium, laboraſſe, *verſ.* 9, 10, 11.

Cædis, in Nobitas ſacerdotes expromtæ, fax & adminiſter fuerat *Doeg*, ille mendax & technarum artifex ingenioſiſſimus, in aliorum perniciem verboſus, ac machinationibus plenus, *Pſ. LII*, 4, 5, 6. Cædis autor fuerat ipſe *Saulus*, qui cum ſuis non niſi exitium *Davidis* ſpirabat, &, conſcientiæ furiis circumactus, neminem non ad ſecum in familiam *Abimelechi* & Nobitas ſæviendum ac furendum impellebat. Hæc ſocietas, in perniciem inſontium præceps & profuſa, appellationibus variis deſignatur. Vocantur principes ac conſortes huius atrocitatis הוֹלְלִים, *furioſi*, פֹּעֲלֵי אָוֶן, *operantes iniquitati*, *verſ.* 6, ac דֹּבְרֵי כָזָב, *ſpirantes mendacium*, *verſ.* 7. Unus vero illorum, quaſi eximius & anteſignanus, dicitur אִישׁ דָּמִים, *vir ſanguinarius*, & *cædium patrandarum ſtudioſus*, nec non אִישׁ מִרְמָה, *vir fraudum & technarum architectus*. Ille fuit *Saulus*; hic vero *Doeg*. Cum *Doeg* aſſentatione & proditione ſua magnam a *Saulo* iniret gratiam; quis, obſecro, dubitabit, quin proceres aulicique quamplurimi exemplum nefariarum machinationum *Doegi* fuerint aſſectati? Conſultabant rationesque hi putabant ea mente, ut regnum, divinitus *Davidi* deſtinatum, foret

foret nullum, & ipſe *David* fato triſtiori prope-diem interciperetur *verſ. 11.* Et perfeciſſent conata, niſi gratia Dei inſtar clipei *Davidem* cinxiſſet ac texiſſet. Ad hunc igitur clipeum *David* fiducia plenus ſe recipit, non dubitans, ſe ſub hoc præſidio ab hoſtium deſtinationibus teliſque & inimicorum inſidiis fore immunem ac tutum, *verſ. 13.*

III. Succedat hiſce translatio nova Latina.

Verſ. 1. Præfecto muſices Oda tradenda, ut decantetur *ad monaulos. Oda a concentu muſicorum inſtrumentorum ordienda, Davidi* inſpirata, & divinitus ſuggeſta. בְּחִילוֹת יְיָ dicuntur, quaſi excavationes, canales, ac alvei, loca cava, per quæ aliquid promovetur. בְּחַל eſt *alveus, concavum*, illud, per quod aqua defluere poteſt. Solent inſtrumenta muſica retinere nomina prima, ſive ea ſint exotica, ſive domeſtica. Verbum חָלַל eſt *perforare, ac ad inſtrumenta perforata*, tibias fiſtulasque, *ſalire.* Inde profluxit בְּחָלָה, vel בְּחִילָה, *monaulion*, tibiæ ſpecies, *Pſalm. L, 1.* Nomen hoc alibi effertur per מַחֲלַת *Pſalm. LIII, 1.* Ex חָלִיל, *tibia*, eſt Græcorum αὐλὸς, tantundem ſignificans. *Monaulos*, ſeu *monaulion*, eſt fiſtula, quæ ſolitario ſono cantantem comitatur. *Iulius Pollux IV, 10, §. 1: Monaulus Ægyptiorum inventum eſt. Meminit huius in Thamyri Sophocles a). Maxime vero nuptiale car-*

a) Locum affert *Athenæus IV, 78, pag. 175*, edit. *Commelin. 1597, fol.*

carmen hac canitur. שִׁירֵי הַמַּעֲלוֹת vulgo exiſtimantur fuiſſe *cantica graduum.* At deſignantur per hanc appellationem *cantica, monaulis iuncta.* Monaulon Alexandrinis Ægypti fuiſſe in deliciis, auctor eſt *Athenæus Dipnoſoph. IV, 87, pag. 174.* Inſtrumentum hoc muſicum tanta fuit antiquitate, ut *Iuba Libro quarto hiſtoria theatralis* id ex Ægyptiorum teſtimonio contendat ab *Oſiride* inventum fuiſſe *b).* Succeſſu temporis monaulus dictus fuit χαλαμαύλη, id eſt, *fiſtula ex calamo,* Gallis *chalumeau,* noſtris *Schalmey.* Solebant monaulia ex calamo confieri, ſubmiſſam quaſi avium vocem reddere, nec præliis, ſed conviviis nuptiisque, adhiberi. Monauli erant paullo maiores, ſonique fortioris. Plagiauli vero, ſeu Photinges, obverſo in obliquum ore inflabantur. Galli has fiſtulas vocant *flutes traverſes,* noſtri *Queerflœten.* Quantum vero ad nomen *miſmor* attinet, eo Ebræi conſueverunt indicare carminis decantationem, cum inſtrumentis muſicis vel uno, vel pluribus, coniunctum.

Verſ. 2. Verba mea, quæ pronuntio, in aures admitte, Iehova! meditationem meam aſſiduam conſidera.

Verſ. 3. Attentam affer mentem ad ſonum vociferationis meæ, Rex mi & Numen meum. Omnino ad te, tanquam ad iudicem, preces meas converto. Ineſt voci הִתְפַּלֵּל aliquid ex notione iudicis. Nam פִּלֵּל idem eſt, quod *iudicium exercuit.*

b) *Athenæus Dipnoſoph. IV, 88, pag. 176.*

Nomen קוֹל eſt *ſonus fortior*, ſiquidem inſtrumentis muſicis ac tonitruis tribuitur.

Verſ. 4. *Iehova! mane eſt, exaudi ſonum meum vehementiorem (vocem), mane promtum me tibi paratumque ſiſtam, ac inſtar exploratoris attendam* nutui tuo.

Verſ. 5. *O rem triſtem ac deformem! Non tu es princeps ſupremus, improbitatem ardenter appetens, Non commoratur tecum malignus.* Deus non erat auctor machinationum ac ſcelerum, quibus *Davidem* homines erant enecaturi. Solebant Reges ac Principes tum nil gravius ſuſcipere, niſi oraculo accepto. *Saulus* in *Davidem* diriſſima moliebatur. Quis dubitabit, *Saulum* eo fine iactaſſe oracula, divinitus ſibi impertita? Huc ſpectat illud כִּי, periodo præmiſſum. כִּי hoc denotat *contractionem* frontis triſtem & acerbam. Contractus ac deformis vultus ſic appellatur *Eſ. III,* 24. Nomen id exſiliit ex כּהה, quod verbum capitur vel tranſitive, vel intranſitive. Priori modo id idem ſonat ac *contraxit in ſpatium anguſtius, reſtrinxit.* Poſteriori modo eſt ſignificatus ac poteſtas in eo *eundi in ſtrictius.* De *Eli* iudice traduntur hæc: לֹא כִּהָה בָּם, *non contraxit*, ſubaudi frontem, faciem, אפים, בם, *contra illos* filios ſuos immorigeros ac degeneres, 1 *Sam. III,* 13. Oculi, qui evaſerunt ſtrictiores, ac ideo ob exarentem humorem aqueum, criſtallinum, & vitreum, caligantes dicuntur כהות *verſ.* 2. Senectuti vitium hoc eſt familiare.

De

De *Moſe* dicitur *Deut.* *XXXIV*, 7: לֹא כָהֲתָה עֵינוֹ, *non factus eſt ſtrictior, ſeu tenebricoſior, oculus eius.* Conf. *XLII*, 4, *Iob. XVII*, 7. Eadem vox transfertur ob ſimilitudinem quandam ad animum obſcurum, minus lucidum, pavidum, ac deficientem, *Ezech. XXI*, 7. Nec non de iudicio reſtricto, ac in anguſtiora ſpatia repreſſo, quod haud ſit præſto, adhibetur *Eſ. XLII*, 4. Ad originem eandem referimus vocem כֵּהָה *Eſ. XLII*, 3, quæ contractionem ſuperficiei, ex deficiente humore exortam, deſignat. Conf. *Lev. XIII*, 39, 56, *Nah. III*, 19. כֵּהָה erat gradus primus lepræ adventuræ & receſſuræ, *Maimonide* teſte ad Miſchnicum libellum *de Lepris XI*, 5. Contractio eiusmodi ſolet oriri igne admoto, vel igneo fervore accedente. Inde Syris ܟܘܳܐ eſt *adußit, inußit, cauteria notavit*, 1 *Tim. IV*, 2. Arabibus eſt idem ſignificatus in verbo كوى. Inde eſt בְּבָא כַּוֵּי, *contractum parietis foramen*, quo lux in conclave immittitur, vox Syris Arabibusque peræque nota. *David* amovet a Deo oraculum, malignitati favens, ſanctitatis ac iuſtitiæ Dei memor.

Verſ. 6. *Non audent ſiſtere ſe inſanientis parti abiecta oculis tuis. Odio proſequeris omnes operantes iniquitati.*

Verſ. 7. *Exitio addices ſpirantes mendacium. Virum cædibus intentum fraudique abominabitur Iehova.* Verbo דִּבֵּר primaria poteſtas eſt ſpi-

 randi.

randi. Inde dicitur ſpiritus, ſeu ventus, noxius ac occidens דֶּבֶר. Talis ventus in deſertis Ægypti per ſabuli ac arenæ effuſionem coöperit ac enecat viatores, *Am. IV*, *10.* Id, quod homines ſpirant, ſolet per ſonos articulatos erumpere. Unde accidit, ut דָּבַר idem ſit ac *prolocutus eſt, dicendo aſſequi tentavit.*

Verſ. 8. *Ego verò inter multitudinem benignitatis tuæ accedam & introibo domum tuam. Studioſe proſternam me adoraturus verſus palatium ſacrum tuum in reverentia tui.*

Verſ. 9. *Iehova! duc me per elargitionem benignitatis tuæ. Ob adverſarios meos planam rectamque redde erga vultum meum, viam meam.* צְדָקָה eſt elargitio beneficientiæ, in gratiam indigi ſe exſerentis, *Pſalm. XXIV*, 5. 1 *Sam. XII*, 7. Agnoſcit *David* infirmitatem & indigentiam ſuam: eoque impenſius ad beneficentiam & ſummam potentiam Dei precibus connititur. Ipſi ſibi non videbatur per vires ſuas ſufficere, ac ad adytum Dei pervenire. Ut Deo placeamus in ſacris, eumque ſolida pietate colamus, opus eſt ductu & miſericordia eius.

Verſ. 10. *O rem miſeram & informem! Non eſt in ore eius* viri ſanguinarii ac fraudibus intenti *id, quod æquum eſt ac rectum. Intimum* mentis *ipſorum* ſunt non niſi *ærumnæ, ſepulcrum apertum* eſt *guttur eorum. Quantum ad linguam ipſorum attinet, dicta ſua emolliunt blanditiis proferendis.* Hæc erat indoles Doegitarum, qui mendacium ſpirabant, mollitie blanditiarum in aures

Sau-

Sauli influens. Ad nomen *uchochab* ſubaudi מְלָאכָה. הֶחֱלִיק eſt idem ac *ad lævigandum & emolliendum adhibuit diducendo.* Inimici *Davidis* hac arte utebantur, prædefinitum Dei decretum everſuri. Homo ſibi relictus, ac ſcopum Dei negligens, nocet & aliis & ſibi, ac non niſi perniciem incurrit. Duo pronuntiata poſteriora ex hoc *inciſo* laudavit *Paulus Rom. III*, 13, ubi verbo הֶחֱלִיק ſubſtituit verbum δολιόειν, *doloſe agere c*), eo quod blanditiarum ſcopum & deſtinationem ob oculos ſibi poſuit. Præiverat ipſum Alexandrinus.

Verſ. 11. *In piaculum converte & ſubmove illos, Deus! Cadent ex conſultationibus ſuis inter multitudinem aberrationum ſuarum. Diſpelle illos. Omnino rebellant adverſus te.* Qui piaculo cedebant, ii præcipitabantur in mare, vel mactabantur, ut regio expurgaretur. Defectionem Ebræi vocant פֶשַׁע. Defecerant adverſarii *Davidis* a Deo, & huic rebellaverant, eo quod Numen *Davidem* prædefiniverat & conſtituerat Regem, *Saulo* faſtidito & reprobato. Inimici conſtituerant, *Davidem* ſolio & vita privare, nutumque Dei ſubvertere.

Verſ. 12. *Tunc lætabuntur* & quantopere! *omnes, qui fiduciam ſuam collocant in te, in omne ævum duraturum, cuius terminos homini reſcire non eſt datum, clamorem triumphantem edent. Unguentum effundes ſuper eos, & exultabunt propter te ii, qui amant nomen tuum.* Effuſio olei in ca-

c) *Guil. Surenhuſii* βίβλ☉ καταλλαγῆς pag. 443.

put erat ſummi gaudii indicium. Triumphantibus ſolebat oleum ingeri & affundi. Honoris gravioris & maioris id etiam erat *d)* argumentum.

Verſ. 13. Omnino tu bene eſſe iubes iuſto, Iehova. Tanquam clipeum benevolentiam circumdabis ipſi inſtar coronæ. Clipeus enim צִנָּה, *zinnah*, erat rotundus inſtar coronæ *e)*. Qui æquus eſt & recti tenax, eum Deus defendit ab omnibus inimicis ſuis, ac efficit idem Deus, ut tela & improbæ adverſariorum machinationes ipſum nequeant ſubmovere, vel violare. Tanti eſt, ſolo niti Deo!

IV. *Alexandrinus* interpres Græcus nomen *lemnazzeah* haud intellexit, in promtu habens ſuum εἰς τὸ τέλος. Inſtrumentum muſicum נְחִילוֹת *Nehhiloth* ipſum præteriit, quod convertit in κληρονομούσης, *eam, quæ adit hereditatem.* Vocem צְדָקָה *verſ. 8* tranſtulit per ἔλεος, *miſericordiam*, ſequens morem ætatis ſuæ. Ἄνδρα αἱμάτων vocavit, *verſu 7*, virum ſanguinolentum, ac cædibus faciendis ſtudentem, admittens Ebraiſmum. Verbum מָרוּ deduxit ex מַר, *amaro*, ac reddidit per παραπικραίνειν *verſ. 11*, relinquens ac omittens ſignificatum verbo illi familiarem. Ii, qui ob Deum, eiusque opem, exultant, ſunt ipſi καυχησόμενοι, iactaturi ſe in Deo. Senſus inde minus turbatur. *Clipeum* rotundum

d) *Plato Republ. III pag. 396.*
e) *Theod. Daſſovius Diſſ. ad Titulum Celim* §. 5, 6, 7, *Viteb. 1696 & 1714, 4.*

dum convertit *Alexandrinus* in ὅπλον, *arma*, genus ponens pro ſpecie, ac emphaſin vocis *zinnah* dimittens ex parte. Nomen רָצוֹן transfert in εὐδοκίαν optimo ſenſu, licet vox Ebraica proprie *voluntatem annuendo deſignatam*, id eſt, *benevolam*, deſignet. Non potuit in hac *Oda* multum aberrare *Alexandrinus* a tramite contextus vocum Ebraicarum. Mira enim huic *Odae* ineſt facilitas, magna lux, & dilucens undique perſpicuitas. Et hæc eſt ratio, cur Iudæi ac Chriſtiani ex *Alexandrina* metaphraſi potiora doctrinæ & vitæ genuinæ capita haurire potuerint citra ullum graviorem errorem, ac citra ſalutis jacturam.

II.

PETRI ZORNII DISSERTATIO POSTHVMA DE CHRISTO, SVBLATIS MANIBVS DISCIPVLIS SVIS BENEDICENTE, ET INTER BENEDICENDVM AB EIS DISCEDENTE, ET IN COELVM SVBLATO.

I.

Ultimus *Chriſti* in terris actus *benedictio diſcipulorum* fuit *Luc.* XXIV, 52. Elevantur etiam

iam manus ab iis, qui Deum precantur, more & gentibus recepto; unde *Horatii* illud: *Cælo ſupinas ſi tuleris manus.* Sed hic agitur de ea manuum elevatione, quæ fieret ad benedicendum: quomodo & manus capiti alterius imponebatur, pro quo fierent preces. Rogabant enim, quemadmodum ipſi manu ſua alium protegerent, ſic Deus ut protegeret eundem in viis ſuis. Nimirum cauſa erat eius ritus, quod, qui aliquem tueri volunt adverſus alterius violentiam, eum manibus extenſis ſoleant protegere. Sed, ſi unus quidem, vel unus alterve, foret, capiti imponebatur manus; ſin maior foret cœtus, compendio ſtudebant; multarumque impoſitionum loco erat *protenſio manuum ſuper capita cœtus*. Quomodo eſt *Lev. IX*, 22: ἐπάρας Ἀαρὼν τὰς χεῖρας ἐπὶ τὸν λαὸν εὐλόγησεν αὐτοὺς, *Aaron*, attollens manus ſuper populum, benedixit eis. Confer *Gerardum Ioannem Voſſium*, 1) & *Hermannum Witſium*. 2) Ac *Epiſcopalis* ille *mos*, 3) *populum ſalutare manu ſuper eum elevata*, quod

1) In *Harmonia Evangelica Lib. III Cap. VI §. VI.*

2) In *Symbolum Apoſtolicum Exercitatione XX §. XI pag. 316.*

3) Audiamus hic *Ioannem Michaelem Heineccium* in *Syntagmate hiſtorico de Veteribus Germanorum aliarumque nationum Sigillis, eorumque uſu & præſtantia, Part. I Cap. XIII §. VII pag. 153.* Diximus iam ſupra, *explicatis Epiſcoporum libris* ſæpe inſcriptum eſſe: *Pax vobiſcum,* formu-

quod liquet ex *Optato Diſp. VII adverſus Parmenianum:* ubi *per ſalutationem iſtiusmodi benedictio ſignificatur, quæ manibus fieret ſublatis.*

Cete-

mulam non modo Chriſto Apoſtolisque ex *Iudæorum* ritibus familiariſſimam, verum etiam primitivæ Eccleſiæ Patribus *Chryſoſtomo* Homilia de iis, qui in Paſchate ieiunant, *Socrate Lib. VI Hiſt. Eccleſ. Cap. XVI, Sozomeno Lib. VIII Cap. XVIII, Cyrillo Alexandrino Lib. XII in Ioannem, Athanaſio Epiſt. ad Euſtath.* & *Optato Milevitano*, ſatis uſitatam. Nihil enim antiquis hiſce Patribus ſolennius fuit, quam ut populo & in congreſſu, & in concionibus, & in homiliis, & in ceteris ſacris, pacem hac formula apprecarentur, quod multis exemplis probatum iverunt *Ioachimus Hildebrandus* in *Diſſertat. de Veter. Conc.* §. XX, & *Ioannes Andr. Schmidius* in *Diſſertatione de inſignioribus veterum Chriſtianorum formulis, Num. V.* Quamvis vero initio hac formula tanquam ſalutatione communi uterentur omnes, qui cleri ſacro ordini adſcripti fuerant, quemadmodum hodienum utuntur in *Eccleſia Græca*, teſte *Iacobo Goaro* in Euchologia Græcorum *pag. 80*, mature tamen ſibi illam veluti propriam vindicarunt *Epiſcopi*, ademtoque ceteris hoc iure, ſolis ſibi fas eſſe putarunt dicere: *Pax Vobiſcum.* Hinc *Optatus Milevitanus Lib. I* ſub finem inter præcipua Epiſcoporum officia & munia hanc poteſtatem ſalutandi populum annumerat. Et a Patribus Concilii Carthaginenſis III. *Can. IV* cautum eſt, ne lectores populum (hac ſcilicet formula) ſalutent, quod ius Presbyteris deinde & Diaconis ereptum, ſolisque relictum Epiſcopis fuit, ut prolixius docet *Albaſpinæus* in Notis ad eun-

Ceterum in hoc actu diſcedendum ſibi Dominus exiſtimavit. Partibus ſuis, qua *Prophetæ* iam erat defunctus, qua *Sacerdos* ſe ipſum obtulerat, *nunc piiſſimus Pontifex benedictionem ſuis impertitur* mox ingreſſurus in adytum, ut fuſi vim cruoris repræſentet Patri, utque regali decoris magnificentia in throno gloriæ conſideat. Non modo in orbem habitabilem adveniens benedictionem ſecum intulit, ſed & recedens benedictionem poſt ſe reliquit. *Adeo ſemper ſibi*, inquit *Hermannus Witſius*, *ſimile benedictum illud ſemen eſt: & in receſſu non minus, quam acceſſu, exoptatiſſima benedictionis ſcaturigo.*

II. *Benedictio* autem illa *Chriſti ſacerdotalis* utique fuit. En *Gottfridi Olearii* verba in *Diſſertatione theologica de Adoratione Dei Patris per Ieſum Chriſtum §. XVI pag. 29:* Tertiam partem *officii ſacerdotalis benedicendo* abſolvi obſervavimus. Id vero etiam *Chriſtum Sacerdotem noſtrum* ex dignitate ſua novimus obire, qui *Actor. III, 26*, ſuſcitatus eſt a Deo, & miſſus, ut *bene-*

dem Canonem Concilii Carthaginenſis III. Quemadmodum igitur Principes vexilla, equos phaleratos, gladios, ſcuta, tanquam dominii ſui inſignia, in ſigillis exhibenda putarunt; ita & Epiſcopi ſua intereſſe rati ſunt, ut ſuæ dignitatis inſignia, quibus a ceteris mortalibus diſtinguerentur, ceræ imprimerent. Hinc & hæc formula in ſigilla tranſiit, inprimis tum; cum Abbates etiam pontificalibus induti, vix quidquam ornamentorum Epiſcopis relinquerent proprium.

benedicerent nobis. Nempe *Luc. I, 8, 21, obmuteſcente* in *Zacharia* ſacerdotum τῆς πρώτης τιμῆς *ore ad benedicendum* (quemadmodum ſub finem mundi *Iudæorum Magiſtri* id futurum collegerunt *ex eo, quod ſacerdotes Aaronici mane quidem benedicerent populo, veſpertino autem tempore nunquam,*) id Chriſtus in ſe munus ſuſcepit, in ipſis terris, cum iam in cœlum adſcendere pararet, *ſublatis manibus benedicens diſcipulis ſuis, Luc. XXIV, 50, 51.* Ut autem in ſacerdotalis benedictionis parte præcipua eſſe obſervatur a viris eruditis nominis *Iehovæ* expreſſa & repetita pronuntiatio; ita primum locum in *benedictionibus per Chriſtum nobis impertitis* obtinet τὸ φανερῶσαι τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ, *quod manifeſtaverit nomen Dei, Ioan. XVII, 6.* Nempe ea, quam attulit ipſe, cognitione Deum nemo viderat antea *Ioan. I, 18.* Unde & Samaritæ adorabant, quod non noverant, *Ioan. IV, 22.* Et *Philippus Ioan. XIV* oſtendi ſibi & condiſcipulis ſuis patrem cupiebat, tum quidem, ubi factum hoc fuerit, ſe contentos fore penitus, animisque pacatis, oſtendens. Eum itaque Chriſtus *Ioan. I, 18,* ἐξηγήσατο, planiſſima explicatione delineavit, imo repræſentavit, ut in cuius facie gloria Dei refulgeret, *2 Cor. IV, 6,* quique eſſet *Ebr. I, 3,* ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, *forma ſplendor, & forma expreſſa ſubſtantiæ eius,* adeo ut, eum qui videret, ipſum Patrem videret, *Ioan. XIV, 10.* Quæ nominis Dei manifeſtatio licet ad munus Chriſti

Pro-

Propheticum vere referri etiam poſſit, tamen propterea æque, quod alias quoque ſacerdotis labia doctrinam cuſtodiunt, *Mal. II*, 7, quem quod nominis *Iehovah* myſterium in benedictione illa profani daretur, ſuo modo ad præſens negotium non inepte eam trahi poſſe exiſtimem. Hactenus *Olearius*. Placet quoque ſubiungere *Ioannis Pearſonii*, 4) verba: Obſervari meretur, quod a *Rabbinis* traditum eſt, Sacerdotes ſub Lege *poſt oblationem iugis matutini* benedixiſſe populo 5) ſolenni benedictionis formula, at poſt *oblationem iugis veſpertini* non bene dixiſſe, ad innuendum ſub veſperam mundi *diebus ultimis*, qui *Meſſiæ* alias vocantur, benedictionem legalem defituram, *prævalitura benedictione Chriſti*. Cum *Zacharias* ſacerdos *Luc. I*, 8, 21, pater *Ioannis* Baptiſtæ, præcurſoris Chriſti, fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum, ac plebs tota exſpectaret ipſum, benedictionem ab ipſo acceptura, egreſſus non poterat loqui ad illos, 6) ob-
r. [illegible] mu-

4) In *Expoſitione Symboli Apoſtolici pag.* 171.

5) Confer. *Diſſertatio* noſtra *de certorum temporum in iugi ſacrificio apud Ebræos offerendo & cauſis & myſteriis*, quæ Diſſertatio noſtra legitur in *Miſcellaneis Lipſienſibus novis Voluminis II Part. I, num. I.*

6) Quid? quod ſurditas ori muto addita eſt. Carpendi avidior hæc forraſſe reprehendat; at, quisquis legerit ad *verſum* 62, intelliget, hanc circumſtantiam recte atque ordine a nobis ſuppletam. Niſi enim *ſurdus* fuiſſet *Zacharias*, non innuiſſent ei, ut de nomine filio imponendo

mutuerat, oſtendens hoc ipſo, benedictionem tranſire nunc ad alium, eumque longe maiorem, Sacerdotem, Ieſum ipſum, 7) cuius doctrina in monte a benedictionibus incipit, quique, cum diſcipulos linqueret, elevatis manibus ſuis benedixit eis. At nihilo minus tamen hoc ipſum munus præcipue executus eſt poſt reſurrectionem ſuam, ut ſcriptum eſt *Actorum III, 26:* Vobis primum Deus, ſuſcitans filium ſuum Ieſum, miſit eum benedicentem vobis, ut convertat ſe unusquisque a nequitia ſua. Itaque negari non poteſt, quin Ieſus, ſe ipſum ut perfectiſſimum ſacrificium pro peccatis offerens, ac indeſinenter

do ſententiam eius reſcirent, ſed clara voce hominem interrogaſſent, qui ſcripto, ut fecit, reſpondiſſet. Hæc *Ioannes Clericus* in *Diſſertatione de Canonibus harmonicis, quos in concinnanda Harmonia eſt ſecutus, Canone IV.*

7) Notatu digna ſunt verba *Hermanni Witſii Exercitatione X in Symbolum Apoſtolicum* §. XXIX *pag. 149.* Benedictio Chriſti ſacerdotalis toto genere diſtat ab illa, qua vel pii ſibi invicem, vel anteceſſores Eccleſiæ, fauſta omnia apprecantur. Hæc enim nudis verbis animique bona voventis ſinceritate conſiſtit, & obſecratio Dei eſt, ut hominibus benefaciat. Illa vero ipſis factis abſolvitur, ac reali communicatione ſpiritualium bonorum, quæ non ab alio petit, ſed ex iis, quæ ſua ſunt, ſumit, ut impertiat nobis, *Ezechielis XLV, 18:* Ex iis, quæ ipſe poſſidet, hæreditatem dabit filiis ſuis. Confer *Ioannis XVI, 14, 15.*

ter pro nobis interpellans, & reſuſcitatus a mortuis, ut benediceret nobis benedictione æterna, ſit verus ac perfectiſſimus Sacerdos.

III. Hactenus *Pearſonius*. Quemadmodum autem ferme omnes veterum Sacerdotum functiones Chriſti ſacerdotale officium adumbrarunt; ita etiam iudicio *Ioannis Conradi Hottingeri* 8) in pronuntiatione benedictionis eum referebant. Reſpicit quidem in genere hæc benedictio ſemen illud *Abrahami*, Ieſum nempe, in quo omnes fideles benedicti ſunt, *Geneſ. XXII, 18, Actorum III, 24, 25.* Unde etiam *Paulus* ex eo, quod Chriſtus pro nobis κατάρα factus, inducit gentibus benedictionem *Abrahami* in Chriſto exſtare, *ad Galatas III, 13.* Itaque hæc benedictio muneri ſacerdotali coniuncta eſſe debuit, qua Chriſtus ſæpius in terris functus eſt, quoties concomitanti populo benedixit, præſertim cum de monte concionabatur *Matthæi V*, uti beatitudines illæ tot benedictiones ſunt *verſu 3 ſeq.* Sed & *in ritibus in pronuntiando benedictionem adhibitis typica quædam obſervanda ſunt.* Quod ad *perſonam benedicentem* attinet, erat *Sacerdos integer*, ſine vitio omni & ſcelere, 9) ita & Chriſtus; eſt enim ille

8) In *Diſſertatione ad Numerorum VI, 24 ſeq. de Benedictione Sacerdotali* §. XIX.

9) Vide præter *Ioannem Conradum Hottingerum* in laudata *Diſſertatione* §. XVIII etiam *Adrianum Relandum* in *Antiquitatibus veterum Ebræorum*

ille Pontifex pius, vitii expers, intemeratus, a ſontibus alienus, *ad Ebræos IX, 26.* Tempus pronuntiationis erat poſt abſolutum ſacrificium iuge matutinum, 10) ita & Chriſtus, qui, ceu victima Deo offerenda in cruce ab igne iræ divinæ fenne combuſtus, exclamavit τετέλεσαι *Ioannis XIX, 30,* id omne nempe, quod ipſi ut vero Sacerdoti incumbebat, quod argumento erat, veram ac realem acceſſiſſe benedictionem. *Locus proclamationis* in templo erat clarus, 11) ita & Chri-

rum delineatis Parte II Capite V §. V pag. 183, Ioannem Seldenum de Succeſſione in Pontificatum Ebræorum Libro II Capite VI pag. 479.

10) Tempus Benedictionis ſemel in die, abſoluto nempe ſacrificio iugi matutino, fuiſſe tradunt Iudæi. Unde *Maimonides* in Hilc. Thephil.: *In Sanctuario benedicunt benedictione Sacerdotum una vice in die poſt ſacrificium matutinum iuge.* An autem poſt ſacrificium veſpertinum benedictio quoque recitata fuerit, ſaltem de eo, inquit *Io. Conr. Hottingerus*, in Iudæorum ſcriptis nulla inveniuntur veſtigia.

11) Locus recitationis a Iudæis vocatur דוכן, *ſuggeſtus*, locus elevatus, cuius tamen ſitus incertus eſt. *Conſtantinus L'Empereur* in *Annotationibus ad Codicem Middoth Capite II §. VI nota V* illum ſuggeſtum fuiſſe autumat, cuius in citata Miſchna mentio fit, quique Iſraelis inter & Sacerdotum atrium in gradibus, quibus id adſcendebatur, ſitus fuit. *Maimonides* autem *l. c.* pertendit, quod benedixerint ſuper gradibus porticus. Conſentit Miſchna Tract. *Tamid Cap. VII §. II,* & R. *Obadias de Bartenora* ad h. l.

Chriſtus de cruce pendens benedixit. *Modus* erat extenſis & elevatis manibus, 12) & facie ad populum verſa: ita & Chriſtus manus in cruce extendebat facie ad adſtantes verſa, illis benedixit, id quoque iamiam ad Patrem rediturus fecit, ſpeciatim diſcipulis ſuis *Lucæ XXIV*, *50*. Denique poſt benedictionem Sacerdos *cultui quotidiano matutino* finem impoſuit. Ita & Chriſtus declamata ſua benedictione, & morte obita, ſacerdotio ſuo in terris peragendo valedixit, poſtquam æternam redemtionem invenit: unde ſenſim quoque cultus Leviticus exſpirare incepit, donec, templo diruto, plene ceſſavit, & benedictio illa iuſto modo pronuntiari deſiit.

Nam

h. l. ſed in re incerta nihil temere aſſerimus: in eo ſaltem conveniunt, fuiſſe locum aliquem elatum, e quo Sacerdos benedicens proſpexit.

12) Quomodo manuum elevatio, præcipuus huius functionis ex Iudæorum mente ritus, (unde etiam hæc benedictio נשיאת כפים, *elevatio manuum*, appellatur) peracta fuerit, inter Philologos diſceptatur. Qui curioſior eſt, conſulere poterit *Ioannem Buxtorfium* in *Synagoga Iudaica pag. 424, 534*, & eiusdem Nepotem in *Appendice* ad eandem, *Ioannem Chriſtophorum Wagenſeilium* in *Tractatum Miſchnicum Sota Cap. VI §. VI*, *Athanaſium Kircherum* in *Oedipo Aegyptiaco Tomo II Claſſe IV Capite IV §. IV pag. 240*, *Campegium Vitringam de Synagoga vetere pag. 1116*, ex Iudæis *Maimonidem* l. c. & eorum libros rituales, *Schylchan Aruch*, & *Schylchan Thahor*, ſub titulis, נשיאת כפים, *elevatio manuum*.

Nam vera benedictione per Chriſtum allata umbratica illa ceſſabat.

IV. Quæ cum ita ſint, *in nummis quorundam Imperatorum Græcorum* conſpicere licet imaginem Chriſti, dextram protendentis, & binis digitis benedictionem dantis. Vide hanc in rem *Carolum Dufreſne*, 13) *Anſelmum Bandurium*, 14) aliosque Scriptores, quos alio loco & tempore laudavimus. 15) In præclaro iaſpide, cuius ectypon habetur in dactyliotheca Canonicorum Regularium S. *Genoveſæ*, Pariſienſis, *Chriſtus* ad genua dextram protendit, *binis extenſis digitis*, ſiniſtra librum tenens, cum literis ad latera ΙCΧCΟΕΛΕΗΜΩΝ, in altera facie legitur ΧΕ ΟΘ ΟC ΕΙC CΕ ΕΛΠΙΖΩΝ ΟΥΚ ΑΠΟΤΥΓΚΑΝΕΙ, id eſt, *Ieſus Chriſtus miſericors. Chriſtus Deus, qui in te ſperat, non fruſtratur.* In veteri tabella Græcanica eiusdem gazophylacii Chriſtus in cathedra, vel ſella, ſedens effingitur, dextera pariter impartiens benedictionem, altera Evangelium tenens. Denique indicio *Bernardi de Montfaucon* 16) habemus, quæ huc utique referamus, neceſſe eſt: Codex regius num. 1809 membranaceus, inquit, ingentis molis,

13) In *Diſſertatione de Numiſmatibus inferioris ævi.*
14) Vide huius *Numiſmata Imperatorum Romanorum Tomo II pag.* 712.
15) Vide *Hiſtoriam* noſtram *Bibliorum manualium Capite III § III pag.* 38 *ſeq.*
16) In *Palæographia Græca Libro III Cap. VIII pag.* 250.

molis, pulcritudine & magnificentia nulli concedit. Auro fulget undique in tabellis depictis, quas ad quadraginta quinque numeravi, in literis item initialibus maxime in titulis Orationum. Continet autem *Gregorii Nazianzeni* Orationes, deſcriptusque fuit *Baſilio* Macedone imperante, ut liquet ex picturis, 17) ex carminibus item, in fronte poſitis, 18) nec non ex elegantia Codicis. 19) Quod autem ad hunc Codicem attinet, in primi folii pagina ſecunda, (prima quippe vacat,) in fundo aureo Chriſtus ſedens non ineleganter pro illa ætate repræſentatus, Evangeliorum librum apertum tenens, ad hæc verba: εἰρήνην ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν, pacem meam do vobis &c. quæ ſpectant ad familiam Auguſtam, in proxima tabella e regione depictam. Quod ad Eccleſiam Romanam attinet, in illa *Ioannes Molanus* de *Chriſto benedicente* in hanc ſententiam diſſerit: Adſcendens *Chriſtus benedixit Apoſtolis* manibus ſuis elevatis: quod fecit aut *ritu Aaronico*, extenſis ſuper ipſos palmis, uti Iudæi ſacerdotes hodie temere benedicunt, aut *ritu Chriſtiano*, *quo Epiſcopi benedicunt*.

17) Ubi ipſe Imperator *Baſilius* pingitur cum tota familia.

18) Ubi *Baſilius* quaſi tum ſceptra tenens compellatur.

19) Hic Codex vere Imperatoriam præfert magnificentiam, ad uſumque ipſius *Baſilii* & domus Auguſtæ fuiſſe plane videtur.

cont. 20) Poſterius tanquam probabilius exprimunt pictores. Mittimus *Molanum*; de *Epiſcoporum benedictione* audire liceat *Leonem Allatium:* 21) Epiſcopi cum benedicunt populo, effiĉto crucis ſigno in aere ter ſignant, primo quidem recta, verſus Eccleſiæ valvas, ſecundo ſiniſtrorſum, tertio dextrorſum.

III.

CAROLI HENR. ZEIBICHII,

P. P.

DE CHRISTO, FIDO N. T. PONTIFICE, DISSERTATIO PHILOLOGICA, AD LOCUM PAULINUM, HEBR. II, 17.

ARGUMENTUM.

I. *Ritus indicatur Iudaicus, ex quo hæc verba explicanda ſunt.* II. *Diſſenſus Celeb. Oederi ſignificatur.* III. *Producuntur rationes, præſentem interpretationem munientes, quarum prima petita eſt ab argumento Epiſtolæ ad Hebræos*

20) In *Hiſtoria S. S. Imaginum & Picturarum pro vero earum uſu contra abuſus Libro IV Capite XIV.*

21) *De Eccleſiæ Occidentalis atque Orientalis perpetua conſenſione Libro I Capite VI* §. *XXXI pag. 123.*

bræos data. IV. *Secunda, a collatione Chriſti cum Pontifice Hebræorum, a Paulo inſtituta.* V. *Tertia, a Sacrificio Chriſti piaculari, quod in hoc loco effertur.* VI. *Quarta, ab aliis ritibus, in expiatione anniverſaria introductis, ad quos Paulus reſpexit.* VII. *Quinta, ab emphaſi vocabuli* πιςός. VIII. *Cum hoc Græcæ vocis ſignificatu comparatur Latinorum fides, fidus.* IX. *Explicatur locus Apocal. I, 5.* X. *Alius, Ieſ. LV, 3.* XI. *Additur tertius, 2 Timoth. IV, 7.* XII. *Sexta, ab Officio Chriſti Sacerdotali, plene perfecteque adminiſtrato.* XIII. *Septima, a iuramento, dignitati Chriſti haud adverſante.* XIV. *Octava, a Suffitu Chriſti, olim incenſo.* XV. *Interpretatio loci Paulini, a Celeb. Schlichtero ſuppeditata, confertur, & modeſte expenditur.*

I.

Delineavi haud ita pridem, Diatriba ſingulari, quæ, humanitate Viri Illuſtris, *Frid. Ott. Menckenii, Novis Miſcellaneis Lipſienſibus* a) inſerta fuit, ſolennem illam priſcorum Hebræorum conſuetudinem, qua Pontifex eorum Maximus, annis ſingulis, eaque ſpeciatim nocte, quæ Sacrum Piaculare anniverſarium præcedebat, a Senioribus Synedrii certa *Adiurationis* formula adſtringi ſolebat, ut polliceretur,

vellê

a) *Volum. IV P. III.*

velle ſe, in obeundo munere ſequentis diei graviſſimo, omni uti circumſpectione, & non ſolum cunctis illius partibus religioſiſſime ſatisfacere, verum etiam inprimis, in incendendo ſuffimento, non Sadducæorum veſtigiis, qui ante velum imponebant illud, inſiſtere, ſed, ſecundum præſcriptum divinum, poſt velum, in thuribulum, ſive intra vectes, ſive in lapide fundamenti, collocatum, θυμίαμα injicere. Fides jam liberanda eſt, quam dederam in fine Diſſertationis, &, ne inveſtigatio ritus huius in interpretandis paginis divinioribus omni carere uſu videatur, revocandus huc inſignis ille locus, a me ibidem ſignificatus, in quo Divus *Paulus* Chriſtum, Pontificem N. T. nomine Ἀρχιερέως πιςοῦ graviter ſalutavit b): Ὅθεν ὤφειλε κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθῆναι, ἵνα ἐλεήμων γένηται καὶ ΠΙΣΤΟΣ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ.

II. Quæ priſcæ Chriſtianorum Eccleſiæ Doctores ad illuſtrationem loci præſentis attulerunt, ab inſtituto noſtro remotiora eſſe, fatendum eſt c). Mihi tamen, ſalva Patrum, aliorumque Interpretum, auctoritate, rationibus haud infirmis inducto, ea mens ſedet, Divum *Paulum*, dum hæc verba ſcriberet, illum Hebræorum ritum animo agitaſſe, ad eumque rem illam, de

 qua

b) *Hebr. II, 17.*
c) Conf. *Suiceri Theſ. Eccl.* v. πιςός.

qua diſputat, graviſſimam, retuliſſe. Cum igitur animadverterem, non ſolum *Io. Braunium*, d) verum etiam *Theod. Daſſovium* e), præterea & Magnif. *Sal. Deylingium* f), cum oraculo *Paulino* ritum *Adiurationis Pontificalis* contuliſſe quidem, ſed, ob inſtituti rationem, velut in tranſcurſu tetigiſſe, argumentorumque præſidiis munire non potuiſſe, operæ pretium facturum me, credidi, ſi eam rem diligentius paulo apud animum volverem, quidque roboris eidem inſit, explorarem. Nec retrahit me a propoſito Viri Celeb. *Georg. Lud. Oederi* g) locus quiſpiam, in quo Vir Doctiſſ. labi exiſtimat Summe Reverendum *Deylingium*, quod ad interpretationem loci huius ritum advocet, qui fabulæ ſimilior, quam hiſtoriæ, exiſtat, cuique tanta non inſit elegantia, quanta expoſitioni *Akerſloti*, Angli, quam amplectitur ambabus. Namque, cum res ipſa tam abſurda non ſit, ut ſuſpecto fabulæ nomine notanda videatur, præterea teſtimoniis Iudæorum domeſticis, quibus nemo facile, in rituum argumentis, fidem omnem detrahit, confirmetur, extremo abſque omni tortura accommodetur ad *Paulinum* illud oraculum, relinquamus Auctori Celeberrimo id, quod ipſe ſentit, modo præſens interpretatio, hoc impetu facto,

d) *Comment. in Ep. ad Hebr. pag. 180.*

e) *Diſſ. de Ingreſſu Summi Pont. in Sanct. Sanctor. §. XIV pag. 10.*

f) *Obſerv. Sacr. P. II pag. 191, 192.*

g) *ad Catech. Racovienſ. pag. 1004.*

facto, ſtet immota. Idque ut effici poſſit feli- citius, in medium iam producam ea, quæ, pro firmanda illa, ſolicitior mihi meditatio ſuppe- ditavit.

III. *Prima* igitur ratio, qua quis, ut in hanc deſcendat ſententiam, moveri poteſt, ad ipſum ſpectat *argumentum Epiſtolæ Paulinæ*, ad *He- bræos* exaratæ, quod expetit, ut ritus Iudæorum veterum in ea quæramus, ubicunque illud ſalvis præceptis hermenevticis fieri poteſt. Scribit hic ad eam gentem divinus Apoſtolus, cui ad animum revocandæ erant magnæ illæ σκιαὶ to- tius cultus Levitici, quæ τὴν εἰκόνα τῶν πραγ- μάτων adumbrant, ac primum in Tabernacu- lo, poſtea in ipſo Templo Hieroſolymitano, oculis Iſraelitarum ſubiiciebantur. Namque ea gens e Iudaica Eccleſia, temporibus Chriſti at- que Apoſtolorum peſſimis contaminata ſordi- bus, ad doctrinam Chriſtianam acceſſerat, quæ quidem ſententia ſalva erit, ſive Hebræi Hiero- ſolymitani, ac præter eos omnes, qui provin- ciam, *Pilati*, eiusque ſucceſſorum, præfecturæ de- mandatam, incolebant, ſive, ut aliis placet, di- ſperſi in Aſia, Ponto, Galatia, Cappadocia, Bi- thynia, Archipelagi Inſulis, ac Provinciis, Iudææ, ſalutati ab Apoſtolo perhibeantur h). Itaque, ubicunque *Paulus* de Chriſto, ſummo N. T. Pontifice, de Sacrificio illius Expiatorio, de ſan-

h) Conf. Celeb. *Harenbergii* Diff. *de Hebræis, ad quos Paulus Epiſtolam dedit*, quæ legitur in *Miſcellan. Lipſ. Nov. Vol. IV P. I*.

ſanguine, in ara crucis effuſo, de corpore Chriſti, velut Tabernaculo, nullius manu fabrefacto, de ingreſſione in adytum, de ἐμφανισμῷ in conſpectu Patris, de Velo Adyti, carnem Chriſti figurante, de ſanctitate atque integritate Servatoris, de thymiamate precum, de Chriſto, ſanctorum adminiſtro, de conſtitutione Chriſti, Pontificis, a Patre facta, de caeſa in morte Mediatoris hoſtia Dei ſacratiſſima, & pluribus aliis, iisque illuſtribus maxime, argumentis, quæ nolim uberiori atque imperfecta rei conſione perſequi, graviter diſſerit, toties ab Hebræis flagitat, ut ad cultum ſuum Leviticum, ſalutaribus umbris ubique refertum, oculos coniiciant, ſed, cum is tantum μέχρι καιροῦ διορθώσεως i), atque ἄχρι τῆς προθεσμίας k), durare debuerit, animum imprimis advertant ad meliorem illam N. F. œconomiam, quæ per Chriſtum fuerat conſtituta. Is enim eſt ὁ Ἀμὴν, verus ille, ipſaque *veritas*, l) non typus, aut umbra, ſed vera ſubſtantia, quam imagines illæ Leviticæ, tantum ut umbræ, repræſentarunt. Hanc ob cauſam tanto in pretio habentur viris doctiſſimis ſcripta *Brauniana*, *Rhenferdiana*, *Danzſana*, *Friſchmuthiana*, *Carpzoviana*, *Daſſoviana*, *Deylingiana*, quibus nihil prætermittitur, quo fieri poſſit, ut rituum Hebræorum natura

i) *Hebr. IX*, 10.
k) *Gal. IV*, 2.
l) *Apocal. III*, 14. Add. *Iac. Gaillard. de Fil. homin. Qu. XIII pag.* 248 *ſq.*

natura ſcienter declaretur, corporis in umbra delineatio demonſtretur, ſermonisque Apoſtolici dulcedo genuinis ex fontibus derivetur.

IV. Succedant rationes aliæ, quarum tamen nonnullis affinitatem adhuc quandam cum prioribus intercedere, fatendum erit. Fulcri igitur *ſecundi* vicem ſuſtineat comparatio *Chriſti* cum *Summo Hebræorum Pontifice*, a *Paulo* inſtituta. Non prorſus hic præteriri velim verba præcedentia, quibus, Chriſtum oportuiſſe ὁμοιωθῆναι τοῖς ἀδελφοῖς, ſcite indicat. Ut enim *fratrum* appellatione omne omnino humanum genus, generatim conſideratum, comprehendit Apoſtolus; ſic ſpeciatim idem ille cadere titulus videtur non ſolum in *Prophetas* ac *Reges* Antiqui Fœderis, verum etiam in *Summos Pontifices*, quos, una cum prioribus, aliquando חברים *Socios* Chriſti vocat *Hieropſaltes* m), quibus Chriſtus, ob unctionem, oleo exultationis factam, & collata dona infinita, multum antecellat. Maiori tamen claritate fulget præſens Ἀρχιερέως πιϛοῦ titulus, quo Chriſtus graviter inſignitur. Quo igitur ſpectatior hæc veritas eſt, excellentiam perſonæ *Servatoris* adumbratam fuiſſe in typico illo *V. T. Pontifice*, hoc indignius ferendum, quicquid ad huius extenuandam dignitatem noſtris temporibus vel agi, vel ſcribi, nonnunquam ſolet. Præteriri igitur ſilentio hic nequeunt conatus iſti peſſimi, quibus *Thomas Morganus*, Anglus, impugnator verita-

m) *Pſalm. XLV, 8.*

veritatis ſacræ recentior, Pontificis Hebræorum honorem graviſſime lædere haud erubeſcit, a quo ut omne *Sacerdotium Leviticum*, ſic dignitatem inprimis *Summi Pontificis*, laceſſi, ipſumque ludibrio exponi, vel, ut in *Novis Actis Erud. Lipſ.* n) ſcribitur, *maximis conviciis proſcindi*, ex libris illius peſtilentiſſimis conſtare poteſt. Huius molimina, interitum civitati ſacræ minitantia, nondum reprimere potuiſſe vel *Lelandum*, & *Chapmannum*, vel alios Viros doctos, dextre ſe ipſi opponentes, ingenti cum dolore omnes boni conqueruntur. Sed revertor ad Chriſtum, unum illum Pontificem noſtrum, & non ſolum utile, ſed & neceſſarium, exiſtimo, ut ad perſonam, ad dignitatem & functionem, *Pontifici Maximo* propriam, hic recurratur. Nunquam autem in huiusmodi gradum evecta fuit dignitas Pontificis, nunquam perſonam, tam illuſtrem, repræſentavit, nunquam functionibus, tam auguſtis, occupatus fuit, ſi diſceſſeris a magno illo *Piaculari Sacro*. Ipſi profecto *Sociniani*, loci claritate convicti, inficiari non audent, habitam hoc in oraculo *Pontificatus Chriſti* rationem fuiſſe. Comminiſcuntur nihilo ſecius exinde muneris Chriſti Pontificalis *poſt adſcenſionem demum viſibilem* primordia, ita depravantes verba Apoſtoli, ut, oportuiſſe Chriſtum in morte ſimilem fieri fratribus, perhibeant, quo potuerit poſt mortem Pontificem ſum-

n) *A. 1743 pag. 549.*

ſummum agere in cœlis o). Quemadmodum autem ſimilitudo Chriſti cum fratribus non in morte demum, ſed in ipſo ἐνσαρκώσεως articulo, auſpicia cepit, ſic ea re confirmatur id, quod orthodoxi docent, Chriſtum ſimilem fieri oportuiſſe fratribus, ut, moriens, ſuſtinere poſſit perſonam Pontificis, carne humana tectus, mortisque oppetendæ facultate donatus.

V. *Tertium* pondus ſententiæ huic ex eo conciliari exiſtimo, quod ipſe Apoſtolus non tantum comparat Chriſtum cum Summo Pontifice, ſed *Sacrificium* inprimis illius *expiatorium* extollit. At *Sacrificium* Chriſti non poteſt accuratius pleniusque conſiderari, quam, inſtituta collatione cum *Expiatione Hebræorum anniverſaria*, neque unquam crebriori mentis cogitatione complexus eſt illud in ſcriptis ſuis Apoſtolus, quam, ubi ad gentem Hebræam, rituum omnium ex aſſe gnaram, verba fecit. Cum igitur de *Expiatione* illa Pontificis N. T. *Paulus* hic diſputet, neceſſario conferendi ſunt ſolennes illi ritus, qui magno illo Sacro Piaculari, quod יום הכפרים, *Diem Expiationum*, ſed nonnunquam καθ᾽ ὑπεροχὴν, יומא, *Diem*, dicunt p), uſu introducti, ſingulis exerceri annis conſueverunt. Qua de re & ex Codice diviniori, & ex Maſſ. Talm. *Ioma*, ex iis denique,

o) Conf. *Catech. Racovienſ.* in Art. *de Officio Chriſti Sacerd.*

p) Conf. *Lakemach. Obſ. Phil. P. I pag.* 166, 167.

que, quæ a *Rhenferdio*, *Sheringhamo*, & noviſſime a Doctiſſ. *Ugolino*, ad librum R. *Chiiæ*, huc ſpectantem, commentato, animadverſa ſunt; certior reddi lector eruditus poteſt. Neque etiam alienus eſt ab hoc argumento prior ille, quem præmittit *Paulus*, Chriſti titulus, ἐλεήμων Ἀρχιερεὺς, ſed ex iisdem *Sacri Piacularis* conſuetudinibus commode explicatur. Chriſtum enim, ut *miſericordem Pontificem*, figuravit Summus V. T. Sacerdos, ubi, in expiando populo occupatus, totius cœtus Iſraelitici vicem, ex labe peccatorum miſerrimam, doluit, ideoque, miſericordia ductus, omni eorum pro reatu preces ardentiſſimas Numini divino ſupplex obtulit, eiusque veniam exoravit; enunciato in illa ipſa precatione nomine Dei maieſtatico, יהוה, ad quod omnis Sacerdotum populique cœtus, in atriis congregatus, flexis genibus, facieque in terram proſtrata, pie ingemiſcit, regnique divini maieſtatem tacite demiſſeque celebrat, de quo *Maimonides* q) & Codex *Ioma* r) legantur.

VI. Inter robora ſententiæ meæ *quarto* loco *alios* Hebræorum *mores* refero, ad *præparationem*, *Expiationi anniverſariæ præmiſſam*, redeuntes, quos in monumentis *Paulinis* reſpici, a Viris eruditiſſimis eleganter monitum fuiſſe, recordor. Excitandus autem hic præ ceteris videtur

q) *Hilc. Iom. Hakkipp. Cap. IV, it. Cap. II.*
r) *Cap. VI §. 2, Cap. III §. 8, Cap. IV §. 2.*

videtur mihi locus ille claſſicus, in quo Chriſtum tum ut *κεχωρισμένον ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν*, tum ut *ὑψηλότερον τῶν ὐρανῶν*, nobis ſiſtit oratio *Paulina* s). Cuius ad illuſtrationem legi poſſunt, quæ *Io. Braunius*, t) *Sal. Deylingius*, u) *Chriſt. Bened. Starckius*, x) compendiaria ratione diſputarunt. *Prioribus* enim verbis in memoriam Hebræis revocat vir divinus Pontificem illum Maximum, ſeptem dierum intervallo a domo ſua atque a conſortio hominum immundorum *ſegregatum*, & ſocietati hominum ſanctiſſimorum, quales Synedrii Aſſeſſores & Seniores Sacerdotum fuerunt, adſcriptum y). Eaque re ſanctitatem Chriſti ſummam, veramque *ἀναμαρτησίαν*, delineat, qua ſegregatus fuit ab omnibus omnino mortalibus, labe infectis, &, velut antitypus hominum ſegregatorum, qui *Neſirai* dicebantur, in orbe comparuit. *Poſterioribus* vero digitum intendit ad *excelſum* illud, in quo per præſens intervallum conſtitutus fuit, *Tabulatum*, idemque duplex, tum Conclave *Parbedrin*, tum Cameram *Abbtines*. Atque ultimum quidem locum ſignanter voce עלייה inſcriptum videmus, quæ locum exprimit *altum* & *excelſum*, qua-

s) *Hebr. VII, 26.*
t) *Select. Sacr. Lib. III Cap. V p. 340*, item in *Comment. in Ep. ad Hebr. p. 417 ſq.*
u) *Diſſ. de* Ἐμφανισμῷ *Chriſti in conſpectu Dei §. XXII.*
x) *Not. ſelect. in Ep. ad Hebr. p. 58.*
y) *Cod. Ioma Cap. I.*

qualem in *ſuperiori ædium parte* habuerunt plurimi veterum, *Eglon*, Rex Moabitarum, z) *Achaſia*, Rex Iſraelis, a) *Daniel* Propheta, b) Reges Iudæ c). Cum igitur uterque locorum illorum, ſive conclave *Parhedrin*, ſive domus *Abhtines*, ſpectetur, non ſolum urbe Hieroſolyma, ſed monte etiam Moria, præterea ipſa Æde ſacra, ſingulisque illius Atriis, Sancto etiam, atque Adyto, quæ omnia cœli referebant imaginem, celſior eſſet, non poterat non eo tempore hoc reſpectu Pontifex ὑψηλότερος τῶν ὀυρανῶν ſalutari. Quæ quidem Chriſto longe maiori iure competere, ex iis oraculis certum exploratumque eſt, quibus tum, qua Deum עליון, & ὑιὸν ὑψίϛȣ, ſumma dignitate gaudere illum, tum qua Θεάνθρωπον, in ἀναλήψει illa viſibili, ſupra πάντας τȣς ȣ̓ρανȣς evectum illum, ſacrorum Scriptorum fide accipimus. Cum his coniungere poteram *ritus* adhuc alios, eodem tempore receptos, atque ad perſonam Chriſti ſine tortura applicandos. Noctem, quæ anniverſariam præcedebat expiationem, in perpetuis tranſigit *vigiliis* Hebræorum Pontifex. *Preces* in ea fundit ad

z) *Iudic. III*, 20.
a) 2 *Reg. I*, 2.
b) *Dan. VI*, 11.
c) *Ierem. XXII*, 14. Conf. *Pearſonii Lect. in Acta Apoſt. p. 31*, *Vitringa de Synag. vet. Lib. I P. I Cap. 6 p. 145 ſeq. Wolfii Cur. Philol. P. I p. 1008 ſq. Zornii Diſſ. de Veter. Hebr. hibernis & æſtivis domibus & diatis*, in *Muſeo Brem. Vol. II p.* 395 *ſeq.*

ad Deum ardentiſſimas, *humi proſtratus*. *Tres* ipſi adiuncti ſunt ex iunioribus Sacerdotibus *d*). Extremo ſalutatur voce שליח, *Legati*, a Senioribus, iuramentum petentibus. Quæ quidem omnia ad Chriſtum, qui noctem ultimam non ſolum in *vigiliis*, ſed & *precibus* ardentiſſimis, quas, *humi proſtratus*, dixit, transegit, præterea & *trium* diſcipulorum ſocietate gavisus eſt, & Ἀποστόλου charactere a *Paulo* inſignitur, haud difficulter accommodantur. Sed nolim ſingula eorum, ut poteram, operoſe deducere.

VII. *Quintum* ſententiæ meæ præſidium ex charactere Ἀρχιερέως πιστοῦ, ſive *fidi*, arceſſendum eſt. Illud enim vocabulum, ſi cuiquam, certe ei, qui *iureiurando* promiſſa ſancte ſervat, competit. Haud abſurde *Suidas* e) vocem πιστὸς interpretatur εὐσεβὴς, propterea, quod in *iureiurando* non poſtrema & minima pars cultus divini cernitur. Recte etiam πιστώσαντες explicat *Heſychius*, πίστεις ἀλλήλοις ἔδωκαν, *promiſſionem*, velut *iuramenti* fide, *ſibi invicem dederunt*. Conſimilis vocabuli vis ineſt in verbis *Agamemnonis* apud *Homerum*, *f*) Troes, rupto fœdere, alloquentis, quibus ὅρκια πιστὰ, *fœdera ac iuramenta firma*, ad animum revocat. Ita enim interpretandum eſſe *Homeri* locum, adverſus *Dan. Heinſium*, qui, victimas intelligi, pertinaciter defenderat, erudite docet *Frid. Chriſt.*

d) *Daſſov. Antiq. Hebr. p.* 13.
e) In *Lex. Gr.* ſub h. v.
f) *Iliad.*

Neubour. g) Comparentur cum his πιςὰ ἐυορκώματα, *ſida iuramenta*, apud *Aeſchylum.* h) Adde *fidem Græcam*, dicterium, a Græcis petitum, qui nullam, & ne iuramento quidem datam, fidem ſervare conſueverunt, de qua *Polybius* i) legatur. Quod ubi aliquando *Lakemacherus*, *k*) ὁ μακαρίτης, excitat, Lacedæmonios ipſam etiam *iuramenti* religionem minus curaſſe, annotat, illudque ex verſu quodam *Ariſtophanis*, l) quo πίςεως vox conſimili ſenſu uſurpata eſt, evincit. Neque indignum notatu eſt, quod apud *Flavium Ioſephum* m) eadem aliquando vis eiusdem vocis cernatur, quando is *iusiurandum* Hebræorum, *poſita ſub femur manu*, præſtitum, de quo alibi a me dictum eſt, n) πίςεις μεγάλας appellat. Sed, nondum ſatis dictum eſſe, exiſtimo; quamobrem adhuc alia, æque clara, ſi non clariora, teſtimonia producam. Πιςῶ σε ὅρκῳ, *iuramento dignum te, cui credatur, reddo*, per verba, ὅρκον ἐκ σοῦ λαμβάνω, *iusiurandum abs te accipio*, idem explicat, quem ſupra iam excitavi, *Suidas*, o) ut animadverſum eſt

g) *Strict. Amnot. Philol. in N. T.* quæ exſtant in *Biblioth. Brem: Claſſ. I p. 261 ſeq.*
h) *Chœph. v. 901.*
i) *Lib. VI Cap. 54.*
k) *Antiq. Gr. p. 459.*
l) *Acharn. v. 307.*
m) *Archæol. Iud. Lib. I Cap. XVI.*
n) in *Diſſ. de Sepultura in Terra Sancta* §. *VII p. 15 ſeq.*
o) *l. c.*

eſt etiam ante me a *Caſp. Suicero.* p) Πίςιν ἐπιτιθέναι, *fidem dare*, pro *iurare*, dixiſſe *Demoſthenem*, *Budæus* annotat, atque ex eo *Henr. Stephanus*, q) qui & alia, huc referenda, adeunti dabit. Ac *Polybius*, ſcriptorum elegantis Græciæ haud poſtremus, πίςιν τηρεῖν, *fidem ſervare*, de *fide* militum dixit, quæ in ſervandis promiſſis, imperatori, vel duci, datis, conſpicua eſt. Sed hæc promiſſio per *iuramentum* ſtabilitur. Quamobrem cum τετηρηκέναι πίςιν, *præſtitiſſe fidem*, componit λελυκέναι τὸν ὅρκον, *religione iurisiurandi ſe exſolviſſe*. Idemque alio ſcribit loco, τηρεῖν τὴν πίςιν κατὰ τὸν ὅρκον, *fidem ſervare*, prout *iureiurando* ſunt adſtricti. Utrumque locum dat *Georg. Raphelius*, r) ubi in oracula N. Fœderis ex *Polybio* atque *Arriano* commentatur.

VIII. Græcis accedunt *Latini*, qui *fidei* vocabulo pari in re, parique notione, utuntur. Cuius quidem rei teſtes excito formulas loquendi, *ſervare fidem*, *præſtare fidem*, *interponere fidem*. Aliud robur reſidet in illa *iurisiurandi* formula: *Ita me Deus Fidius*: Hunc enim Deum Fidium πίςιον dicit *Halicarnaſſenſis* ille *Dionyſius*, s) quod eleganter inſervit argumento noſtro. Recteque obſervat, ipſa in verſione

 textus

p) *Theſ. Eccl. v.* πίςιν.
q) *Theſ. Gr. Ling. T. III p.* 138.
r) *Annotat. Phil. in N. T. ex Polyb. & Arriano p.* 625. *ſq.*
s) *Lib. I Hiſt. & Lib. IV.*

textus *Pauſaniæ*, *Romulus* ille *Amaſæus*, t) eundem eſſe Romanis Deum Fidium, qui Græcis dicitur ζεὺς ὅρκιος. At, quid hic ſibi velit, neminem præterire exiſtimo. Neque alienus *Tertullianus*, u) ignorantiam accuſans eorum, qui non intelligant, *me Dius Fidius* eſſe *iusiurandum per Herculem*. Relinquitur, ut verba, *Ita me Dius Fidius*, reſolvamus in hæc: *Ita me* adjuvet Deus, qui *Fidei*, a *iurantibus* interpoſitæ, præeſt. *Dius* enim pro *Deus* ſcripſiſſe veteres, ex *Dia Soria* apud *Gruterum*, & ex *Diu Catonis*, probat *Gisb. Cuperus* x). Huc etiam inſcriptionem: FIDV SIMVLACRVM, *Lilius Gyraldus* reſpicere arbitratus eſt, quam *Pet. Appianus* legit, FIDII SIMVLACRUM, cui adverſatur *Cuperus*. y) Salva nihilo minus res ipſa erit. Ad idem argumentum referenda eſt inſcriptio *Aræ* illius, quæ in inſula Tiberina, inter duos pontes, Deo Sabinorum, *Sanco*, qui *iuramentis*, *pactis*, *fœderibus*, præerat, erecta fuit: SEMONI SANCO DEO FIDIO SACRVM, quam *Iuſtinus M.* perperam legit, SIMONI DEO SANCTO, ut recte oſtenſum eſt a Viris doctiſſimis, maxime ab *Anton. Dalenio* z); quamobrem relinquo, quæ pluribus iam ſunt diſputata.

IX.

t) *p. 441.*

u) *De Idolol. Cap. XXII.*

x) *Epiſt. ad Almeloveen.* Vid. *Miſcellaneorum Iberum Vol. III p. 715*; add. *p. 723.*

y) *l. c.*

z) *Diſſ. de Statua Simoni Mago erecta*, in Lib. *de Oraculis p. 579 ſeq.*

IX. Antequam vocabulum Πιϛὸς plane dimittam, excitant me adhuc nonnulla *divinioris Codicis oracula*, ut eorum claritate notionem τῆ πιϛῆ, a me indicatam, confirmem. Horum *tria* exſtant, quæ paucis inveſtigare, meum duco. Principem hic obtineat locum effatum illud *Ioanneum*, in quo Chriſtus Μάρτυς ὁ πιϛὸς auguſta elegantique dicendi ratione ſalutatur. a) *Teſtem* vocat Chriſtum diſcipulus ἔγκολπος, eumque non vulgarem, aut nomine duntaxat, ſed re ipſa, talem, *fidum*, vera incorruptaque *fide* præditum, hoc eſt, *teſtem iuratum*. Redit igitur hoc nomen ad promiſſionem illam, qua Chriſtus, ipſa interpoſita *iurisiurandi* fide, Patri ſancte pollicitus eſt, velle ſe, in adminiſtrando munere prophetico, teſtimonio cœleſtis veritatis ita inſiſtere, ut nulla vi, nullis minis, ab eo ſe patiatur abſtrahi, ſed vel ipſo ſanguine ſuo idem illud confirmet, mortem ob illud oppetat, atque in omni adverſa fortuna, in terris exſpectanda, hanc ſtipulationem perpetuo reſpectet. Ad hoc *iuramentum* Chriſti, *teſtis*, δεῖ illud referendum eſt, quo is utitur, ubi, ſuſcitatus, coram diſcipulis de neceſſitate mortis ſuæ exponit b). Sic de hoc Chriſti *Martyrio*, ad ipſam mortem pertinente, rectiſſime exiſtimavit priſca Chriſtianorum Eccleſia, quæ *Baſilicas* monti *Golgatha* ac *monumento* Servatoris impoſuit, & Μαρτυρίων voce inſcripſit. Nam

a) *Apocal. I, 5.*
b) *Luc. XXIV, 26, 46.*

Conſtantinus M. Imperator Chriſto exſtruxit *Μαρτύριον*, idque *ἀμφὶ τὸ Μνῆμα τὸ σωτήριον, εἰρήνης ἀνάθημα*, teſte *Euſebio* c). Ac meminit *Sozomenus* d) Templi cuiusdam, *περὶ τὸν Κρανίου χῶρον* exſtructi, cui nomen, *μέγα Μαρτύριον*, impoſitum. Non fugit me, diſputari de hoc argumento, utrum *Anaſtaſis* differat a *Martyrio*, utrum *una*, an *duae*, exſtiterint *Baſilicae*, quomodo de loco quodam *Iacobi Sirmondi* ea de re exiſtimare deceat. Quam tamen rem nemo doctius excuſſit *Henr. Valeſio*, in Epiſtola ſingulari, ad amicum data, e) cum qua comparentur, quae ad *Polycarpi* quandam Epiſtolam erudite diſputat Theologus Lugdunenſis, *Stephanus le Moyne* f). Neque vero Chriſti ille titulus, *Μάρτυς πιστὸς*, obſcurus eſſe poterat iis, ad quos Epiſtolam ſuam dederat *Ioannes*, & a quibus intelligi volebat, videlicet VII Aſiae Lydianae Eccleſiis. His enim ſubinde revocat in memoriam mortem Chriſti cruentam, qua Martyr fuerit conſtitutus. Salutat eundem mortuorum primitias. Exhibet eum mortuum olim, iam viventem in aeternum. Obiicit oculis ſanctorum Chriſtum vulneratum, ſpiculisque confoſſum, in prelo torculari ſtantem, totum ſanguine reſperſum. Meminit *σταυρώσεως* Chriſti myſticae, cuius

c) *Lib. IV de Vita Conſtant. M. Cap. 45.*
d) *Hiſtor. Lib. II Cap. XXVI.*
e) *De Anaſtaſi & Martyrio Hieroſolymitano* in fine *Annotat. ad Euſebii H. E. p. 3040 ſq.*
f) *Var. Sacr. T. II p. 422 ſq.*

eiuis reatu Urbs magna contaminetur. Repræſentat agnum Dei, ſed veſtigia clavorum exhibentem. Quis dubitet, vel hunc *Martyris fidi* titulum ab Eccleſiis ea mente, qua excitaverat eum Apoſtolus, fuiſſe acceptum?

X. Alter locus eſt illuſtris ille, in quo Vatum divinorum ſummus, divus *Ieſaias*, g) eleganti dictione חסדי דוד הנאמנים cecinit, quem quidem ipſis *Alexandrinorum* verbis *Paulus* in concione ſua h) expreſſit. Vocat חסדים, quaſi dicas *benignitates*, vel, ſi mavis, *beneficia*, aut, ſi *Guſſetio* i) accedas, *gratuitates*, ſin *Vitringa* k) duce utaris, *effecta ſtudii*, quod tamen, niſi fallor, paulo obſcurius expreſſum, quanquam ipſe, tam in Græca, quam Hebræa, voce latere notionem illam, veriſſimum iudicet. Mihi quidem τῶν ὁσίων hoc in loco interpretatio haud inconcinna videtur, ſi ex iis petatur Scriptorum profanorum locis, in quibus ὅσια accipiuntur pro *officiis*, quæ *vita functis* exhibentur, quæque *iuſta* nuncupare alia voce ſolemus, qua de re *Suidam* alioſque legi apud *Suicerum* l) velim. Neque ſic alienum eſt Hebræorum חסדים, propterea quod ipſi Iudæorum doctores גמלות חסדים de *benignitate*, *mortuis exhibita*,

g) *Ieſ. LV, 3.*
h) *Act. XIII, 34.*
i) *Comment. L. Hebr. p. 273.*
k) *T. I. Comment. in Ieſaiam p. 709.*
l) *Theſ. Eccleſ. v. ὅσιος.*

bibita, uſurpare ſolent m). Eſt etiam illud ab argumento præſenti haudquaquam remotum. Canit enim Vates promiſſiones illas de Meſſia, *Davidi* factas, quibus ſtirps Iſai mortua, exciſa, exſtincta, efflorefcere non ſolum, & ſurculos protrudere, verum & fructus proferre, debebat; quæque ad *Davidis* poſteros, mortuos in peccatis, ſpectabat. Hæ promiſſiones continebant ſpem Meſſiæ, ex ſemine *Davidis* oriundi, qui illius ac *Salomonis* thronum occupare regium, ſibique ſubiectos æternum regere, debebat n). Huius rei ipſe *Ieſaias* commate præcedente 4 interpres exiſtit, ubi producitur שר & נגיד לאמים, qui non alius eſt, quam Meſſias. Sic ipſe explicat, quo חסדי דוד referri velit. Neque obſcura eſt ratio, cur *Paulus*, in urbe Piſidiæ, Antiochia, a Senioribus Synagogæ ad loquendum invitatus, hæc verba in Chriſto, ex mortuis ſuſcitato, impleta dixerit, cum omnis vana fuiſſet promiſſio de regno Chriſti æterno, niſi e mortuis in vitam rediiſſet. Ad noſtrum vero argumentum pertinet inprimis, quod ὅσια illa dicantur πιστά. Id quod eſt ipſum illud באמנים, quo *Ieſaias* eſt uſus. Sunt enim *ſtabilia*, *certa*, *firma*, *immota*. Atque hæc certitudo derivanda eſt ex *iuramento*, quod *Davidi* factum in *Pſalmis* commemoratur נשבעתי לדוד עבדי

m) *Camp. Vitringa de Synag. vetere Lib. III P. I Cap. XII p. 800 ſq.*

n) *2 Sam. VII, 13. 16.* Add. *Miegii* Diſſ. *de Stemmate Chriſti Davidico*, quæ legitur in *Miſcellan. Duisburg. T. II p. 197 ſq.*

עבדי, *iuravi Davidi, ſervo meo* o). Quod alibi idem *veriſſimum iuramentum* dicit, *iuravit Dominus Davidi* אמת *veritatem* p). Alio in loco *iuramentum* vocat per ipſam Dei *ſanctitatem* præſtitum: אחת נשבעתי בקדשי, *ſemel iuravi per ſanctitatem meam* q). Quo certior fuit hæc promiſſio, hoc frequentius pro illam agitavit animo Filius regius, *Salomo*. Hinc in ipſa Templi dedicatione precationem ſupplicem, in atrio Ædis ſacræ, coram labro æneo, inſpectante omni cœtu paſſis manibus, flexisque genibus, recitatam, iis claudit verbis, quibus Deo in animum revocat חסדי דוד, precationem ſanctiſſimam ſic terminans: זכרה לחסדי דויד עבדך, *Recordare benignitatem Davidis, ſervi tui*. Quibus enuntiatis, ignis cœleſtis, in altare deſcendens, conſumit hoſtias, domumque complet glorioſa Dei præſentia r). Sic vocem πίστιν ad ipſum illud *iusiurandum* redire, fidemque promiſſorum repetendam inde eſſe, evictum erit.

XI. Extremo compellit me adhuc gravitas dictionis *Paulinæ* τὴν πίστιν τετήρηκα, s) ut, quid ea hic ſibi velit, breviter inquiram. *Raphelium* t), video, pertinere hæc, ratum eſſe, *ad iusiurandum militum*, fidemque eorum datam, maxime ob

o) *Pſ. LXXXIX*, 4.
p) *Pſ. CXXXII*, 11.
q) *Pſ. LXXXIX*, 36, 37.
r) 2 *Paral. VI*, 42.
s) 2 *Timoth. IV*, 7.
t) *Annot. in N. T. ex Polybio p. 625 ſq.*

ob conformitatem ſermonis *Polybiani*, quod non improbat *Io. Chriſt. Wolfius* u). Illudque non ſpernendum quidem eſt. Præſtat tamen, συνάφειαν intueri ipſius textus, in quo *Paulus* nobis velut athleta ſiſtitur. Ergo πίςεως vox forſan inde repetenda erit, quod alii iam ex parte perſpexerunt. Celeberrimus *Deylingius*, x) cui de *Fide Paulina, non exſtincta*, res eſſe videtur, advocat huc ex *Cœlio Rhodigino* certamen *Lampadromicum*, *Minervæ* ſacrum, quo cum accenſa lampade currendum erat in ſtadio, eaque ita conſervanda, ut, incenſa ſemel, transferri ad alium integra poſſet. De ritu ipſo ex Cel. *Spanhemio* ad *Monellium*, & Doctiſſ. *Laſena*, Italo, diſſerit *Pet. Zornius* y). Quæ non ſine ingenii iudiciique acumine dicta eſſe, nemo non intelligit. Exiſtunt nihilo minus, quibus *Paulus* digitum intendiſſe preſſe videtur ad conſuetudinem quandam athleticam, priſcæ Græciæ receptam, quam diſtincte tradit *Pauſanias*. z) Commemorat is *iusiurandum*, ab *Athletis* Græcorum ante inita certamina præſtari ſolitum, ad ſtatuam Iovis Elii, qui utraque manu fulmen tenet, cuius pedibus ſubiecta eſt tabula ænea, cum verbis diris, peierantes terrentibus, quique ab hoc ipſo actu ὅρκιος nuncupatur. Iurandum hic eſt omnibus, quotquot certamen ſunt ingreſſuri,

μηδὲν

u) *Cur. Phil. ad h. l.*
x) *Obſerv. Sacr. P. II p. 419.*
y) *Bibliotb. Exeget. T. I p. 961 ſq.*
z) *Lib. V p. 441.*

μηδὲν ἐς τὸν ὀλυμπίων ἀγῶνα ἔσεσθαι παρ' αὐτῶν κακούργημα, nihil ſe fraudis patraturos, quo minus Olympici ludi recte fierent. Iurandum iisdem, ſe ita inituros conflictum eſſe, ut ſe exhibeant exercitatiſſimos, decem menſium exercitio defunctos, quod mores Graeciae pariter poſtulabant, ſecundum eundem *Pauſaniam.* a) Jurandum denique & illis eſt, qui tum virorum, in certamen prodeuntium, tum equorum, athletis ſubminiſtrandorum, curam habent, velle ſe, in iudicio de viris illis equisque ferendo, ab omni corruptione per pecuniam longe alienos eſſe, eodem interprete *Pauſania.* Haec adducit ex *Pauſania Pet. Faber* b), quem vero tanta claritate non loqui de certamine ingrediendo, intellexi, quanta ineſt in verbis *Pauſaniae.* Addere tamen liceat ex eodem *Fabro* exempla ſeptem virorum, qui *Toloſanorum* certaminum iudices exiſtunt, & *Manutenti* dicuntur. Hos enim iusiurandum perſolvere in ipſo muneris ſui introitu, teſtatur Vir ille longe doctiſſimus, quem ipſum hic conſuli velim. Redeo ab argumento hoc, non ineleganti, ad locum Apoſtolicum, cui iam lux, ut opinor, inſignis collata eſt. Superaverat, Athletae ſanctiſſimi munere perfunctus, luctam, quam *καλὸν ἀγῶνα* dicit, *bonum certamen*, idque ob *νομίμως, legitime,* c) certantium partes accurate impletas. Conſummave-

a) *Lib. VI p. 514.*
b) *Agoniſt. Lib. III Cap. XXIII p. 326.*
c) *2 Timoth. II, 5.*

maverat curſum, longiorem illum, qui ſtadium ingredientibus ſuſtinendus eſt. Servaverat *fidem*, quam, more Græcorum, interpoſito *iuramento*, dederat, ante conflictum iuſtitutum. Iam nihil ſupererat, quam ut promiſſum coronare præmium, ϛέφανον, non φθαρτὸν, ſed ἄφθαρτον, d) non myrteam, aut oleagineam, ſed glorioſiſſimam iuſtitiæ *coronam*, velut παραθήκην nobiliſſimam, capeſſeret. Quam interpretandi rationem cum non plane remotam eſſe a mente Illuſtris cuiusdam Viri e), intelligerem, vehementer lætabar. Is enim ad *fraudem* medio in certamine, inprimisque ad *ſupplantationem*, dictionem reducit Apoſtoli, cui vero iuramento illo athletico obſiſtere voluerunt. *Quid enim*, inquit, *fidem ſervare, proprie ſit Apoſtolo, leges Agonum doceant, ex iisque Chryſippus, quem laudat Cicero, in faciendo ſpatio connitendum eſſe, ac ſummis viribus elaborandum, ſed nulla fraude ſupplantandi, nullo dolo remorandi eius, quicum concertetur.* Ipſum locum *Tullianum* ſubiicit, quem apud eundem legi velim, brevitatis ſtudioſus.

XII. *Sexto* etiam loco dubitationis omnis expers eſt, Chriſtum, in *expiatione* ſua, *plene perfecteque exſolviſſe ſe omnibus, quæ promiſerat*, in eoque Pontifici Hebræorum, per iusiurandum ſolenne ad id adſtricto, velut Pontificem πιϛὸν, ſimillimum fuiſſe redditum. Hoc ipſe Chri-

d) 1 *Corinth. IX*, 25.
e) *Io. Guil. de Berger* in *Stromat. Acad. p.* 242.

Chriſtus ſponte ſuſceperat, ubi quæſtio agitata in ſenatu S. S. Triados, de medio, humani generis dignitati reparandæ accommodato. Hic Filius Dei, velut יועץ f), *conſilio* ſuo inprimis adfuit, mortemque unius ex auguſtiſſimo Triados Senatu, velut unum medium, propoſuit, quod in memoriam revocare nobis vult Apoſtolus, cui Chriſtus αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος ſalutatur g). Nam, quæ a Philologo ætatis noſtræ Celeberrimo, *Ioanne Alberti*, h) pariter ac B. *Wolfio*, i) de *impetrandi*, *acquirendi*, *promerendi*, ſignificatu, huic verbo adſcripto, obſervata ſunt, tametſi Belgarum, *Caſtellionis* ac *Bezæ*, conſenſu muniantur, ad quem prior Vir doctiſſimus provocat, tum demum admittenda erunt, cum, ut a vi vocis propria diſcedamus, neceſſitas nos urſerit. Venerandus igitur in hoc oraculo Filius eſt ut auctor conſilii & inventor medii, de quo quæſitum erat. Approbatum continuo fuit conſilium a S. S. Triade, ab eaque per Patrem Chriſto commiſſum, ut, qui conſilium dederat, is etiam auxilium ferat. Hinc origo pacti Patrem inter atque Filium, quo Pater poſcit Chriſti obedientiam, eandemque tam activam, quam paſſivam, pro eaque dat promiſſionem cœleſtis gloriæ poſt conſummatos labores, mortemque ſuperatam. Hanc obedientiam ſancte

f) *Ieſ. IX, 5.*
g) *Hebr. IX, 12.*
h) *Obſerv. Philol. in Lib. N. F. p. 429.*
i) *Cur. Phil. & Crit. ad h. l.*

ſancte pollicetur Chriſtus; &, ut det Pater, qui promiſerat, precatur. Refero huc oracula nonnulla divinioris Codicis. Ecce tibi apud Hieropſalten רצין, *voluntatem* Patris, illiusque *executionem* per Filium, voce חפץ expreſſam. k) Compara *Zachariam* l) de *conſilio pacis*, inter *duos* inito. Hi duo non ſunt *Ioſua* ac *Zorobabel*, ut Iudæi nugantur, neque etiam *Iudæi Hieroſolymitani* ac *Babylonii*, quorum de perpetuis diſſidiis conſtat, ut alii rentur, verum *unus* eorum *Vir Zemach* dicitur, *alter Iehovah*. Præterea commemorabilis maxime eſt ille διαθήκης character, quo pactum hoc, Patri intercedens cum Filio, inſignitur, idque in loco duplici. Horum in *uno* Chriſtus ſalutatur κρείττονος διαθήκης ἔγγυος, *melioris fœderis ſponſor* m), cuius vero ſponſio conſiſtebat in receptione præſtandæ conditionis, citra quam ſervari genus humanum non poterat, a Chriſto facta. In *altero* producitur διαθήκη προκεκυρωμένη ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς Χριστὸν n). Conſiderentur hic perſonæ contrahentes, Θεὸς καὶ Χριστός. Expendatur ipſa conventio, ſive διαθήκη, ut intelligatur, non loqui Apoſtolum de executione teſtamenti, a Deo nobis diſpoſiti, ſed de pacto, quo aliquid Chriſto promiſſum. Quamobrem urgenda ſunt verba εἰς Χριστὸν, atque apparebit, non nobis per Chri-

k) *Pſ. XL*, 8.
l) *VI*, 13.
m) *Hebr. VII*, 22.
n) *Gal. III*, 17.

Chriſtum promiſſam eſſe ſalutem, ſed Chriſto-ipſi factas a Patre promiſſiones eſſe, ab eoque in Chriſtum profectas. Ex quibus labefactatur id, quod Remonſtrantes evincere conantur, deſerere potuiſſe Chriſtum ſponſionem, ſemel ſuſceptam, ſi renuntiare voluiſſet gloriæ, a Patre propoſitæ, quod iam examinavit Doctiſſ. *Braunius*. o) Adiicerem alia, niſi ea operoſe enucleata eſſent a Viris doctiſſimis tum noſtratis, tum Reformatorum inprimis, Eccleſiæ. Hoc unum præterire nequeo, pactum illud, Patrem inter atque Filium intercedens, promiſſionemque Chriſti, Patri factam, velut *iuramenti* fide fuiſſe obſignatam. Eo redit ipſa τῆς διαθήκης in utroque oraculorum illorum notio, quæ maxime affinis *iuramento* exiſtit. Docet hoc *Ioann. Elſnerus*, p) ubi, διαθήκην & ὅρκον eadem ſignificandi vi præditam, indicat, propterea, quod olim *fœdera* per *iusiurandum* ſancita. Confirmat illud ex *Alexandrinis*, qui ſubinde ὅρκους & διαθήκας componunt, nonnunquam etiam unum per alterum explicant. Subminiſtrat teſtimonia *Thucydidis* ac *Diodori Siculi*, ubi ὅρκοι cum συνθήκαις coniuncti. Defendit hac ratione Virum Celeberrimum, *Iacobum Elſnerum*, qui in verbis *Lucæ* διαθήκην & ὅρκον per appoſitionem explicave-

o) In *Doctrina Fœderum Vol. I P. III Cap. V p. 287, 288.*

p) In *proflig. Vindiciar. Hornberg. adverſ. Cel. Elſnerum p. 18.*

caverat, *Fœderis*, *hoc eſt*, *Iuramenti*. Quæ tamen, atque alia, ulterius non deducam, ſed ampliori potius Lectoris eruditi meditationi relinquam.

XIII. Neque vero, quod *ſeptimo* ad hunc advocandum eſſe locum cenſeo, exiſtimari a quoquam debet, *iusiurandum* hoc *dignitatem* Servatoris *divinam*, eamque *ſummam*, *reſpuere*; cum ne ipſi quidem *Deo* inſolens ſit, in re maximi ponderis *iurisiurandi* fidem interponere. Iurat Deus per *ſe ipſum*, per *animam ſuam*, per *eſſentiam ſuam*, per *ſanctitatem ſuam*, quando vel promiſſionum, vel comminationum, certitudo declaranda eſt. Ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ, *Paulus* inquit de Deo, cum vellet declarare τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ. q) Hoc minus dubitandum eſt, quin *Filio Dei* idem conveniat, quod generatim *Deo* tribuit Scriptura. Nec deſunt oracula clariſſima de ipſis *Chriſti iuramentis*. Conſpicatur enim Divus *Ioannes* r) *Angelum*, non creatum, ſed Angelum illum fœderis, quem ἰσχυρὸν, *fortem*, *robuſtum*, dicit. Hic nube amictus, iride cinctus, vultu radiante, pedibus, columnis ignis ſimilibus, cum libello aperto comparet, altero pede mari, altero terræ, impoſito. Hoc voce leonina clamante, ſeptem vociferantur tonitrua. Sed idem ille Angelus, ſublata in cœlum manu, verum *iusiurandum* præſtitit, ὤμοσεν, *iuravit*, idque per *Deum æter-*

num,

q) *Hebr. VI*, 17.
r) *Apocal. X*, 1. *ſeq.*

num, *Creatorem univerſi.* Quod quidem iusiurandum confirmatorium erat, quo ſuſtineri debebat ſpes Eccleſiæ, idque ſignificari, *tempus non fore amplius*, hoc eſt, nullam exſpectandam dilationem implementi prophetici, ſed, edito clangore ſeptimo, ſubſecuturam eſſe pacem & proſperitatem Ecceleſiæ. Sic *Daniel s)* Vates, in profundiſſimam raptus ecſtaſin, *Filium Dei* vidit ſub ſpecie viri, lineis induti veſtibus, zona aurea cincti, toti radiantis, verbaque magno cum fragore effundentis. Is ſupra aquas fluvii Chidekel, qui Tigris eſt, conſpicitur, &, ſublata utraque manu, *iusiurandum* ſolenne *per eum*, *qui vivit per ſecula*, perſolvit, quo confirmat finem mirabilium illorum, de quo vir alius, flumini adſtans, quæſiverat, extendendum eſſe ad *unum* tempus, ad *duo* tempora, atque ad *dimidium*, quæ prophetica loquendi ratio tres, cum dimidia quarti parte, annos comprehendit. Accedit ad hæc, quod *Pater* ipſe, pangens cum Filio, *iureiurando* uſus dicatur tam *Davidi*, t) quam *Paulo*, u) id quod etiam ex nomine אלהים, quo Patrem compellat Chriſtus, *Io. van der Wayen* x) probare ſtudet. Iam, cum inferioris ſit, iuramento adſtringi alteri, Chriſtusque, poſt pactum initum, ſervi, Pater Domini, χέσιν induerit; liquidum exinde erit, non adverſari

s) *Dan. X, 4, 5, 6.*
t) *Pſ. CX, 4, LXXXIX, 36.*
u) *Hebr. VII, 20, 21, 22.*
x) *Var. Sacr. p. 766 ſeq.*

verſari actui huic iusiurandum, a Chriſto in Senatu Triados ſacroſanctæ præſtitum, ad generis humani dignitatem reſtituendam.

XIV. Cum in iuramento Sacerdotis Maximi *Suffitus* inprimis more maiorum rite incendendi reſpectus fuerit habitus, hanc etiam Sacerdotalis muneris partem in perſona Chriſti, Pontificis πιςȣ̃, ſine multa difficultate reperimus. Id quod *octavi* atque ultimi fulcri inſtar erit. Teſtis huius rei exiſtit *Ieſaias* y) Vates, ſequentia de Meſſia enuntians: והריחו ביראת יהוה, *Et ſuffire eius in reverentia Iehovæ erit.* Quem locum ampliori nunc illuſtratione proſequerer, niſi peculiarem illi obſervationem conſecraſſem, quam Lector doctiſſimus in his ipſis *Miſcellaneis* inveniet, quem, ut a me diſputata pie expendat, obſervanter rogo.

XV. Confectum iam videtur id, quod demonſtrare ſtuduerain, imaginem Chriſti, Pontificis πιςȣ̃, in iurante Hebræorum Pontifice fuiſſe conſpectam. Video tamen, dum colophonem imponere Diatribæ meditor, alieniorem paulo ab hac loci Apoſtolici interpretatione eam eſſe ſententiam, quam ingreſſus eſt Vir Celeberrimus, multisque in diviniores literas meritis clarus, *Chriſt. Ludov. Schlichterus*, z) quippe qui characterem Ἀρχιερέως πιςȣ̃ ad ſolam *Moſis* perſonam revocat, qui, ſua pro populo rebelli & con-

y) *XV*, 3.
z) *Decim. Sacr. Obſ. XLIIX. p.* 518, 519.

& contumaci deprecatione, Deum benevolum propitiumque reddiderit. Quam quidem opinionem ſuam firmare ſtudet ex *nexu verborum*, ad quem principio ſe recipit. Confert *Caput tertium*, illudque integrum, quo *Moſis* fidelitas perpetuis laudibus celebratur. Videt, in perſona *Moſis*, *Miniſtrum Dei*, cum quo Chriſtus, comparatione ſponte fluente, apprime conferri poſſit. Legit etiam apud *Philonem*, *Moſen* non modo Regis, Legislatoris, ac Prophetæ, verum ipſius etiam ἀρχιερέως, titulo inſigniri. Denique, collationem Chriſti, ἀρχιερέως πιϛοῦ, cum *fidelitate Moſis* clariſſime inſtitui alio in loco, animadvertit. a) Quæ tamen, haud inerudite, neque inſcite, expoſita, nondum compellunt nos, ut ſententiam deſeramus, multis baſibus munitam, & interpretum probatiſſimorum auctoritate firmatam. *Nexus* ſermonis Apoſtolici, ad quem primo loco ſe confert Vir Doctiſſimus, qua ratione comparationem Chriſti ac *Moſis* evincat, haud quidem aſſequi me, fateor. Largior ambabus, Chriſtum a *Paulo* in hac Epiſtola cum *Moſe* comparari frequentius, eidemque præferri, quanquam ideo haud faveam eorum opinioni, qui omne Epiſtolæ huius argumentum in triplici Chriſti prærogativa, ſecundum quam maior *Angelis*, ſuperior *Moſe*, excellentior *Pontificibus Hebræorum*, pronuntietur, conſtituunt, cui opinioni excellentia Chriſti præ *Ioſua*, *Melchiſedeco*, aliis, omnino adverſari videtur.

a) *Hebr. III*, 17.

detur. Hic tamen veriſſime confertur Chriſtus cum *fratribus*, quorum induere naturam, neceſſarium ipſi fuerat, ad perſonam Pontificis, in cruce ſuſtinendam. Sed hi *fratres*, generatim ſpectati, omnes omnino homines ſunt, ſpeciatim *Hebræorum Pontifices*, ex quo præſidium potius accedere nobis videtur. *Capitis III* argumentum ad *Moſen* pertinere, non inficior, maxime cum ipſum illius nomen ibi exprimatur. Contra ea in loco noſtro ad hunc nondum ſe convertit Apoſtolus, cuius perſonam *Capite* demum *III* expendit. *Moſen Dei* exſtitiſſe *miniſtrum*, largior. Nihilo tamen ſecius, cum hic excitetur Ἀρχιερεὺς, cuius perſonam Chriſtus ſuſtineat, conferendus potius videtur is, cui κατ' ἐξοχὴν nomen illud convenit. Accedit, quod *Expiationis* fiat mentio, per ἱλάσκεσθαι expreſſæ, cui reſpondere τὸ כפר Hebræorum, ipſe Cel. *Schlichterus* concedit. At utraque vox in ſacris proprie ad *Pontificem Hebræorum*, illiusque *Expiationem anniverſariam*, reſpicit. *Philonem Moſen* dixiſſe *Pontificem*, haud inficior. Neque tamen ideo ſola huius viri auctoritate moveri aliquis poteſt, ut ſententiæ ſubſcribat. Expetendus potius ex *Codice ſacro* locus erit, quo hac dignitate fuerit condecoratus. Sed hic *Moſes* non tam ut *Pontifex*, quæ dignitas *Aaroni* fratri relinquenda erat, quam ut *Propheta*, conſideratur. Neque obſtat oraculum *Epiſtola ad Hebræos*, a Doctiſſ. *Schlichtero* excitatum, propterea; quod hic comparatio evidentiſſima eſt,

no-

nomenque *Moſis* expreſſum cernitur. Nondum etiam ſuccedit argumentatio, *Moſen* hic eam ob cauſam Ἀρχιερέα πιστὸν ſalutari, quod ibi velut *miniſter Dei* πιστὸς deſcribatur. Cum igitur in oraculo noſtro utraque coniuncta ſit dictio; maiori iure intelligitur is, qui vindicat ſibi utrumque, & *fidei* in munere commiſſo laudem, & *Pontificatus ſacri* dignitatem.

IV.

PAVLI ERNESTI IABLONSKI OBSERVATIO DE ATHOR, NVMINE ÆGYPTIORVM VETERVM, QVOD GRÆCI VENEREM INTERPRETANTVR.

I.

Fuit aliquod vetuſtioribus Ægyptiis Numen ſancte & magna veneratione cultum, quod ipſi ſermone patrio appellarunt *Athor*, Græci vero, qui omnia diverſarum gentium Numina ad Theologiam ſuam referre atque accommodare ſolent, *Venerem* interpretati ſunt. Docet id nos *Orion*, Grammaticus non incelebris, cuius teſtimonio auctor *Etymologici magni* ſæpius utitur, qui & ex eo hæc excerpſit, in voce Ἀθύρ. Ἀθὺρ ὁ μὴν, καὶ τὴν Ἀφροδίτην Αἰγύπτιοι καλοῦσιν Ἀθύρ. Καὶ μῆνα γε τὸν τρίτον τοῦ ἔ-

τȣς ἐπώνυμον ταύτῃ πεποίηκασιν. ὗτως Ὠ-ρίων. *Athyr eſt nomen Menſis. Ægyptii etiam Venerem vocant Athor, & ab eadem tertium anni ſui menſem denominarunt.* Etſi autem, præter *Orionem*, non ſit, quantum ſcio, quisquam alius, qui rem eandem diſertis verbis memoriæ prodiderit; concurrunt tamen alia, quæ teſtimonium hoc eius ſic illuſtrant & confirmant, ut dubitationi locus relictus nullus ſit. Faciunt eo utique verba hæc *Heſychii*: *Ἀθὺρ μὴν καὶ βȣ̃ς παρὰ Αἰγυπτίοις. Athyr. Ita Ægyptiis dicitur & Menſis quispiam, & bos.* Quod ad Menſem attinet, idem iam vidimus tradere *Orionem*. Et eſt ſane res notiſſima, tertium anni Ægytiaci menſem Niligenis dictum fuiſſe *Athyr*; ita enim Græci & Romani vocem hanc ſemper efferre conſueverunt. Laudanda tamen accurata *Orionis* diligentia, qui, quamvis Græci nomen illius Menſis ſcribere ſolerent Ἀθὺρ, obſervare non neglexit, ipſos Ægyptios nomen hoc exprimere per Ἀθὼρ, idque etiam eſſe *Veneris* apud Ægyptios nomen. *Venerem Ægyptii vocant Athor, & ab ea tertium anni ſui menſem donominarunt.* Et certe in Coptorum libris, quos evolvi, omnibus, antiquioribus non minus, quam recentioribus, nomen menſis illius ſemper ſcriptum inveni ΑΘΩΡ, *Athor*, quod induſtriam *Orionis* nobis commendat. Et idem quoque, de ſcriptione huius nominis, in Coptorum libris, monuit venerandus Eccleſiæ Anglicanæ Theologus, *David Wilkinſius*, cui ſtudia Ægyptiaca tantum debent,

debent, in Diſſertatione *de Lingua Coptica*, voce Ἀθύρ. Quando vero *Heſychius* addit, Ægyptios bovem pariter dixiſſe Ἀθύρ, id non de bove naturali intelligendum, qui longe aliud in lingua Ægyptiorum nomen habuit, ſed de bove quodam religione illius gentis ſingulari conſecrato, id eſt, *Venere*, cuius ſimulacrum fuiſſe bovem fœminam, vel vaccam, pluribus oſtendetur §. XIV. Sed omnium optime *Herodotus*, ſcriptor longe antiquiſſimus, obſervationem *Orionis*, de *Athor*, Ægyptiorum Venere, teſtimonio ſuo confirmat. Scribit enim *Lib. II Cap.41*, urbem eſſe in Præfectura Proſopitide, cui nomen fuerit Ἀτάρβηχις, *Atarbechis*, quod ego, uti *) alio tempore iam publice monui, interpretor *Aphroditopolin*, id eſt, *Veneris urbem*. Interpretationis huius argumentum perquam appoſitum *Herodotus* ipſe mihi ſubminiſtrat, quando l. c. de urbe illa hoc commemorat: Ἐν δὲ αὐτῇ Ἀφροδίτης ἱρὸν ἅγιον ἵδρυται. *In illa ſanctum Veneri Templum eſt.* *Strabo*, *Lib. XVII p. 552* (edit. *Caſauboni* de A. 1587) de eadem in Nomo Proſopite loquens, eam appellat Ἀφροδίτης πόλιν. *Herodotus* nobis dederat ipſum Ægyptiacum urbis illius nomen Ἀτάρβηχιν, vel, uti potius **) legere malim, Ἀτάρβηκιν. *Strabo* ſecutus erat Græcos, qui nomen Ægyptiacum interpretati erant Ἀφροδιτόπολιν, non male. Ἀτάρ enim, vel, ut ſcribit *Orion*, Ἀθώρ, eſt ſecundum Græ-

corum

*) In *Exercit. de Remphah p. 77.*

**) Vide *Exercit. de Remphah p. 77.*

ωrum interpretetionem, Ægyptiorum *Venus*. ⲂⲀⲔⲒ porro, *Baki*, ſermone gentis illius avito *urbs* dicitur, ex quo patet, Ἀταρβηχιν eſſe Ἀφροδιτόπολιν, *Veneris urbem*.

II. Sic igitur *Orionis* teſtimonium extra omnem dubitationis aleàm collocavimus. Certum eſt, ſancte Ægyptios coluiſſe Numen quoddam, quod, ex ipſo vernaculo gentis huius ſermone depromtum, Græci modo Ἀτὴρ, modo Ἀθὺρ, modo etiam Ἀθὼρ, ſcribunt, quodque ipſi *Venerem* interpretantur. Hic vero nobis non cogitandum eſt de *Venere* Græcorum, fabulis Poetarum tantopere celebrata, e ſpuma maris oriunda, *Vulcani* uxore, meretricum & libidinum infandarum patrona. Alia utique ratio eſt Numinis illius, quod in Theologia Orientalium celeberrimum fuit, quodque Græci, ubi de eo verba faciunt, *Venerem* nuncupare conſueverunt, quia nempe viſi ſibi ſunt aliquam, inter illud Numen, ſuamque *Venerem*, convenientiam deprehendiſſe. Quoniam vero rationes ſunt, ob quas Numen illud etiam ad *Iunonem* ſuam referri poſſe putent, hinc eſt, quod in eorum libris, nunc *Veneris*, nunc vero etiam *Iunonis*, nomine deſignetur. Ita *Iulius Firmicus Maternus*, Græcos ſine dubio ſecutus, in libro *de errore profanar. relig. p.* 7, *Aſſyrii*, inquit, *& pars Afrorum, aerem — nomine Iunonis, vel Veneris virginis, — conſecrarunt*. Similiter *Plutarchus* in *Vita Craſſi p. 553 fin.* mentionem facit

τῆς

τῆς Θεῶ ταύτης, (Hierapolitanæ) ἦν, οἱ μὲν Ἀφροδίτην, οἱ δὲ Ἥραν νομίζουσι. *Dea illius* Hierapoli in Syria cultæ, *quam alii Venerem, alii vero Iunonem, eſſe exiſtimant. Lucianus* in libro *de Dea Syria* prolixam Deæ huius deſcriptionem dedit, eamque ſemper *Iunonis* nomine inſignit, aſſeverans etiam *p. 902* edit. Salmur. ἀτρεκέει λόγῳ Ἥρα ἐςί. *Eſt re vera Iuno.* Verum ibidem tamen addit, reperiri in ea indicia quoque *Veneris*. Hanc igitur procul dubio innuere quoque voluit *Heſychius*, cuius hanc in Lexico legimus gloſſam: Βήλθης ἡ ἥρα ἢ Ἀφροδίτη *Belthes dicitur Iuno, vel Venus.* Plura, ſi placet, de hac Syrorum Dea videri posſunt apud *Seldenum de D. S. Syntagm. II Cap. II. p. 245, 246.* Hinc ratio petenda eſt, quod vetuſtiores Theologi, qui plurima ab Orientalibus acceperunt, teſte *Plotino Ennead. Lib. VI p. 198 Stellam Veneris* dixerint potius *Stellam Iunonis*, quod teſtimoniis veterum copioſis probant *Henr. Lindenbrogius* in Notis ad *Cenſorinum de Die Nat. Cap. 13 p. 60* edit. Hamburg. & illuſtris *Spanhemius* ad *Callimachum p. 244* & *270.* Obſervatio hæc ab eo argumento, quod hic ornandum ſuſcepi, non aliena eſt. Nam, cum in veterum ſcriptis *Iunonis* Ægyptiæ mentio occurrat non infrequens, & *Herodotus* tamen, qui celebriora in Ægypto templa omnia perreptavit, & in rationes ſacrorum gentis huius diligentia ſcrupuloſa inquiſivit, teſtetur, *Iunonem* Ægyptiis plane incognitam eſſe, *Lib. II Cap.*

50,

ſo, hæc inter ſe alia via conciliari non poſſunt, quam dicendo, *Herodotum* loqui de *Iunone* Græcorum, quam Ægyptii vere ignorabant, alios vero de *Iunone* Orientalium, quam cum *Venere* confundere ſolent. Licebit igitur nobis, ea, quæ veteres de *Iunone* Ægyptiorum obſervant, ad illud Numen referre, quod Ægyptii propria ſua lingua dixerunt *Athor*, Græci vero *Venerem* interpretati ſunt.

III. Obſervatione noſtra hic indignum non eſt, *Venerem* illam & *Iunonem* Orientalium eſſe eandem, quæ & *Urania*, vel *Cæleſtis*, cognomine ornata, toties legitur, ad cuius exemplum deinde Græci *Venerem* quoque ſuam *cæleſtem*, *à πανδήμῳ*, *vulgari*, diſcriminarunt. Aſcalone in Phœnicia templum fuiſſe τῆς Οὐρανίης Ἀφροδίτης, *Veneris Uraniæ*, vel *Cæleſtis*, *Herodotus* literis prodidit *Lib. I Cap. 105.* De eadem hæc habet *Pauſanias* in *Atticis p. 36* edit. *Kühnii: Omnium primi Aſſyrii coluerunt Venerem cæleſtem, poſt Aſſyrios vero* *) *Paphii in Cypro, & Phœnices illi, qui Aſcalonem urbem incolunt, a quibus cultum hunc acceperunt & didicerunt Cytherii.* Pluribus aliis in Oriente populis Numinis huius cultum tribuit *Herodotus Lib. I Cap. 131: Perſæ Uraniæ quoque ſacrificant, ſic nimirum*

*) Quantopere cultus *Veneris* Paphiorum antiquiorum a recentiorum Græcorum cultu *Veneris* diſtulerit, intelligitur ex ſimulacro *Veneris* Paphiæ, de quo *Spanhemius de Uſu Numiſm. p.* 479, 481, edit. in 4to.

mirum ab Aſſyriis & Arabibus edocti. Eamque Uraniam illico poſt *Venerem* nuncupat. *Veneri Aphacitidi*, ad radices montis Libani cultæ, nomen idem fuiſſe, liquet ex *Sozomeno*, qui *Hiſt. Eccleſ. Lib. II Cap. 5* de hac Dea ſcribit: *In Aphacis vero, certo die, ignis, per quandam invocationem e vertice montis Libani decurrens, inſtar ſtellæ, in vicinum amnem ſeſe immergebat. Atque hunc ignem aiebant eſſe Uraniam; ita enim ipſi Venerem appellant.* Quid pluribus, in re eruditis non ignota, opus eſt? Mea tamen intererat, id non in univerſum tacitum præterire. Nam hocce *Uraniæ*, vel *Cæleſtis*, cognomen ſpectare etiam ad Ægyptiorum *Venerem*, vel *Athor* ſigillatim, ab *Æliano* edocemur *de Animal. Lib. X Cap. 27.* Verba eius adſcribo: Κώμη Αἰγυπτία Χουσαὶ τὸ ὄνομα, τελεῖ δὲ εἰς Ἑρμουπολίτην νομόν: ἐν ταύτῃ σέβουσιν Ἀφροδίτην, οὐρανίαν αὐτὴν καλοῦντες. *Eſt in Ægypto vicus, quem Chuſas nominant, is ad Præfecturam Hermopolitanam pertinet. Venerem illic religioſe colunt, eamque Uraniam nuncupant.*

IV. Quænam autem fuerit Numinis huius, ab Orientalibus omnibus tanta religione concelebrati, vera & intima ratio, aut quidnam Theologi antiquiſſimi, qui Numinis huius cultum populis tradiderunt, eo deſignare voluerint, explicatu perquam difficile eſt. Nam, quæ ea de re, à veteribus ſcripto conſignata leguntur, talia ſunt, ut fateri oporteat, parum amice inter ſe conſpirare. Sunt permulti, qui Numen iſtud, Orien-

Orientalibus tam venerabile, Lunæ ſymbolum fuiſſe opinentur, quam certe gentes olim cunctæ, ut terræ noſtræ beneficam quandam Matrem, cultu religioſo celebrarunt. De *Iunone* Carthaginienſium, quæ haud dubie originis eſt Phœniciæ, *Herodianus* obſervat *Lib. V p.* 121 edit. *Steph.*: Λίβυες αὐτὴν Οὐρανίαν καλοῦσι. φοίνικες δὲ Ἀστροάρχην ὀνομάζουσι, σελήνην εἶναι θέλοντες. *Afri eam Uraniam vocant, Phœnices* **) *Aſtroarchen, Lunam eſſe affirmantes. Oppiano*, blandienti *Domnæ*, uxori *Septimii Serveri* Imp. Numen illud dicitur in initio *Cynegetic.*:

Ἀσσυρίη Κυθέρεια καὶ μὴ λείπουσα Σελήνη.
Aſſyria Venus, & non delinquens Luna.

Plura, ne argumento, ſæpius a Viris doctis perpolito, diutius inhæream, dabunt *Seldenus de Diis Syris Synt. II Cap. II & IV*, & *Voſſius de Idol. Lib. II Cap. XXI, XXII.* Quodſi vero alios hic in conſilium adhibeamus, audiemus, Numen hoc populis ad Orientem ſitis nihil aliud, quam *Planetam Veneris*, deſignaſſe. De Eluſa, urbe Idumææ, ſcribit *Hieronymus* in *Vita Hilarionis Oper. Tom. IV Part. II col. 82* edit. *Martian. Pervenit Eluſam, eo forte die, quo anniverſaria ſolennitas omnem oppidi populum in Templum Veneris congregaverat. Colunt autem illam ob Luciferum*, (Veneris Stellam,) *cuius cul-*

tui

**) Subinnui credo *Aſtarten*, celeberrimam Phœnicum & Syrorum Deam. Ita etiam videtur *Voſſio de Idololatr. Lib. II Cap. 24 fol. 215.*

tui Saracenorum natio dedita eſt. De hoc Saracenorum cultu *Luciferi*, poſt viros undecunque doctiſſimos, *Seldenum de Diis Syris Synt. II Cap. IV*, *Pocockium Specim. hiſtoria Arabum p. 111, 112*, &c. & *Relandum de Relig. Mohammed. p. 155, 156*, &c. quis plura afferre in animum induxerit? De *Aſtarte* Phœnicum & Syrorum *Suidas*: Ἀςάρτη ἡ παρ' Ἕλλησιν Ἀφροδίτη λεγομένη, ἐκ τȣ̃ ἄςρȣ τὴν ἐπωνυμίαν πεποιηκόσιν. *) αὐτῆς γὰρ εἶναι τὸν ἑωσφόρον μυθολογȣ̃σιν. *Aſtarte. Dea, quam Venerem vocant Græci, nomen hoc ei cum reſpectu ad ſtellam indentes. Fabulantur enim, eam eſſe Luciferum.* Omnibus populis, tractum illum Syriæ, & regiones Aſiæ minoris, habitantibus, cultum hunc tribuit *Proclus*. Hinc in Paraphraſi Tetrabibli *Ptolemæi Lib. II p. 97*, quæ *Ptolemæus* de *Venere* dixerat, ad ſtellam *Veneris* ſic refert: Οἱ ἐν ταῖς χώραις ταύταις σέβȣσι μὲν ὡς ἐπὶ πολὺ τὴν ♀ ὡς θεῶν μητέρα, διαφόροις αὐτὴν καὶ ἐγχωρίοις ὀνόμασιν ὀνομάζοντες. *Earum incolæ fere ubique Stellam Veneris, quaſi Deorum Matrem, ſupplices venerantur, variis indigeniſque nominibus inditis.* Erant etiam ex vetuſtis Theologis, qui, *Venerem* illam ſymbolum eſſe hemiſphærii ſuperioris, non ſine probabili ratione diſputarent. Argumentum hoc late perſequitur *Macrobius Saturn.*

*) Ita in editione mea, Græca *Frobeniana*, ſcribitur. Melius forte legeretur Αὐτήν. Et ſic verti. Aut poſſet ſignificare, *Aſtarten* eſſe Numen, in cuius poteſtate ſit *Veneris* ſtella.

Saturn. Lib. I Cap. 21, ex quo nos pauca quædam tranſcribemus. *Nam*, inquit, *Phyſici terræ ſuperius hemiſphærium, cuius partem incolimus, Veneris appellatione coluerunt; inferius vero hemiſphærium terræ Proſerpinam vocaverunt. Ergo apud Aſſyrios, ſive Phœnicas, lugens inducitur Dea: quod Sol annuo greſſu, per duodecim ſignorum ordinem pergens, partem quoque hemiſphærii inferioris ingreditur — & cum eſt in inferioribus, & ideo dies breviores facit, lugere creditur Dea, tanquam ſole raptu mortis temporalis amiſſo, a Proſerpina retento.* Et pluſculis interiectis: *Simulacrum huius Deæ in monte Libano* (loquitur de *Venere Aphacitide*) *fingitur capite obnupto, ſpecie triſti — Quæ imago, præter quod lugentis eſt, uti diximus, Deæ, terræ quoque hyemalis eſt* &c. Qualia de *Venere* ſua memoriæ quoque prodidiſſe Sacerdotes Ægyptiorum, infra obſervabimus §. XII. Omitto alia, ne iuſto prolixior eſſe videar, hoc unico tantum obſervato, non defuiſſe etiam, qui Deam illam, de qua nunc loquimur, nobis ut ipſam naturam rerum repræſentarent, teſte *Plutarcho* in *Vita Craſſi p.* 553 *fin.* ubi de Dea Syrorum Hierapolitana hunc in modum diſputat: Ἣν οἱ μὲν Ἀφροδίτην, οἱ δὲ Ἥραν, οἱ δὲ τὴν ἀρχὰς καὶ σπέρματα πᾶσιν ἐξ ὑγρῶν παρασχοῦσαν αἰτίαν καὶ φύσιν νομίζουσι, καὶ τὴν πάντων εἰς ἀνθρώπους ἀρχὴν ἀγαθῶν καταδείξασαν. *Quam Venerem quidam, alii Iunonem, nonnulli eam, quæ incunabula & ſemina omnibus ex humido præbuit, cauſam & naturam*

turam arbitrantur eſſe, & quæ principium omnium bonorum, quæ in homines redundant, ipſis commonſtravit.

V. Etſi autem Phyſici & Theologi Orientales ſententiis, de *Venere* ſua, tantopere a ſe differrent; ex iis tamen, quæ attuli, liquere poteſt, quam ob cauſam in eo conſentirent omnes, ut eam nomine *Cœleſtis* gentibus colendam proponerent. Ex teſtimonio porro *Ptolemæi*, eiusque Paraphraſtæ *Procli*, quod §. IV adduximus, non obſcure colligitur, Orientales Numen illud ipſum ut Matrem Deorum conſimiliter veneratos fuiſſe. Et in hoc magnus eorum obſervari poterit conſenſus. Quem, quæſo, fugit, celebrem illam *Deam Syriæ*, quæ per totum fere Orientem quaquaverſum templa & altaria habuit, uti nec minus *Cybelen*, vetuſtiſſimum Phrygiæ Numen, nomine *Matris Deorum*, tanquam proprio, ſalutari & nuncupari conſueviſſe. Quod quomodo intelligendum atque explicandum ſit, *Simplicius* ita declarat in *Ariſtotelis Lib. IV Auſcult. Phyſ. p. 150 a*: Δίο καὶ τὴν Συρίαν *) Ἀταράτην τόπον θεῶν καλοῦσιν, καὶ τὴν Ἶσιν οἱ Αἰγύπτιοι, ὡς πολλῶν θεῶν ἰδιότητας περιεχούσας. *Idcirco etiam Deam Syrorum Atergatin vocant* **) *locum Deorum, uti & Ægyptiis Iſin ſuam,*

*) Emenda Ἀταργάτην, vel Ἀταργάτιν.

**) *Orpheo*, aliisque vetuſtis Græcorum Theologis, *locus Deorum*, & *Mater Deorum*, idem ſignificabat.

ſuam, eo quod plurimorum Deorum proprietates in ſe comprehendant. Non minus ex iis, quæ hanc in rem attuli; ſubodorari pronum eſt, voluiſſe veteres Numine illo noſtro, totam veluti Naturam rerum, aut Naturæ Parentem, adumbrare. Illuſtris eſt eam in rem locus *Plutarchi*, §. ſuperiori deſcriptus, quem hic non repeto. Sic etiam *Iſidem nihil aliud eſſe, quam terram, naturamve rerum*, *Macrobius* aſſerit *Saturnal. Lib. I Cap. 21.* Quem in ſenſum *Apuleius* quoque in principio *Lib. XI Metamorph. Iſidem* ſic alloquitur: *Seu tu, cæleſtis Venus, quæ primis rerum exordiis ſexuum diverſitatem generato amore ſociaſti.* Apud eundem in ſequentibus *Iſis* ipſa de ſe hæc prædicat: *En aſſum — rerum natura parens, elementorum omnium domina, ſeculorum progenies initialis, ſumma Numinum, regina Manium, prima Cælitum, Deorum, Dearumque facies uniformis:* Quibus poſtremis verbis Auctor inprimis eruditus id videtur voluiſſe ſignificare, quod vetuſtioribus Theologis per *locum*, & *Matrem Deorum*, ſubinnuere placuit. Vetuſtiſſimæ huius Theologiæ veſtigia ſatis luculenta paſſim apud antiquos, tum Philoſophos, tum Poetas, ipſorum etiam Græcorum & Romanorum, reperiuntur. Inde arceſſenda eſt ea *Veneris* interpretatio, quæ apud *Ciceronem* reperitur *de Nat. Deor. Lib. II Cap. 27: Quæ autem Dea ad res omnes veniret, Venerem noſtri nominarunt.* Ab his non abludunt illa *Ovidii Faſtor. Lib. IV v. 91 ſeq.:*

Illa

Illa (Venus) totum digniſſima temperat orbem:
Illa tenet nullo regna minora Deo:
Iuraque dat cœlo, terræ, natalibus undis,
Perque ſuos initus continet omne genus.
Illa Deos omnes (longum numerare) creavit,
Illa ſatis cauſas arboribusque dedit.

A pluribus conquirendis, ne tædium Lectori pariam, libenter abſtineo. Quod vero, qui in his unum idemque ſentiebant, in aliis tamen diverſa ſectati fuerint, mirum nemini videri debet. Id enim non apud Orientales modo, verum apud Græcos etiam ac Romanos, uſu veniſſe novimus, ut opiniones de rebus divinis, & ſacrorum cerimoniæ, labentibus annis, varias ſubirent mutationes, & a primæva inſtitutione paulatim vehementer degenerarent, cuius rei rationes ſagacibus rerum æſtimatoribus obſcuræ eſſe non poſſunt; quare illis inveſtigandis iam non immorabor.

VI. Propius nunc ad *Venerem* Ægyptiorum, quam ipſi ſermone vernaculo *Athor* nuncuparunt, accedamus. Et primo quidem de vera nominis huius etymologia & ſignificatione genuina erimus ſolliciti. Ea namque feliciter eruta, viam ad reliqua tanto faciliorem & certiorem aperiet. *La Crozius*, ὁ μακαρίτης, cuius exquiſita eruditio, & magna, in his præcipue rebus, peritia, ab omnibus laudatur, aliquando ad me ſcribens, ſuſpicabatur, nomen Ἀθὼρ Ægyptiis deſignaſſe *Planetam Veneris*, *Theſ. Epiſt. Tom. III p. 159.* Et ego quoque in literis ad eun-

dem, alia occaſione ſcriptis, a tali ſententia tum quidem me non alienum oſtendi, *T. I p. 177:* Verum utrique noſtrum eo tempore in mentem non venit luculentum teſtimonium *Achillis Tatii (in Uranologio Petavii) p. 136*, ex quo clare conſtat, Ægyptios Planetis alia longe nomina indidiſſe, quam Græcos. Qualenam nomen gens hæc *Veneris* Planetæ tribuerit, ignoramus quidem; nam id vitio librarii, uti credi par eſt, loco illo excidit. Sed id tamen certo ſcitur, Planetam hunc ab Ægyptiis non *Veneri*, ſed alii cuipiam Numini, attributum fuiſſe. Miſſis iam aliis, quæ de nomine Ἀθὼρ aut dicta forte ſunt, aut dici etiam poſſent, mea quidem ſententia, Ἀθὼρ, literis Ægyptiorum expreſſum, erit ⲉ̇ϫⲱⲣϩ id eſt, *nox*, qua voce Coptis nihil eſt tritius, aut frequentius, eaque in libris eorum, editis manuque exaratis, ſexcenties occurrit. Litera ſecunda vocis huius ϫ, ab Ægypti incolis hodieque, ut *th* Anglorum, vel ut *g* Gallorum, ante *e*, aut *i*, pronuntiatur, cumque in Alphabeto Græcorum non occurrat litera, ſonum hunc plene exprimens, ab illis vel per ϑ, vel per γ, vel alio etiam modo, efferri ſolet. Vix igitur vox Ægyptiaca melius, quam ſic *Athorh*, Græce Ἀθὼρ, ſcribi potuit, eaque de cauſa ſcriptionem iſtam huius vocis, ab *Orione* nobis ſuppeditatam, reliquis, de quibus §. I & II dictum, omnino præferendam eſſe cenſeo. Ut autem rationes, quæ apud me effecerunt,

ut

ut hanc vocis Ἀθὼρ originationem veram & certam iudicem, ordine exponam, oſtendam primo, gentes fere omnes, nec minus antiquiores Græcos, ac denique ſigillatim Ægyptios, *Noctem*, ceu Numen potens & magnum, eximia veneratione coluiſſe, & idem illud Numen nomine quoque *Veneris* inſigniri conſueviſſe.

VII. *Noctem* inter præcipua gentium Numina locum habuiſſe, & a populis propemodum omnibus religioſe cultam fuiſſe, neminem, qui ad inveſtigandam gentium antiquiſſimarum Theologiam animum unquam appulit, latere poteſt. Ex Phœnicum Theologia hæc aſſert *Euſebius Præpar. Evang. Lib. I Cap. 10:* Εἶτα φησὶ γεγενῆσθαι ἐκ τȣ̃ κολπία ἀνέμȣ καὶ γυναικὸς αὐτȣ̃ Βαάυ, τȣ̃το δὲ νύκτα *) ἑρμηνεύειν, **) αἰῶνα καὶ πρωτόγονον, θνητȣ̀ς ἄνδρας, ȣ̆τως καλȣμένȣς. *Tum ſcribit* Sanchoniathon Phœnix, *ex Kolpia vento, atque uxore eius Baau, quod interpretatur Noctem, Ævum, ac Primogenitum, mortales utrumque procreatos.* Verba huius Fragmenti, κολπία & Βαάυ, eſſe Hebraica, קול פי יה, *vox oris Dei*, & בהו, *inane*, atque ex hiſtoria creationis *Moſaica* deſumta, dudum viri eruditiſſimi animadverterunt. Vide, ſis, *Bocharti Geograph. Sac. Part. II*

*) Videtur legendum eſſe ἑρμηνεύειν, & ſic verti.

**) In *Theologia Orphei Phanes* & πρωτόγονος unum ſunt. *Phanes* vero eſt αἰὼν, *Ævum*. Id enim Ægyptiis ſignificat ϥENEϨ *Phaneh*. Hinc *Orphei Phanes*.

Lib. II Cap. 2. De *Sanchuniathone*, auctore huius Fragmenti, iam non diſputabo, ſitne auctor genuinus, an ſuppoſitus; verum de eo tamen dubitari iure nequit, quin traditio, in Fragmento illo relata, ex priſca atque genuina Phœnicum Theologia dimanaverit. Nam ex *Eudemo*, qui *Mochum*, ſcriptorem gentis Phœniciæ perantiquum, ſecutus eſt, ſimilia fere, etſi aliis verbis concepta, de Phœnicum Theologia affert *Damaſcius*, in eximio Fragmento libri *de Principiis*, quod beatus *Wolfius*, Hamburgenſis, in *Anecdotis Græcis Tom. III* edidit, ubi *p. 260* hæc occurrunt: Αἰθὴρ ἦν τὸ πρῶτον καὶ ἀὴρ, αἱ δύο *) ἆυται αρχαί. ἐξ ὧν γεννᾶται Οὐλωμὸς ὁ νοητὸς θεός. *Æther erat primum atque aer, duo Mochi principia, ex quibus gignitur Ulomus, Deus intellectualis.* Quod in hiſtoria Moſaica *Gen. I, 2*, dicitur רוח אלהים, *ſpiritus Dei*, vel *ventus Dei*, id *Sanchuniathon* appellavit *Ventum Kolpia* קול פי יה. Idque ipſum *Mochus* nuncupat *Ætherem.* Vocem *Moſaicam* בהו, *inane*, retinuit *Sanchuniathon*, eamque interpretatus eſt νύκτα, *noctem*, fecitque eam uxorem *Kolpia.* Illam *Mochus* vocat *Aerem.* Poteſt hoc ex eo illuſtrari, quod, teſte *Seneca Natur. Quæſt. Lib. III Cap. 14*, Ægyptii *aerem marem iudicaverint, qua ventus eſt:* (hic eſt *Kolpia Sanchuniathonis* & *Æther Mochi*,) *fœminam vero, qua nebuloſus & iners.* Hæc eſt *Nox Sanchu-*

niathonis

*) Forte legendum ἀυτȣ̃, *ipſius*, nempe *Mochi.* Ita in verſione expreſſi.

niathonis, & *Aer Mochi*. Ex *Kolpia* & *Nocte*, ſecundum *Sanchuniathonem*, naſcitur *αἰών*, *Aevum*, ſecundum *Mochum* vero ex *Æthere* & *Aere*, *Ulomus*. Et quis in hoc *Ulomo* non illico agnoſcat Hebræorum עולם, id eſt, *αἰῶνα*, *aevum*? Etſi igitur verbis inter ſe differant *Sanchuniathonis* & *Mochi*, Phœnicum, *θεολογέμενα*, in re ipſa tamen amice concinunt, nobisque *Noctem*, ut principium, ſeu Numen Orientalium, repræſentant. Mitto alia huius rei veſtigia, in Orientalium Theologia & cultu reperiunda, quoniam paulo obſcuriora ſunt.

VIII. Plura dabit nobis Græcia, quæ temporibus antiquiſſimis, ex præſcripto *Orphei*, ut auguror, & aliorum huius generis Theologorum, qui ex fontibus Orientalium ſua hauſerant, templa *Nocti* non infrequentia conſecravit. Vetuſtum Deæ huius Oraculum Delphicum memorat auctor argumenti *Pythiorum Pindari p. 85* edit. *Steph.*: Ὁ Ἀπόλλων ἔμαθε καὶ τὴν μαντικὴν τέχνην ὑπὸ τῦ Πανός. Εἶτα ἔρχεται ἐπὶ τὸ μαντεῖον, ἐν ᾧ πρώτη νὺξ ἐχρηματίσησεν εἶτα Θέμις. *Apollo etiam a Pane artem vaticinandi didicit. Deinde ad Oraculum* (Delphicum) *accedit, ubi Nox omnium prima conſulentibus reſponſa dedit, ac poſtea Themis*. Megaris etiam *Pauſanias* in *Atticis p. 97 fin.* collocat τὸ τῆς νυκτὸς καλέμενον ἐπιμαντεῖον, *illud, quod Noctis appellatur, Oraculum*. In templo *Dianæ* Epheſiæ Noctis quoque ſimulacrum viſendum erat, teſte eodem *Pauſania* in *Phocic. p. 897*: Καὶ γυναικὸς εἰκὼν πρὸς τῷ πέρατι

ἕστηκε — νύκτα δὲ οἱ Ἐφέσιοι καλοῦσι. Eſt & fœminæ cuiusdam effigies in extremo ſepto — Noctem Epheſii vocant.

IX. Verum, ut diſtinctius intelligatur, cuiusnam indolis Numen illud fuerit, quod antiquior Græcia paſſim adoravit, conſulere oportet Poetas Græcos, ac inprimis eorum Theogonias & Coſmogonias; ex illorum namque lectione conſtabit, quam venerabilis etiam Græcorum genti Dea Nox fuerit. *Heſiodus* ita de ea canit in *Theogonia v. 123:*

Ἐκ χάεος δ' Ἔρεβός τε μέλαινά τε Νὺξ ἐγένοντο.
Νυκτὸς δ' αὖτ' Αἰθήρ τε καὶ Ἡμέρη ἐξεγένοντο.

Ex Chao vero Erebusque, nigraque Nox, editi ſunt,
Ex Nocte porro Ætherque & Dies prognati ſunt.

Idem in *Oper. & diebus v. 17:*

Τὴν δ' ἑτέρην προτέρην μὲν ἐγείνατο νὺξ ἐρεβεννή.
Alteram vero (contentionem) *priorem genuit Nox obſcura.*

Iungendus huic *Ariſtophanes*, qui Philoſophorum de origine rerum placita hunc in modum refert in *Avibus p. 573* edit. Genev.:

Χάος ἦν καὶ νὺξ. ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον. καὶ τάρταρος εὐρύς.
Γῆ δ' οὐδ' ἀὴρ, οὐδ' οὐρανὸς ἦν. ἐρέβους δ' ἐν ἀπείροισι κόλποις

Τίκτει

τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον νὺξ ἡ μελανόπτε-
ρος ὠὸν
ἐξ οὗ περιτελλομέναις ὥραις ἔβλαστεν Ἔρως ὁ
ποθεινός.

Chaos erat & Nox, nigerque Erebus primum & ingens Tartarus.

Terra vero nondum erat, neque aer, neque cœlum: immenſis autem ſinubus Erebi.

Nox alas nigras habens primum omnium parit ovum ſubventaneum,

Ex quo revoluto certo tempore emerſit gratus Amor.

Comico huic alium adiungimus, *Antiphanem*, ex cuius *Theogonia*, nunc deperdita, hæc refert *Irenæus contra hereſ. Lib. II Cap.* 14 init. ed. *Maſſueti: Antiphanes in Theogonia, de Nocte & ſilentio Chaos emiſſum, dicit, dehinc de Chao & Nocte cupidinem, & ex hoc lumen, dehinc reliquam ſecundum eum primam Deorum geneſin.* Pertinet itaque nox, ſecundum vetuſtos Theologos; ad primam Deorum principum geneſin. Hæc autem Poetas vere deſumſiſſe ex antiquorum Theologorum & Philoſophorum placitis, liquet abunde ex illis *Ariſtotelis Metaphyſ. Lib. XII Cap. 6:* Καίτοι εἰ ὡς λέγουσιν οἱ ἐκ νυκτὸς γεννῶντες, ἢ ὡς οἱ φυσικοὶ, ἦν ὁμοῦ πάντα χρήματα. *Quamvis ſi, ut dicunt Theologi, qui omnia ex nocte producunt, vel, ut Phyſici, omnia ſimul erant mixta.* Hinc iam ratio in promtu

eſt,

eſt, cur Poetæ *Noctem* ſoleant appellare *antiquam*. Ita *Orpheus*, vel quiſquis auctor eſt hymnorum, ipſi tributorum, in *Voto ad Muſæum* *v.* 24:

Νύκτά τε, πρεσβίστην καλέω.
Noctemque ſenem voco.

Et *Aratus* in *Phænomenis* *v.* 407:

Ἀλλ' ἄρα καὶ περὶ κεῖνο θυτήριον ἀρχαίη νὺξ
Ἀνθρώπων κλαίουσα πόνον,
Sed & per hanc aram primæva nox
Hominum deplorans labores.

Ad quæ verba *Theo*, vetus interpres Græcus, hæc annotavit: *Eſt enim Diis antiquior, ut Heſiodus canit.* Nam ſane ex Nocte, ſecundum Theologos, omnia generata ſunt.

X. Nuſpiam vero frequentior *Noctis* mentio occurrit, quam apud Orphicos, qui illam inter principia rerum omnium ponunt, uti ex *Procli* in *Timæum Platonis* Commentario, ex eiusdem Libris *de Theologia Platonica*, & ex Fragmentis *Damaſcii de Principiis*, a *Wolffio* editis, plus ſatis perſpici poteſt. Et ſane ad abſtractiones, ſubtilitates, & ideas Theologiæ illius philoſophicæ, quam Orphici excoluerunt, Numen illud tantum pertinet. Doctrinam *Orphicam* paucis hunc in modum exponit *Timotheus*, Chronographus, apud *Syncellum*, & *Euſebium* in Græco *Chronico Scaligeri* *p.* 4, & ex eo *Suidas* in voce Ὀρφεύς. Ἐξ ἀρχῆς ἀνεδείχθη τῷ κόσμῳ ὁ αἰθὴρ,

θὴρ, ὑπὸ θεοῦ δημιουργηθής. ἐντεῦθεν δὲ κἀκεῖθεν τοῦ αἰθέρος ἦν χάος καὶ νὺξ ζοφερὰ, πάντα δὲ ἐκάλυπτε τὰ ὑπὸ τὸν αἰθέρα, σημαίνων, τὴν νύκτα πρεσβεύειν. *Ab initio apparuit in mundo æther a Deo productus. Inde vero ex Æthere natum eſt Chaos & Nox caliginoſa, hæc vero omnia, quæ erant ſub Æthere, obtexit, quo innuere voluit Orpheus, noctem aliis rebus priorem eſſe.* Additur ibidem ex *Orpheo*, cunctis his priorem & ſuperiorem fuiſſe Opificem ſupremum & incomprehenſibilem. Vera tamen & genuina antiquiſſimi huius Græcorum Theologi doctrina de rerum origine ab omnibus non eodem modo repræſentabatur. Peripatetici Theologiæ *Orphicæ* hanc indolem eſſe volebant, noctem præcedere res omnes, neque illa priorem, aut antiquiorem, eſſe Mentem divinam, cuncta ordinantem & creantem. Ἀπὸ τῆς νυκτὸς ἐποιήσατο τὴν ἀρχήν. *Theologia Orphica noctem rerum omnium principium conſtituit, nullumque aliud prius agnoſcit.* Vide *Damaſcium de Principiis* (in *Wolffii Anecdotis Tom. III*) *p. 256.* Secundum Platonicos vero in Θεολογουμένοις *Orphei* ad Noctem accedit aliud principium, illa prius, Mens nempe divina æterna, quæ, mediante & interveniente Nocte, omnia producit. Et *Platonicis* utique vehementer favent Poemata illa *Orphica*, quæ ſub nomine *Orphei*, a veteribus Grammaticis, Hiſtoricis, Philoſophis cummaxime, & ſæpe etiam a Chriſtianis, in teſtimonium advocantur, quorum-

cumque Fragmenta, ex variis Scriptoribus collecta, ediderunt *H. Stephanus* in *Reliquiis Poeſeos philoſophica*, & *Andr. Chriſt. Eſchenbachius* in *Epigene Orphico;* ſed quibus permulta adhuc addi poſſunt. Verum difficile non eſt aſſequi, Peripateticos Poemata hæc contemſiſſe, iisque fidem omnem denegaſſe. Exſtabat ceteroquin in Orphicis illis Poematibus Dialogus *Noctis* & *Iovis*, de quo conſuli poteſt *Eſchenbachius* in *Epigene p.* 79 &c. In illo Opifex mundi introducitur Noctem ita alloquens:

> Μαῖα θεῶν ὑπάτη, νὺξ ἄμβροτε, πῶς τάδε φράζεις,
> Πῶς χρή μ' ἀθανάτων ἀρχὴν κρατερόφρονα θέσθαι;
> Πῶς δέ μοι ἕν τε τὰ πάντ' ἔςαι καὶ χωρὶς ἕκαςον.

> *Nutrix Deorum ſumma, Nox immortalis, quomodo hæc dicis:*
> *Qua ratione oportet me Deorum immortalium originem prudenter ponere?*
> *Et qua ratione efficiam, ut omnia ſint unum, & eorum tamen quodque ſeorſim exiſtat.*

Reſpondet tum Nox:

> Αἴθερι πάντα πέριξ ἀφάτῳ λάβε, τῷ δ' ἐνὶ μέσσῳ
> Οὐρανὸν, ἐν δέ τε γαῖαν ἀπείριτον, ἐν δὲ θάλασσαν
> Ἐν δέ τε τείρεα πάντα τάτ' ὠρανὸς ἐςεφάνωται.

Omnia

Omnia æthere immenſo circumda, & in eius medio
Loca cælum, in hoc vero terram interminabilem, & mare
Et aſtra omnia, quibus cælum eſt coronatum.

De eadem Nocte ex *Orpheo* hæc obſervat *Proclus Lib. II in Timæum p. 99:* Διὸ καὶ ἑνȣ̃ται πρὸς ἐκεῖνον (πρωτόγονον) ὁ Ζεὺς, διὰ μέσης τῆς νυκτὸς, καὶ πληρωθεὶς ἐκεῖθεν γίγνεται κόσμος νοητός. *Idcirco enim unitur Protogono,* (vel *primogenito*, quem etiam *Phanetem* vocant *Orphici,*) *Iupiter,* *) *mediante Nocte, atque ex eo complementum accipiens gignitur mundus intellectualis.* Idem *Lib. V p. 293* ait, *Phanetem* primogenitum, & Noctem εἶναι ἡνωμένȣς ἀλλήλοις, *ſibi invicem eſſe unitos.* Idem denique *Lib. II p. 101* ſatis oſtendit, quam antiqua in Theologia Orphica cenſeretur Nox, cum obſervat: Ὅμηρος δὴ πατέρα τῶν ὅλων αὐτὸν ἀποκαλεῖ, καὶ ὕπατον κρειόντων, καὶ ταῦτα τῶν πρὸ αὐτȣ̃ μεμνημένος θεῶν μέχρι καὶ αὐτῆς τῆς νυκτός. *Homerus ſane* opificem mundi *Patrem omnium appellat & ſupremum Deorum, quamvis etiam Deorum, qui ante ipſum fuerunt, meminerit, usque ad ipſam Noctem.*

XI.

*) Talem hic fere Noctem repræſentant *Orphici*, qualem nobis veterum Romanorum *Venerem* deſcribit *Cicero de Nat. Deor. Lib. II Cap. 27: Quæ Dea ad res omnes veniret, Venerem noſtri nominarunt.*

XI. Ab *Orpheo* nunc tanto libentius ad ipſos Ægyptios tranſeo, cum ex conſenſu totius antiquitatis certum atque exploratum ſit, Poetam illum Theologum, in Ægypto ſcientiis ſacris imbutum, ibique initiatum, poſtea, quæ a Sacerdotibus Ægyptiis didicerat, Græcis tradidiſſe. Dubitari itaque non poteſt, quin etiam hanc ſuam de Nocte doctrinam Ægyptiorum Sacerdotibus in acceptis tulerit. Et profecto in ipſorum Theologia, uti eam vel Græci, interpretes non ſemper fideles & accurati, nobis tradunt, Noctem quoque, ut magnum & venerabile Numen, ſumma religione cultum offendimus. Obſervatu eam in rem cumprimis dignus eſt locus *Theonis Smyrnæi de Muſica Cap.* 47 *p.* 164, 165: Ἐν δὲ αἰγυπτιακῇ στήλῃ, φησὶν Ἔυανδρος εὑρίσκεσθαι γραφὴν Βασιλέως Κρόνου, καὶ Βασιλίσσης Ῥέας

ΠΡΕΣΒΥΤΑΤΟΣ *) ΠΑΝΤΩΝ ΟΣΙΡΙΣ
ΘΕΟΙΣ ΑΘΑΝΑΤΟΙΣ, ΠΝΕΥΜΑΤΙ
ΚΑΙ ΟΥΡΑΝΩ, ΗΛΙΩ, ΚΑΙ ΣΕΛΗΝΗ,
ΚΑΙ ΓΗι ΚΑΙ ΝΥΚΤΙ, ΚΑΙ ΗΜΕΡΑι,
ΚΑΙ ΠΑΤΡΙ ΤΩΝ ΟΝΤΩΝ ΚΑΙ ΕΣΟΜΕΝΩΝ.
ΕΡΩΤΕ ΜΝΗΜΕΙΑ ΤΗΣ ΑΥΤΟΥ ΑΡΕ-
ΤΗΣ ΒΙΟΥ ΣΥΝΤΑΞΕΩΣ.

In Columna vero quadam Ægyptiaca, ait Evander, reperiri hanc Inſcriptionem:

AN-

*) Quidam Codices hic addunt ΒΑΣΙΛΕΥΣ.

ANTIQVISSIMVS OMNIVM REX OSIRIS. DIIS IMMORTALIBVS, SPIRITVI ET COELO, SOLI ET LVNAE ET TERRAE ET NOCTI ET DIEI, ET PATRI EORVM QVAE SVNT, QVAEQVE FVTVRA SVNT PRAEDICABO MEMORIAM MAGNIFICENTIAE ORDINIS VITAE EIVS.

Ex *Theone* iſta in *Syntagma* ſuum *Inſcriptionum* tranſtulit *Reineſius ὁ πάνυ*, ibidem *p. 210* hæc annotans: „Octo eſſe Deos, rerum omnium „potentes — ex Orphicis dixerat Theon: ad„ſtruendæ autem rei propoſitam columnæ Æ„gyptiacæ inſcriptionem accommodaverat. At „non apparent e verſione data Dii octo; iſtud „etiam *Prædicabo* prorſus abludit a Græcis, & „ſenſum quemcunque commodum non exhibet. „Eum vero ut teneamus, una litera faciet, ni„mirum ſi pro ΕΡΩ ΤΕ legamus ἜΡΩΤΙ, id eſt, „*Amori*. Ἔρως, *Amor*, pater eſt eorum, quæ ſunt, „& quæcunque futura ſunt: eoque ab Empeclo„cle *Principium rerum* appellatus, e quo proce„dunt generationes, & cuius beneficio res, „quamvis e contrariis compoſitæ, perdurant.„ De emendatione *Reineſii*, non eſt, quod quiſquam dubitet, eamque ex Theologia Ægyptiaca illuſtrare facile eſſet; verum id, utpote ab inſtituto noſtro hic alienum, potius omittimus. Ex inſcriptione illa, reperiunda olim in columna templi cuiusdam Ægyptiaci, quam *Theon* adduxit, intelligitur ſatis, quod etiam veteres alii

com-

commemorant, antiquiſſimos Ægyptiorum Deos numero fuiſſe octo, inter quos Nox etiam locum habuit. Talia docuerant etiam *Orphici*, in verſibus, a *Theone l. c.* allatis:

Ναὶ μὴν ἀθανάτων γεννήτορας αἰὲν ἐόντων
Πῦρ καὶ ὕδωρ, γαῖαν τε καὶ ὐρανὸν ἠδὲ σελήνην
Ἥλιόν τε καὶ Φάνητα μέγαν καὶ νύκτα μέλαιναν.

Certe per immortalium genitores, ſemper exiſtentium Deorum
Ignem, aquam, terram, cælum, & lunam,
Solemque, Phanetem magnum, & noctem nigram.

Quibus iungendi illi, quos *Reineſius* in *Syntagmate Inſcriptionum p. 210* ex *Euſebii Præpar. Evang. Lib. III Cap 9* in ſubſidium vocat:

Πῦρ καὶ ὕδωρ, καὶ γαῖα, καὶ αἰθὴρ, νύξ τε καὶ ἦμαρ
*) Καὶ Μῆτις πρῶτος γενέτωρ καὶ ἔρως πολυτέρπης.

Ignis & aqua, & æther, noxque diesque
Et Metis primo genitus, & amor valde delectans.

Hinc

*) Verſus hic priori non iungitur apud *Euſebium*. Sed iungitur tamen apud alios. Vide *H. Stephani Reliquias Poeſeos philoſ. p. 81*, & *Eſchenbachii Epigenem p. 70.*

Hinc illud *Pythagoræorum* effatum, cuius ex *Tarrhæo* meminit *Zenobius* in *Sylloge Proverbiorum Centur. V Prov. 78*: Πάντα ὀκτώ Εὔανδρος ἔφη, ὀκτὼ τοὺς πάντων εἶναι κρατοῦντας θεοὺς, πῦρ, ὕδωρ· γῆν, Οὐρανὸν, Σελήνην, Ἥλιον, Μίθραν, Νύκτα. Ubi ex modo allatis per ſe liquet, pro Μίθραν, quod ab hoc loco alienum eſt, legendum eſſe ἡμέραν. *Omnia octo. Evander tradit, Deos, rerum omnium potentes, octo eſſe, ignem, aquam, terram, Cælum, Lunam, Solem, Diem, Noctem.* Ad *Noctem* Ægyptiorum referenda quoque, quæ de Σκότῳ, *Tenebris*, in Theologia Ægyptiorum tradita legimus. Nam per noctem in Theologia veterum Philoſophorum intelliguntur ea, quæ lucem præceſſerunt, & ex quibus lux emerſit. Ita *Velleius* Epicureus, apud *Ciceronem de Nat. Deor. Lib. I Cap. 9* loquens de ſeculis, quæ mundum conditum anteceſſerunt: *Antea videlicet* Deus, *tempore infinito, in tenebris, tanquam in gurguſtio, habitaverat.* In Theologia veterum id, quod mundum conditum præceſſit, per abſtractionem philoſophicam conſideratur, ut principium, quod modo *Noctem*, modo *Chaos*, modo *Aerem*, modo *Tenebras*, vocant, etſi tamen nonnulli inter hæc omnia diſcrimen ponant. Vide §. *VIII, IX, X.* Eſt præterea Scriptoribus, Græcis quoque & Romanis, ipſisque ſacris, familiare, ut *tenebras* dicant *noctem*, & *lucem* pro *die* adhibeant. Vide *Geneſ. I, 5*, & *Rom. XIII, 12.* Et apud Poetas epitheton hoc eſt frequentiſſimum

 noctis,

noctis, ut dicatur *tenebricoſa*, uti apud *Euripidem* in *Hecuba v. 68:*

Ὦ στεροπὰ Διὸς, ὦ σκοτία νύξ.

O fulgur Iovis, o tenebricoſa Nox.

Sic etiam *Orpheus* Noctem ſuam principium rerum omnium dixerat ζοφερὰν, quod idem eſt atque σκοτίαν, *tenebricoſum, caliginoſam.* Vide §. X. Ad Ægyptios ut iam redeamus, ſcribit *Damaſcius* de Principiis, in *Wolffii Anecd. T. III p. 260*, ſe in quorundam e gente hac Philoſophorum libris legiſſe, ὡς εἴη κατ' αὐτὰς, ἡ μὲν μία τῶν ὅλων ἀρχὴ, σκότος ἄγνωστον, ὑμνουμένη: *eſſe ſecundum ipſos, ex principiis rerum omnium, unum impenſe celebratum, Tenebras incognitas.* De principio hoc docebant Ægyptii, ὅτι τὸ σκότος τοῦ φωτός ἐστι πρεσβύτερον, *Tenebras eſſe luce antiquiores*, auctore *Plutarcho Sympoſ. Lib. IV p. 670.* Idcirco iidem, teſte *Æliano de Anim. Lib. XI Cap. 10*, credi volebant, in Apide ſuo, tauro ſacro, conſpici aliquod ſymbolum, quo innueretur, τοῦ φωτὸς εἶναι τὸ σκότος πρεσβύτερον, *tenebras fuiſſe ante lucem.* Neſcio, an non huc etiam trahi poſſit ille Ægyptiorum ἱερὸς λόγος, id eſt, *fabula ſacra ænigmatica*, cuius *Plutarchus* meminit *de Iſ. & Oſir. p. 357:* Ἶσιν καὶ Ὄσιριν ἐρῶντας ἀλλήλων καὶ πρὶν ἢ γενέσθαι, κατὰ γαστρὸς ὑπὸ σκότῳ συνεῖναι, *Iſidem & Oſiridem, mutuo impulſos amore, antequam ex alvo matris exirent, in tenebris corpora miſcuiſſe.* Quicquid autem huius rei ſit, illud ſatis liquet, doctrinam Ægyptiorum de te-

nebris

nebris luce antiquioribus, adeo fuiſſe celebrem & decantatam, ut *Simplicius* in *Ariſtotelis Phyſ. Auſcult. Lib. VIII p.* 268 *a.* cenſuerit, verba illa *Moſis Gen. I, 5: Vocavitque Deus lucem diem, tenebras vero noctem: ſic fuit veſpera, & fuit mane diei primi*, translata fuiſſe ex Ægyptiorum ſacris fabulis. Vel etiam ex his patere poteſt, Ægyptiis *tenebras* & *noctem* rem unam eandemque deſignaſſe.

XII. Sufficiunt hæc ad oſtendendum, Ægyptios veneratos olim fuiſſe Numen, quod *Noctem*, vel *Tenebras*, dixerunt, & per *Noctem* illam deſignare voluiſſe aliquod principium, quo mediante, Deus opifex mundum hunc univerſum creaverit. Hæc ſane fuit Philoſophia & Theologia antiquiſſima, non tantum Ægyptiorum, ſed Orientalium pæne omnium. Ex ea *Orpheus* derivavit ſuam *Noctem*, quæ doctrinam populorum orientalium non parum illuſtrat. Ex eadem profluxit Gnoſticorum, ac ſpeciatim Valentinianorum, *Σιγὴ*, *ſilentium*, per quam Pater incognitus Aeonas primum, uti deinde per Aeonas reliqua omnia, produxit. Nam rem eandem veteres illi Theologi variis modis expreſſerunt, variisque nominibus deſignarunt. Quam apte vero Nox, qua omnia conticeſcunt, *ſilentium* dicatur, explicatione mea non eget. Quemadmodum autem demonſtrari poteſt, Theologiam Ægyptiorum, ſucceſſu temporis, innovationibus obnoxiam fuiſſe, mutationemque ſubiiſſe non unam; ita etiam non ambigo, quin

primæva illa *Noctis* notio & acceptio, quæ ſane Philoſophorum ſcholis & diſceptationibus in univerſum relinquenda erat, a ſacerdotibus ſenſim ad alias quoque res, & ad uſum magis popularem, translata ac applicata fuerit. Fieri igitur potuit, ut in ſacris Ægyptiorum, ⲉϫⲱⲣϩ, *Nox*, deſignaverit noctis Præſidem & Dominam, Lunam, Numen illud a gentibus totius terræ omnibus non minus, quam ab Ægyptiis, tanta religione conſecratum & cultum. A poteſtate enfin, quam Luna nocti exercet, eam dici *noctilucam*, *nocturnam*, & aliis eodem ſpectantibus epithetis ornari, notius eſt, quam ut me nunc morari debeat. Pari fere ratione magnus *Seldenus* nomen *Veneris* Uraniæ, apud Arabas, *Alilat*, *Herodoto* memoratum *Lib. III Cap. 8.* interpretatur *de Diis Syris Synt. II Cap. 2 p. 253.* *Nox*, inquit, *eis* الليلة *Alileth dicitur, quæ ipſum forſan Alilath eſt, & Noctilucam denotare poteſt.* Celeberrimus *Dav. Millius* vocem hanc, ex auctore Arabe, explicat *Dominam & Reginam Noctis*, *Diſſert. Select. Num. IV. §. 11* edit. primæ. Non diffiteor tamen, longe veroſimilius mihi videri, per *Noctem* a Sacerdotibus Ægyptiorum deſignatum fuiſſe illum naturæ ſtatum, quo Sol, menſibus autumnalibus & hibernis, relicto hemiſphærio noſtro, inferius percurrit, eoque noctis tenebras vehementer auget. Nam ad huiusmodi in natura rerum converſiones, & revolutiones, ceu effecta illuſtriora Numinis inviſibilis & benefici, accommoda-

tam

tam inprimis fuiſſe religionem & Ægyptiorum, & in univerſum Orientalium, mihi quidem certum & perſuaſum eſt. In Aſſyriorum ſacris ad illam ipſam Naturæ revolutionem, de qua hîc loquimur, quotannis reſpici conſueviſſe, ex *Macrobio* iam docuimus §. III. Gemina prorſus his, de Ægyptiis pariter tradit *Plutarchus de Iſ. & Oſir. p. 366: Menſe* *) *Athyr periiſſe Oſiridem dicunt, quando - - Nilus recedit, & ſolum nudatur. Quando autem nox fit longior, tenebræ creſcunt, lucisque ſuperatur & tabeſcit vis: tunc ſacerdotes cum alios tetricos ritus peragunt, tum bovem auratum, nigro byſſino amictu tectum, oſtentant in luctu Deæ; bovem enim Oſiridis &* **) *terræ ducunt imaginem.* Verba hæc tanto libentius deſcripſi, quia manifeſte de *Athor*, ſive *Nocte*, Ægyptiorum Numine, agunt. Illius enim ſimulacrum fuiſſe bovem, fœminam nempe, ſive vaccam, oſtendetur §. XIV. Et ſolennitas illa lugubris, quam *Plutarchus* illic deſcripſit, ingruit in menſem *Athyr*, ſive *Novembrem*, quem a Dea *Athor* nomen accepiſſe, ex *Orione* & *Heſychio* intelleximus §. I. Sed fateor tamen, ea, quæ ſcribit *Plutarchus*, referenda eſſe ad annum Ægyptiorum fixum, qui tempore *Auguſti* Imp. introductus demum fuit, cum vetuſta gentis illius ſacra ad annum antiquum vagum

*) Reſpondet is menſis noſtro fere *Novembri.*

**) Ita verba hæc *Plutarchi* vertenda eſſe, alio loco iam monui in *Remphah p. 57*, & in *Miſcell. Berol. Tom. VII p. 389 (not. i).*

gum accommodata eſſent. Inſigniter hæc illuſtrantur ex *Horapolline Hieroglyph. Lib. I Cap. 11*, ubi ait: δοκεῖ παρ' Αἰγυπτίοις Ἀθηνᾶ μὲν, τὸ ἄνω τοῦ Οὐρανοῦ ἡμισφαίριον ἀπειληφέναι. τὸ δὲ κάτω Ἥρα. *Videtur apud Ægyptios Minerva quidem ſuperius cœli hemiſphærium occupaſſe, Iuno vero inferius.* In Ægyptiorum Theologia, & *Minerva*, & *Iuno*, nihil aliud erant, quam *Iſis* ipſa, maximum gentis huius Numen, ſed quod pro diverſa relatione ad naturam rerum in mundo, ac ad diverſos effectus, diverſa quoque nomina accipiebat. Quo tempore ſol verſabatur in hemiſphærio ſuperiori, *Iſis* invocabatur præcipue ſub nomine *Minervæ*. Ubi vero hemiſphærium inferius percurrebat ſol, *Iſidem* Niligenæ adorabant ſub nomine *Iunonis*. *Iunonem* vero & *Venerem* Ægyptiorum non differre, monitum iam fuit §. II. Eſt igitur *Iuno* illa, quæ in Theologia Ægyptiorum præſidebat hemiſphærio inferiori, noſtra *Athor*, vel *Nox*. Sed nec iis repugnabo, qui, per *Noctem*, in Theologia Ægyptiorum, noctem naturalem, quæ nempe quotidie, poſt occaſum ſolis, terram tenebris obtegit, intelligi debere, arbitrabuntur. *Chæremon* certe Ægyptius, & Sacerdos, apud *Porphyrium*, in Epiſtola ad *Anabonem*, (præfixa *Iamblichi de Myſteriis Ægyptiorum* libro,) *pag. 7, 8*, aſſerere non dubitat, in Theologia Ægyptiorum referri omnia ad viſibiles Naturæ effectus, *partim ad ſtellas, & earum conſpectus, occultationes, occurſus-*

curſus-

curſusque, partim in Luna, modo creſcentis, modo ſeneſcentis, varietatem, partim in Solis curſum, vel in nocturnum, aut diurnum, hemiſphærium. Addi poteſt, quod in antiquiſſima inſcriptione Ægyptiaca, quam ex *Theone* deſcripſi §. XI, inter octo primores Ægyptiorum Deos, numerentur *Nox* & *dies*, ubi videtur, ſicuti naturalis dies, ita etiam nox naturalis intelligi debere. Nocti huic naturali cœca vetuſtas, per *σωματοποιΐαν*, in Theologia gentilium perquam familiarem, ingentia beneficia in acceptis tulit. Venerata illam eſt, ut matrem Solis, *) *ἧς οἷα μητρὸς ἀπογεννᾶται, ex qua tanquam ex matre gignitur*, inquit *Euſtathius* in *Iliad.* Δ. *p.* 449 edit. Rom. quia nempe noctem ſolis ortus excipit. Auctor hymnorum, *Orpheo* tributorum, in *Suffimento aſtrorum v.* 3 Noctem laudat, ut matrem omnium Aſtrorum:

> *Ἀστέρες οὐράνιοι νυκτὸς φίλα τέκνα μελαίνης,*
> *Aſtra cœleſtia, noctis nigra ſoboles.*

Nam, ſimul atque nox terræ caliginem induxit, aſtra in cœlo conſpiciuntur. Et certum eſt, Deum O. M. ſummum mundi moderatorem, interveniente nocte, & per eam, **) inſignia in creaturas commoda & beneficia conferre.

*) Sequor hic correctionem *Cuperi* in *Harpocrate p.* 71.

**) Vide Auctorem libri ingenioſi Gallici, *Spectacle de la Nature* inſcripti, *Tom. IV p.* 16 *ſeq.*

XIII. Neque vero ullus dubio locus eſt, quin ea, quæ de *Nocte*, Ægyptiorum Dea, diſſeruimus, de illo ipſo quoque gentis huius Numine, quod Græci *Venerem* interpretati ſunt, intelligi debeant. Teſtantur enim Græci, *Venerem* Ægyptiorum ſermone dici *Athor*; id vero *noctem* ſignificat. Et omnia, quæ de Nocte tanquam *Venere* diximus, teſtimonio *Heſychii* mirifice confirmantur, qui in voce Σκοτία hæc habet: Καὶ Ἀφροδίτης Σκοτίας ἱερὸν κατ' Αἴγυπτον. *Eſt quoque Veneris tenebricoſæ Templum in Ægypto.* Σκότος, *tenebras*, & νύκτα, *noctem*, rem eandem, tum per ſe, tum ſigillatim etiam in Theologia Ægyptiorum, ſignificare, monuimus §. XI. Ex quo conſequitur, *Venerem tenebricoſam* idem eſſe, quod *nocturnam*, vel *noctem*. *Diodorus Siculus* eiusdem Deæ *tenebricoſæ* mentionem facit, verum eam *Hecaten* appellat, *Lib. I p. 87* edit. *Wechel.*: εἶναι δὲ λέγουσι πλησίον τῶν τόπων τούτων καὶ Σκοτίας Ἑκάτης ἱερὸν, καὶ πύλας κωκυτοῦ καὶ λήθης διειλημμένας χαλκέοις ὀχεῦσιν. *Dicunt etiam, in vicinia eſſe fanum Hecates tenebricoſae, & Cocyti letheſque portas, aneis vectibus obſtructàs.* Nempe unum idemque Numen Græci, prout id ad rem ſuam facere vident, nunc *Venerem*, nunc *Hecaten*, vocant, nunc alio etiam modo interpretantur, quod neminem in rebus his paulisper exercitatum fugere poteſt. *Diodorus* fanum hoc collocat in vicinia urbis Mempheos, *Plutarchus* vero in ipſa illa urbe. Nam in libro *de Iſ. & Oſir.*

p. 362

p. 362 de eadem re ita ſcribit: Καὶ χαλκᾶς τινας ἐν Μέμφει πύλας λήθης καὶ Κωκυτῦ προσαγορευομένας, ὅταν τάπτωσι τὸν Ἄπιν, ἀνοίγεσθαι, βαρὺ καὶ σκληρὸν ψοφέσας. *Dicuntque, in urbe Memphi aereas quasdam portas, quæ Lethes & Cocyti, hoc eſt, oblivionis & lamentationis, appellantur, aperiri, cum Apim ſepeliunt, gravem aſperumque edentes ſonitum.* Sermo igitur eſt de Templo, aut Memphi, aut circa Memphin, *Nocti*, vel *Tenebris*, conſecrato, Numini, quod *Diodorus Hecaten*, *Heſychius* vero *Venerem*, appellat. Inprimis vero ad rem noſtram faciunt, quæ auctor *Hymnorum*, *Orpheo* tributorum, in *Suffimento noctis* canit:

Νύκτα θεῶν γενέτειραν ἀείσομαι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν
Νὺξ γένεσις πάντων, ἣν καὶ Κύπριν καλέσωμεν.

Canam Noctem, Deorum pariter atque hominum genitricem,
Nox origo rerum omnium, quam & Venerem appellabimus.

Neque prætermittenda, quæ auctor idem *Hymno in Venerem* canit:

Οὐρανία, πολύυμνε, φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη
Παντογενής, γενέτειρα θεῶν, φιλοπάννυχε σεμνή
Νυκτερία &c.

Cale-

Cæleſtis, multis laudibus celebrata, riſum amans, Venus,
E mari genita, genitrix Deorum, pervigilantibus amica, veneranda,
Nocturna, &c.

Si unum illud excipias, quod *Venus* e mari genita dicatur, quippe quod Theologiam ſpecialem Græcorum ſapit, reliqua cum iis, quæ huc usque diſputavimus, penitus conſonant.

XIV. Numen hoc, cuius & nomen & poteſtatem explicuimus, per totam Ægyptum Templa habuit complura, celebria, a multis frequentata, cultu eius & laudibus perſonantia. Præter urbem *Atarbacin*, id eſt, *Aphroditopolin*, in honorem eius denominatam, de qua dictum *§. I*, & quam ex Geographis plerique omittunt, fuerunt aliæ, eodem nomine inſignes, quæ ex *Ptolemæo* & *Cellario* erui poſſunt. Neque vero in hiſce tantum urbibus, ipſi cognominibus, verum & in aliis longe pluribus, cultum eius floruiſſe, hiſtoria teſtatur. Simulacrum, Deæ huic in Templis ipſius conſecrari ſolitum, erat Vacca, & plerumque naturalis viva, more Ægyptiorum, qui animalia volebant eſſe μιμήματα quædam, imagines æterni Numinis vivas, quibus virtutes & effectus illius aliquo modo adumbrarentur. Crediderim, ad Numen hoc referri poſſe ſimulacrum illud, cuius in deſcriptione Pompæ Iſiacæ meminit *Apuleius Lib. XI Metam. p.* 262 edit. *Elmenh.*: *Erat & bos, omniparentis*

rentis Deæ ſecundum ſimulacrum: quod reſidens humeris ſuis, proferebat unus e miniſterio beato, greſſu geſtuoſo, quamvis non negem, ſimulacro hoc etiam *Iſidem*, cuius ſignificatio & poteſtas latior eſt, repræſentari potuiſſe. *Plutarchum* ſimulacri fere ſimilis mentionem facere, dixi §. XII. Et illud quidem repræſentaſſe *Venerem* Ægyptiorum, pluribus de cauſis mihi admodum veroſimile ſit. Verum res hæc teſtimoniis veterum, omni exceptione potioribus, comprobari facile poteſt. *Ælianus de Anim. Lib. XI. Cap. 27* vicum Nomi Hermopolitani, nomine Chuſas, ob ſitus amœnitatem laudat, & de eo addit: Ἐν ταύτῃ σέβουσιν Ἀφροδίτην, Ὀυρανίαν αὐτὴν καλοῦντες, τιμῶσι δὲ καὶ θηλείαν βοῦν. *In hoc vico colunt Venerem, quam Cæleſtem vocant. Venerantur etiam religioſe vaccam.* Nam in Templis ſolebant Ægyptii ſemper alere animalia, Diis ſuis conſecrata, quæ, tanquam vivas illorum imagines, adorabant. Idcirco *Ælianus* ibidem hæc adiicit: *Et ipſam quoque Iſin Ægyptii bubulis cornibus & fingunt & pingunt.* Hanc nempe rationem reddit, cur Ægyptii vaccam honoribus divinis afficiant. Adhuc clarius id ſubindicat *Strabo Lib. XVII p. 552*: Οἱ δὲ Μωμεμφῖται τὴν Ἀφροδίτην τιμῶσι, καὶ τρέφεται θήλεια βοῦς ἱερά, καθάπερ *) ἐν Μέμφει ὁ Ἄπις, ἐν Ἡλίου δὲ πόλει ὁ Μνεῦις. *Momem-*

*) Ita hæc legenda ſunt, quæ in editione *Caſauboni* anni 1587, qua ſola nunc utor, corrupte typis deſcripta exſtant.

memphitæ Venerem colunt, & (nempe in eius honorem) *alitur Vacca ſacra*, *ſicut Memphi Apis*, & *Heliopoli Mnevis*. Luculentus hicce *Strabonis* locus uſum ſimulacrorum talium vivorum ſatis nobis explicat. Sunt & eiusdem hæc verba *p. 556:* Εἶθ᾽ ὁ Ἀφροδιτοπολίτης νομὸς, καὶ ἡ ὁμώνυμος πόλις, ἐν ᾗ λευκὴ βοῦς ἱερὰ τρέφεται. *Sequitur Nomus Aphroditopolites* (quaſi dicas *Veneri dicatus*) & *urbs Nomo cognominis* (*Aphroditopolis*) *in qua vacca candida ſacra alitur.* Hinc iam lux in *Heſychium* redundat, qui alicubi obſervat, Ægyptios & menſem quendam, & bovem quoque, nempe fœminam, dixiſſe Ἀθὺρ, vel, quod idem eſt, Ἀθώρ. Vide *§. I.*

XV. Præter hanc genuinam & avitam Ægyptiorum *Athor*, introducta quoque, veluti furtim, in eandem regionem fuit *Venus* alia; quam *Herodotus Lib. II Cap. 112 peregrinam*, & *Strabo p. 555 Deam Græcam*, nuncupant. Eiusdem generis fuit illa *Venus aurea*, cuius tanquam ex *Homero* meminerunt *Diodorus Siculus* in fin. *Lib. I p. 88*, & *Iuſtinus Martyr Cohortat. ad Græcos p. 27*, cum tamen *Homerus*, *Venerem* appellans *auream*, *Iliad.* Γ. *v. 64*, ad res Ægyptiorum non reſpiciat, neque etiam, aut vetus Scholiaſtes ad illum locum, aut *Euſtathius* ad eundem *p. 384* edit. Rom. opinioni tali faveat. Verum hæc & ſimilia plura, quæ a præſenti meo inſtituto plane ſunt aliena, libenter omitto.

IOAN-

V.

IOANNIS IACOBI REISKE LIBELLUS ANIMADVERSIONUM AD ALTERAM EDITIONEM BURMANNIANAM PETRONII.

PARS I.

Eorum, quibus literæ humaniores curæ ſunt, neminem fugit, ante hos ſex fere annos alteram editionem *Petronii Burmanniani* cum acerba in me Præfatione illuſtris viri, *Caſparis Burmanni*, *Petri* filii, prodiiſſe. Erunt forte, qui mirabuntur, me poſt tantum tempus interiectum, & poſt tam diuturnum ſilentium, nunc demum ad agendam cauſam meam accingi. Sed illi ſciant velim, ſi mei res fuiſſet arbitrii, aut citius, aut nunquam, me illi fuiſſe reſponſurum. Primo enim impetu & fervore, ſtatim poſt editam iniquam illam Præfationem, deſtinaveram innocentiam meam claris demonſtrare documentis, totique reipublicæ literariæ coram proponere; quod &, cum adhuc recentes illæ mihi erant res, felicius potueram exequi. Verum id in Belgio non licebat. Iudices cauſæ meæ ſedebant mei accuſatores, *Burmannus* & *Burmanniani*. Amici diſſuadebant, ne oleum igni affunderem, animosque iam ſaucios & exulceratos magis exacerbarem, measque res, iam ſatis labantes, penitus peſſum darem. Editorem quoque meæ apologiæ librarium in Hollandia non inveniſſem; quam ut meis ſumtibus ede-

ederem, tanti non erat. Quo accedebat, *Petronium*, ex quo eum noſſe & legere cœpi, vilem Auctorem, & vix dignum attentione, certe multo ſtudio, rixisque & animorum contentione, indignum, a me fuiſſe reputatum. Sic conſedit æſtus ille meus, & cum alia deinceps, quæ agerem, creſcerent ſub manibus, *Petronii* memoria & cura omnis animo excidit; idque eo facilius, quia credebam, intelligentes & æquos rerum æſtimatores, ſua ſponte, vel me non monente, eſſe, a qua parte ſtet veritas, agnituros. Eaque ratione cauſam meam in æternum tempori commiſiſſem, quod veritatem, aliquamdiu latentem, partibus e medio ſublatis, tandem tamen aliquando revelare ſolet. Sed ſecus cecidit, Ut enim in patriam redii, fuerunt aliqui, docti homines, qui ad perorandam cauſam meam me, iam viciniæ teliſque adverſariorum exemtum, impulerunt. Iuſtitiam velle, ut & altera pars audiatur. Retundendam & caſtigandam eſſe quorundam in extraneos malevolentiam. Neque adverſari potui viris, quibus mihi parendum eſt. Verum ſic inſtituam rationes meas, ut ab acri contentione & conviciis mihi temperem; ut inſignia quædam *Petronii* loca, quæ negotium hactenus faceſſiverunt interpretibus, illuſtrem, aſſeramque mutationes, quas in eum invexi, & errores, qui properanti mihi exciderunt, retractem atque emendem. Ea ratione meam, quæ olim erat, deſtinationem exequar. Simul enarrabo

in-

in hac præfatione nonnulla, ad iſtam *Petronii* editionem ſpectantia, quæ ſcire nemo fere præter me poteſt, multum tamen intereſt, ne ignorentur. Falluntur illi vehementer, qui, præter ſparſas paſſim annotatiunculas afferre melius quid aut non potuiſſe me, aut noluiſſe, putant. Illas equidem fervente prelo, inter corrigendum, tanquam aliud agens, allinebam. Et, ut earum me non pudet, ſic viciſſim propter eas non ſuperbio. Volebam potius integram addere *Petronio Burmanniano* commentationem meam in loca, quæ mihi videbantur animadverſione digna. Eiusque rei petebam, abſoluta iam impreſſione totius operis, a *Waesbergio*, librario Amſtelædamenſe, qui ſumtus editioni faciebat, veniam. Eo tempore cognitum fuit, quid in illa nova editione novarum rerum molitus fueram, quod omnes antea ignorabant. Mihi enim ſoli correctio errorum typographicorum, & moderamen totius editionis, commiſſa fuerant. Si tacuiſſem, prodiiſſet illa editio prorſus absque omni motu, neque, tunc certe ſtatim, animadvertiſſet quisquam meum facinus. Ego vero candide, ut meus eſt mos, in illa mea ad *Waesbergium* epiſtola, quæ præſliteram, exponebam, & veniam ab eo rogabam, addendi meas quasdam neceſſarias animadſiones, & *Scheſſeri* notas ad *Petronium*, ex *Miſcellaneis Criticis Amſteladamenſibus* excerptas, & Cl. Viri *Mathurini Veſſieri de la Croze* ineditas annotatiunculas, quas Cl. *Uhlius* dicto librario

brario miſerat. Implebant illa ſex, vel ſeptem, ſi bene memini, paginas octavæ formæ, (ut loquuntur,) neque certe minus dignæ typis erant, quam multæ aliæ nugæ & quisquiliæ, quas in Variorum, ut appellant, farragine paſſim reperies. Verum librarius rem ad *Caſparum Burmannum* referebat, negotii arbitrum; qui, ſuccenſus ira, meis conatibus obicem poſuit, & ſanctiſſimi ſui patris manes a me turbatos atque profanatos, arbitratus, magno animo aggreſſus fuit meam temeritatem retundere, Augiæque ſtabulum, errores a typothetis commiſſos, expurgare. Miratus fui, ut vidi, riſumque movit & ſtomachum, Viro illuſtri, Reipublicæ Ultraiectinæ Senatori, eiusque nomine ad Præpotentes Ordines Fœderati Belgii legato, eam fuiſſe patientiam, eamque humilitatem animi, non niſi homini deſidi & umbratico congruam, ut ad corrigendos errores typographicos e faſtigio ſuo ſe demitteret, qui vel tironem non impediant. Quid, quæſo, referebat, ſemel male impreſſa recoquere, & cornicum oculos configere? Vilis & inutilis & male ſedula hæc eſt opera, & gravat emtores. multi errores in minuto charactere, vel omni adhibita, quam adhibere mortales poſſunt, diligentia, nequeunt evitari. Literarum ſibi ſimilium, ut *c* & *e*, *ſ* & *ſ*, *r* & *t*, permutatio nequit ab uno ſolo homine correctore, vel oculatiſſimo, vel otioſiſſimo, ſemper emendari, utcunque dociles & obſequioſos typothetas habeat ſub imperio ſuo. Atqui gens

ſtupi-

ſtupidior ſub ſole non eſt typothetis; quos quo magis doceas & erudias & corrigas, eo magis implicantur & peccant, equorum ad inſtar, qui loris & ſcutica nimis ſevere caſtigati, feri tandem evadunt, & parere rectori detrectant. Illæ ipſæ *Caſp. Burmanni* correctiones haud raro, dum unum pravum corrigunt, alterum bonum depravant, &, clavo excuſſo, quod ajunt, clavum intrudunt. Si quis porro ſecum libri vaſtam molem, & laboris, quem in eo exantlavi, magnitudinem, æquior reputet, & temporis brevitatem, quo prior *Petronii* Tomus impreſſus eſt, facile me, ut puto, excuſatum habebit. Singulis ſeptimanis minimum tres plagulæ typis fuerunt exſcriptæ, & integri primi Tomi impreſſio hieme una, intra Septembrem anni 1740 & Maium anni 1741, perfecta. Multa certe correxeram, quæ nunc mendoſe proſtant. At ea typothetæ aut ſupini neglexerunt, aut ſtupidi non fuerunt aſſecuti. Quot ego viciſſim errores primæ editionis codicisque manu *Burmanniana* ſcripti, præſertim in Græcis, quibus notæ *Bourdelotianæ* ſcatent, ſuſtuli! Si malignum animum convenire crediſſem ingenuo homini, qualem me gerere ſemper ſtudui, *Pawii*que voluiſſem imitari mores, quantum hercle potuiſſem e ſchedis *Burmannianis* congerere indicem fœde in Græcis erratorum! Tantum certe, præ quo *Pawianus* ille ad *Theophraſtum pag.* 78 in cenſum non veniat. Provoco ad ipſum exemplar, manu *Burmanni* ſcriptum, quod illuſtris ejus filius

Vol. VI P. I. G nunc

nunc penes ſe habet. Comparet ille, ſi placet, cum mea editione. Si æquus eſt, qua de re nulli dubitamus, meam certo certius laudabit diligentiam. Objicit forte, patrem ſuum errores illos ex editione *Bourdelotiana* fideliter in chartas ſuas transtuliſſe. Ea vero excuſatione parum ſui Patris honori conſulet. Ego certe nolui tam fidelis, tam ſervus, imitator eſſe. Errores potius omnes partim diligenti Auctorum, qui citabantur, inſpectione, partim, ubi fontibus carebam, ex ingenio, emendavi. Neque erit, qui, hanc poſteriorem *Petronii Burmanniani* editionem quoad Græca emendatiorem eſſe illa priore Traiectina, neget. Quare itaque tam ſæve in me graſſatum ivit Vir illuſtris, & ſocordiam mihi tam invidioſe exprobrans, altera ex parte meam diligentiam iniquus ſuppreſſit? Quare nihil de indicibus, a me confectis, monuit? Si præſciiſſem, me pro labore meo non contemnendo convicia & iniurias atque contemtum laturum, debitaque mihi mercede defraudandum, nunquam operi tædioſo manum admoviſſem. Sed hæc fata fui Amſtelodami expertus. Neque ſolus ita mecum egit *Waesbergius*, verum etiam Leidenſis aliquis librarius, cuius fronti & tabernæ iure meritoque hæc inturatur inſcriptio: *Hic habitat ſordidus Lucripeta.* Sed hæc privata ſunt, neque pertinent ad rem publicam. De eo certus ſum, fore, ut æqui & intelligentes iudices a me collata in *Petronium* beneficia, facta inquiſitione, agnoſcant,

ſcant. Mercedem vero meam ab æquiſſimo bene & ſecus factorum brabeuta exſpecto. In eo quidem peccavi, fateor, & imprudenter egi, quod præter mandatum mihi munus correctoris etiam illud editoris rapui. Et ſat graves huius auſus dedi pœnas. Pro captu nimirum, qui tunc erat, meo ſic ratiocinabar: indignum eſſe & indecorum tam pulchræ editioni, luculentas & correctu faciles mendas per eam porro propagari. Ea mente primum aliqua tentabam in illis foliis, quæ vivo adhuc *Petro* fuerunt excuſa; quæ ille quoque approbavit. Inde factum, ut typothetæ ſibi perſuaſerint, mihi ius conceſſum fuiſſe, cetera quoque pro arbitrio mutandi, quæ poſt *Petri* exceſſum impreſſa ſunt, id eſt, a *pag.* 110 fere & porro; ideoque mihi absque tergiverſatione in mutando textu obedirent. Alias ſe mihi nunquam fuiſſe parituros, ipſi mihi affirmarunt. Ego vero, cum ſemel inſtituiſſem textus emendationem, ut eodem quoque pede continuarem, videbam mihi prorſus neceſſarium; ne ſibi fieret editio diſſimilis. Eodem itaque tempore corrigebam plagulas, a prelo madentes, & digerebam, atque nitide deſcribebam, ſchedas *Burmanni*, & emendabam Auctoris textum, quem antea non legeram. Scio quidem, ex hoc capite me a multis accuſari poſſe, & accuſatum iri, quod Auctorem emendare fuerim auſus, quem diligente uſu mihi familiarem nondum feceram. Quod, ut arbitror, non male quidam *Palmio* exprobravit. Sed dico, quod res eſt.

 Facile

Facile hinc poteſt concipi, quantas interdum in anguſtias fuerim compulſus, cum paratam corrupto loco medicinam non invenirem, medicina tamen eſſet afferenda, neque diu poſſent flagitantes cum conviciis typothetæ ſuſtineri. Sic factum eſt, ut per trepidationem arripuerim coniecturam, qualis ſe offerebat ἑκάστοτε, interdum malam, quod me ſecuti dies docuerunt, meliorem tamen aliorum coniecturis. Iam vitio mihi vertitur, quod ipſe mea cædam vineta. Ego vero, ubi paſſus aliquid humani fui, non dubito profiteri, & ſemper duxi glorioſius eſſe, ſi quis verum ſua ſponte deprehendat, & redeat in rectam viam, non admonitus, quam ſi ab alio, ſæpe cum acerbitate & ignominia, doctus diſcat ſapere. Pauci ſunt, qui meos errores deprehendere, &, ut par eſt, emendare, ſciunt. Hactenus certe nondum fuit, qui id fecerit, quantum ego equidem novi. Naſutuli quidam, meo labori obtrectare auſi, magis eum ex iudicio iniquæ illius Præfationis, quam ex ſuo rigido & erudito examine, æſtimarunt. Quos præſtabat domi ſecum habitaſſe, & eluendis infamibus ſuis maculis manum admoviſſe. Iam ad illam venio diluendam criminationem, quod *Burmannianas* aliquot Notas omiſerim. Id fateor paſſim accidiſſe, ſed caſu, non conſilio, neque fraude. Quod æquus quisque facile intelliget. Nulla enim mihi cauſa erat, paucas, breves, non valde momentoſas, obſervationes omittendi, qui alias multas, grandes, maiorisque momenti,

menti, non præterii. Et quis tandem mortalis homo in tanta trepidatione, temporis anguſtiis, & typothetarum expoſtulationibus vexatus, e ſchedis diſperſis, ubi haud pauca confuſe ſcripta erant, ut neſcires, quo pertineant, excerpere ſingula, & in loculos quæque ſuos referre, valeat? Facilius eſt, ſpicilegium omiſſorum ſpatio ſex menſium conficere, ut confecit Vir illuſtris, qui-cum mihi iam res eſt, quam uno atque altero menſe compilare omnia, quod mihi faciendum fuit. Forte quoque, ut ratione non improbabili coniicio, forte, inquam, habuit Vir illuſtris alias adhuc ſchedas, præter eas, quas ego habui & tractavi. Vide modo, amice Lector, quæ Vir illuſtris ad *pag. 233 b. lin. 9* annotat in ſupplementis. *Vel notæ huius*, ait, *aliud apographum, quam margini exemplaris adſcriptum legitur, corrector habuit, quod veriſimile eſt; vel ipſe mire interpolavit.* Non interpolavi, ſed ea dedi, quæ aut inveni, aut ex intricatis literarum ductibus, quas exaraverat *P. Burmannus*, extundere potui. Sane, qui unquam vidit beati huius Viri manum, eam præcipue, qua feſtinans, aut iratus, utebatur, intelliget, quantas in exſcribendis eius ſchedis debuerim devoraſſe moleſtias. Ea maxime, quæ in Auctorem *Chreſtomathiæ Petronio-Burmannianæ*, (ſeu, ut ipſe appellat, ludimagiſtrum & nebulonem Amſtelodamenſem, quo honeſtiſſimo elogio *Iſaacum Verburgium, Ciceronis* editorem, notat,) iratus effudit, ea, inquam, legi vix ac ne vix quidem poterant. Tam

ſcripta erant penna hebete, liquore pæne nullo onerata, ductibus impeditis, minutis; (quod ſermone noſtro *gekritzelt* appellamus,) ſenſu ſæpe pendulo & manco, ut inde cognoverim, *Burmannum* ea prorſus absque ulla meditatione coniecisse in chartas, ſimulatum indignationis flagello, & mole conceptuum ſuæ mentis obrutum, quorum unus præpediebat & elidebat alterum, ut opus ſæpe mihi coniectura & aſſumento quodam meo fuerit, ne verba exhiberem prorſus obſcura & ἀδιανόητα. Aut ſcripſit ea *Burmannus*, ſtatim poſt editam famoſam illam *Chreſtomathiam*; quo tempore, narrarunt mihi Leidæ, illum ſe ſuos intra parietes concluſiſſe, amicosque omnes acceſſu prohibuiſſe; aut ſcripſit ea iam fractus diuturno morbo, paulo ante vitæ finem, Quod probabilius quoque mihi accidit, cum quia non multum in eo refutandi ludimagiſtrum inſtituto profligavit, tum quia cauſam ſuam ſæpe languide, ieiune, & miſerabiliter, egit. Certe multo validiora potuerat argumenta pro ſe attuliſſe. Vivis quidem coloribus ingenium *Burmanni* depingit illa *Chreſtomathia*; de reliquo tamen futilis & parum doctus eſt libellus, cuius auctor multo potuiſſet acrius adverſarium ſuum caſtigare, ſi luculentiore doctrinarum apparatu inſtructus, & operi, quod ſuſcipiebat, par, fuiſſet. Præterea quoque, meminerit, velim, illuſtris *Caſparus*, ſi quædam impreſſa offendit, quæ in beati ſui patris ſchedis deſiderat, facile potuiſſe typothetarum incuria,

vel

vel alio quovis caſu, chartulam unam atque alteram de illis periiſſe, quas beatus heros paſſim acieulis affixerat. Quod autem ipſum magnum illum *Petrum* caſtigaverim, id male a me factum non puto. Neque enim ab illo inſtituto Viri reverentia me retinebat, quo magiſtro uſus nunquam fui, quamvis illud crediddiſſe illuſtris *Caſparus* mihi ex illis eius verbis videatur: *ſi ad monita ſui quondam praeceptoris attendere voluiſſet.* Neque me retinebat nimis magnifica de *Petri* doctrina & meritis in rem literariam mea opinio. *Burmannum* alii utcunque venerentur, & vel in cœlum tollant laudibus, patiar, mihi vero de illo mecum cenſendi pro intelligentia mea libertas, niſi fallor, erit. Qui maximos in republica literata viros, *Caſaubonum*, *Salmaſium*, *Heinſium*, *Voſſium*, *Gronovium*, alios, caſtigandi licentiam ſibi ſumſit, neque peccare ſe illa in re exiſtimavit; eius manes, non crediderim, ſi idem ſibi contingat, modo æqui & magnanimi ſint, ægre laturos. Iuvenis quidem eram, cum illas annotatiunculas effunderem, & ætate *Burmanno* non comparandus. Aetatis autem ratio his in rebus nulla eſt. Ipſe *Burmannus*, hac in ætate conſtitutus, quam nunc ago, mordere iam cœpit, & perrexit, donec ipſi dentes exciderent. Aequum ergo & iuſtum eſt, ſi viciſſim a iuvene laceretur. Sed non lacero. Modeſte tantum & breviter eum correxi. Quod, ſi tuliſſet inſtitutum meum, potueram ſæpius feciſſe. Vehementer porro ideo reprehendor, quod *Petronii*

verba mutare & reformare auſus fui. Ipſi ergo me reprehenſione dignum proclamabo, quando demonſtrent, ipſum *Burmannum* nihil in *Petronii* verbis innovaſſe. Atqui, quod *Burmanno* licuit, mihi quoque licet, non minus, quam illi. Si demonſtrent, editionem *Burmannianam* priorem Traiectinam in omnibus exacte reſpondere, non dicam primis illis & priſcis editionibus, ſed illis tantummodo, quæ labente ſeculo ſuperiore curatæ fuerunt; ſi porro demonſtrent, emendationes, a me invectas, non omnes, ſed plurimas, eſſe malas & reiiculas; id ſi fecerint, non recuſabo Critici præcocis, rudis, inepti, abſurdi, temerarii, ſceleſti, nomen ferre. Atqui, dicunt, hoc modo ſi velimus in Auctores veteres graſſari, brevi tempore longe alios habebimus illos, & ſibi tam diſſimiles, ut, ſi, quando in dias luminis auras caſu quodam fortuito redirent, ipſi ſeſe non eſſent agnituri. Tunc vero auſis pertendere, *Petronium*, ſi, quod fingimus, aliquando reviviſceret, ea pro ſuis agniturum, quæ *Petrus Burmannus*, Vir ſapientiſſimus, eruditi Belgii numen, A. 1709 Traiecti ad Rhenum ſub eius nomine prodidit, magis, quam ea, quæ *Bernardinus Venetus de Vitalibus*, anno 1499, Venetiis. Aut debemus Auctores veteres abſurde & inhumane locutos credere, ſuisque iacentes in ſordibus æternum omittere, &, quales accepimus, ſtolide ſuperſtitioſi poſteritati transmittere; aut debemus, ad normam ſanæ rationis & artis criticæ emendando, formam ipſis decoram &

ama-

amabilem induere. Procul dubio, qui vere ſciunt eos emendare, illis emendandi ius & fas eſt. Ceteræ vero turbæ, cui divina iſta ſcientia negata eſt, meliora doctis & perſpicacioribus auſcultandum & parendum eſt neceſſario. Ad tribunal Criticorum, quotquot veri & genuini ſunt, omnium provoco. Illorum ex ſententia ſtabo, vel cadam. Cadam nempe tum, cum demonſtraverint, me verum emendandi *Petronii* modum ignoraſſe; cum demonſtraverint, *Burmannum Petronio* maiorem lucem & dexteriorem medelam, quam ego attuli, attuliſſe. Quamdiu id non fecerint, (facient autem nunquam,) acris illa Præfatio *Caſparis Burmanni*, quæ nomen meum adeo denigravit, & damnum rebus meis domeſticis haud leve intulit, & aliorum ineptorum hominum reprehenſiones, quibus me onerant, dictamini & modulo iſtius Præfationis, tanquam choroſtatæ, accinentes, χορῶν λακέρυζαι πρὸς δεσπότην κραυγάζουσαι, ut ait *Plato*, illæ, inquam, me non tangunt; & emendationum mearum plurimæ perſtabunt, quamdiu perſtabit cum *Petronio* latinitas, a nemine convellentur, erunt, ut ipſe mihi iuſta in cauſa plaudam & blandiar, erunt immortales.

In his meæ pro cauſa mea perorationi finem imponam, ne meritorum meorum fiducia ultra modeſtiæ limites me abripiat. Ideoque, quæ iam ſcripſeram, cetera, in quibus de doctrina & meritis *P. Burmanni* liberius pro captu meo iudicaveram, ſuaſu viri cuiusdam docti,

moderati, pacem & politos mores amantis, & in gratiam amicorum, quos adhuc in Belgio, *Burmanno* faventes, habeo, iuſſi in ſpongiam incumbere. Et in ea, quæ ſequetur, Diſſertatione temperabo mihi ab omni acerbitate, magisque in id incumbam, ut verum *Petronii* ſenſum enucleem, verasque emendationes afferam & adſtruam, quam ut interpretum arguendis & refutandis erroribus occuper. Id ſi voluiſſem, multo maiorem creviſſet in modum hic libellus, & præclarum habuiſſem in ipſo magno *Burmanno* exemplar, qui caſtigandi *Heinſii* nullam facile omittit occaſionem, &, ubi arripuit, mordicus tenet, quamvis, abſque ſcriptis *Heinſii* manu commentariis fuiſſet, nunquam tot libros edidiſſet. Ego vero ab opera tam parum animo nobili decora ſemper abhorrui. Facile eſt ſtilum ſtringere, ſi talem in Criticum incidas, qualis fuit e. c. *Caſp. Barthius*, aut *Nic. Heinſius*, homines prurientes, νεωτεροποιοὶ, ἀνερμάτιστοι. Tales qui aggreditur & vexat, & allegat, atque exſcribit unice, meliora promere de penu ſuo neſcit, & lectorum acumini diffidit, quaſi ſponte ſua illorum errores deprehendere non valeant. Maius eſt, verum videre ſenſum Auctoris, & veram corruptorum emendationem. Potiſſima & nobiliſſima Critici dos hæc eſt, qua qui caret, Critici nomen non meretur.

Ad

Ad *Cap. 3* initium noto, quod ſcholaſticus ille ſit *Agamemnon* appellatus a dictionis gravitate & maieſtate, & præſtantia præ ceteris. Ita *Pompeius*, teſte *Dione Caſſio p. 211* edit. *Steph.* κράτιςος Ῥωμαίων ἐνομίσθη, ὥςε καὶ Ἀγαμέμνονα αὐτὸν ἐπικαλεῖσθαι.

Ad *Cap. 12: Veniebamus in forum.*) Forum intelligit veſtiarium, quo vetuſtas veſtes, ſtragulas, & aliam ſupellectilem domeſticam, vendebant; quale eſt Leidæ *der Lauſe-Markt*, locus ſic dictus. Athenienſes id forum appellabant τὰς κλίνας. Εἰς τὰς κλίνας ἰέναι. Hinc intelligendus & explicandus locus *Theophraſti Cap. 23*: ἐπὶ τὰς κλίνας ἐλθὼν ἱματισμὸν ζητῆσαι εἰς δύο τάλαντα, καὶ τῷ παιδὶ μάχεσθαι· ΟΥΚ ΕΧΩΝ ΧΡΥΣΟΝ ΝΥΝ ΤΩ ΑΚΟΛΟΥΘΕΙΝ. Glorioſus & vanus iactator audet, etiamſi pecunia defectus, tamen in forum veſtiarium venire, & inquirere in veſtem duorum talentorum, eaque oblata, ubi venerit res ad ſolutionem argenti, cum puero rixari, & eum his verbis obiurgare: *Tune audes, furcifer, abſque pecunia aliquem* (id eſt, me, herum tuum,) *huc ſequi.* Ἐπὶ τὰς κλίνας eodem modo dictum, quo εἰς τὸν τυρὸν, ut *Lyſias adverſ. Pancleon.*: εἰς τὸν τυρὸν οὖν ἐλθὼν, *veniens itaque in forum caſearium*, & alia, quæ *Caſaubonus* notavit. Occaſione vocis κλίναι locum emendabo, aut potius tentabo tantum, *Alciphronis Lib. I Epiſt. 21 pag. 80*, ubi legitur: ὁ δὲ ἐπειδὴ κρίνων αὐτῷ ὁ γεννήσας ἐγένετο· & ſenſus debet eſſe, qualem *Berglerus* expreſſit:

preſſit: *At ille poſtquam meliuſcule ei habet pater.* Poſſet quidem levi mutatione locus melioratri, ſi pro κρίνων legatur κρείττων. Quia tamen in MSto exſtitit, teſte *Berglero*, non ἐγένετο, ſed ἐξεγένετο, veni in eam coniecturam, pro κρίνων legendum eſſe κλινῶν. Ὁ δὲ, ἐπειδὴ κλινῶν αὐτῷ ὁ γεννήσας ἐξεγένετο. *At ille, poſtquam ipſi pater e ſtragulis* (in quibus æger decubuerat) *evaſerat.* Non dubito, phraſin κλινῶν ἐκγενέσθαι pro *convaleſcere* paſſim reperiri. Exempla quærendi & congerendi laborem aliis relinquo. Revertor nunc ad penſum meum. Ut Athenienſes ἐς τὰς κλίνας dicebant; ſic dicebant Tarentini, tradente *Heſychio*, ἐς τὰ λωπία. Sic legendus eius locus, qui vulgo ſic circumfertur: Ἐςαλωπία· ἡ τῶν ἱματίων ἀγορὰ, ὑπὸ Ταραντίνων. Ad locum *Theophraſti*, modo allegatum, adhuc noto, illum a viris doctis non intellectum, ideo, quod non memores eſſent moris Athenienſium, quo in infinitivo efferebant, ſi aut aliquid mirarentur, aut aliquem obiurgarent. Scatet *Ariſtophanes* talibus. Ut e. c. *Nub. 268*: Τὸ δὲ μὴ κυνῆν οἴκοθεν ἐλθεῖν ἐμὲ τὸν κακοδαίμον' ἔχοντα. Item *verſ. 817*: ἰδοῦ γ' ἰδοῦ, Δί' ὀλύμπιον· τῆς μωρίας. Τὸν Δία νομίζειν ὄντα τηλικουτονί. Item *Veſpis verſ. 5*: Βάλλ' ἐς κόρακας· τοιοῦτονὶ τρέφειν κύνα. *Plutarchus Moral. Tom. II pag. 903 lin. 13* ed. *H. Steph.*: ταῦτα ὑμᾶς περὶ Διονύσου λέγειν &c. Et talia innumerabilia exſtant apud alios. Sic itaque locum illum *Theophraſti* ſua luce donavimus.

Ad

Ad *pag.* 72 noto, non male poſſe dici *meretrices explicare*, quandoquidem Græci quoque γυναῖκας ἀναπλύσσειν dicunt. Utitur ea phraſi *Diodorus Siculus* in *Excerptis Peireſcianis pag.* 357 *lin. pen.*: ἐκ ὀλίγας δὲ καὶ τῶν γυναικῶν ἀναπλυγμένας τὰ σώματα πρὸς ὕβριν ἦν ἰδεῖν. Sic legendus ille locus, in quo *Valeſius* verum non vidit. Facete quoque *Ariſtophanes Lyſiſtr.* 730: ἔρια μιλήσια ἐπὶ κλίνης διαπεταννύειν.

Ad *pag.* 101 *b. c. f.* addi poteſt exemplum ex *Heliodori Lib. VI pag.* 286, ed. *Commel.*: ἔπειτα δὲ ἡ Χαρίκλεια τὸ πρόσωπον ἐνύβριζεν, ἀσβόλῳ τε ἐντρίψει καὶ πηλῷ καταχρίσει μολύνασα.

Ad *pag.* 104: *Caput fregit)* reſpondet Græcum, κατάξαι τὴν κεφαλὴν, pro vulnerare. Quod noto propter illos, qui putant, κατάξαι, vel κατεαγέναι, τὴν κεφαλὴν, & τῆς κεφαλῆς, diverſa eſſe, & illud comminuere & prorſus obterere, hoc vero tantum vulnerare, notare. Non nego quidem, plerumque illam diſtinctionem obſervari ab Auctoribus, non tamen ſemper, certus ſum. Ita *Theophraſtus Cap.* 27 *Charact.*: τὴν κεφαλὴν κατεαγέναι, ut recte ibi correxit *Clericus*; quod patet ex ſimili loco apud *Dionem Chryſoſtomum pag.* 605 *c. f.* ubi eſt, κατεαγὼς τὴν κεφαλήν. Induxit viros eruditos, ut bonæ dictioni controverſiam moverent, quod putarent, κατεαγέναι activum eſſe, aut habere activam ſignificationem, ſed habet ſignificationem paſſivam, & integra eſt phraſis κατεαγέναι (κατὰ) τὴν κεφάλην, id eſt, ἐπιτετρίφθαι κατὰ τὴν κε-

κεφαλὴν, fractum eſſe circa caput; vel κατεαγέναι (κατά τι) τῆς κεφαλῆς, in aliqua parte capitis fractum eſſe.

Ad *pag. 134 b. lin. 7, Species*, ait, *proverbii eſt*, ὕδωρ κατὰ χειρὸς, *de rerum omni abundantia, ſed, an* εἰρήνη *hoc notare poſſit in loco Teleclidis:* Εἰρήνη πρῶτον ἁπάντων ἦν ὥσπερ ὕδωρ κατὰ χειρὸς, *neſcio.*) Non recte cepit eum locum *Burmannus. Teleclides* ait, pacem primam rerum omnium fuiſſe, ut in conviviis primum omnium, quæ flagitantur & imperantur, eſt, ὕδωρ κατὰ χειρός. Facetum eſt, quod ait *Petronius, Trimalchionem digitos paulum adſperſos in capite pueri terſiſſe.* Forte habuit ex *Ariſtophanis Equit. verſ. 906:* Ἀπομυξάμενος, ὦ δῆμ', ἐμοῦ πρὸς τὴν κεφαλὴν ἀποψῶ. *O popule*, ait *Cleon*, ὦ βδελυρὸς, *abſterge digitos tuos ad caput meum, quando nares emunxeris. Capitolinus* in *Vit. Commodi Cap.* 17: *Cum in gladiatoris occiſi vulnus manum miſiſſet, ad caput ſibi deterſit.* Et *Plinius VII,* 11: *Anthropophagos oſſibus humanorum capitum bibere, cutibusque cum capillo pro mantilibus ante pectora uti.* Ex hoc more ſe crinibus detergendi nata phraſis, ἀναμάσσειν (ἐγκλήματα, vel ἁμαρτήματα,) τῇ ἑαυτοῦ κεφαλῇ, apud *Herodot. I, 155, pag. 62.* Inde *Plato Comicus mantile* appellat hominem fœdum, purgamentum reipublicæ, quo extergi, tanquam mantili, aut ſpongia, crimina omnia poſſint, cuius in caput omnia exonerari. Exſtat locus apud *Plutarch. Præcept. Polit. p. 1434* ed. *Steph.* ubi

ſubi leg. προςίςαταί μοι πρὸς τὸ βῆμα μαντίλη. Poteſt addi, licet huc non omni modo pertineat, illud ſummæ τρυφῆς, qua *tenuiſſimis ſuis crinibus lachrymas Pſyches abſterſiſſe Cupido* dicitur *Apuleio pag.* 412 ed. *Beroald.*

Ad *pag.* 142: *Cave canem)* Allegari huc meretur facetus quidem, ſed obſcœnus quoque, locus *Ariſtophanis*, ubi fœmina πρός γε μέντοι τὴν θύραν προαγορεύω μὴ βαδίζειν τὴν ἐμὴν, ἀλλ᾽ εὐλαβεῖσθαι τὴν κύνα.

Ad *pag.* 145: *Levatum mento - - Mercurius rapiebat)* id eſt, barba. Alias coma rapti leguntur. *Libanius* parentali in *Iulian. p.* 310 *Tom. VII Bibl. Græc. Fabricii*: Καὶ τις αὐτῦ τῆς κόμης ἥψατο τῶν ἐξ ὐρανῦ καταβάντων &c.

Ad *pag.* 154 *lin.* 1 adſcripſi meo in exemplari *Dionem Chryſoſtomum pag.* 113, *A*, *Xenophontem Oecon. pag.* 849, *B*, & *Salmaſium ad H. Aug. pag.* 420, ed. *Pariſ.*

Ad *pag.* 162 de Alexandrinorum dicacitate, res nota eſt. Confer. *Dionis. Chryſoſt. Orat. XXXII pag.* 360, *Dio Caſſius pag.* 131 & 496, *B*, *Lucianus* initio *Navigii*, aut *Votorum*.

Pag. 164 *lin.* 3: *acido cantico)* id eſt, *ingrato*. *Plautus Bacchid.*: *Hoc eſt, quod peracescit, hoc eſt demum, quod percrucior*. *Apuleius pag.* 440, ed. *Berol.*: *Acidas & amaras iſtas nuptias ſentias.*

Pag 165 *Pantomimi chorum* ex Traguriensi reſtitui. Quod etiam recte approbavit *Burmannus.*

mus. Num vero Pantomimorum chorus dici queat, non video, quare ille dubitarit. Χορὸν φιλοσόφων certe appellat *Philoſtratus* aſſeclas & diſcipulos *Apollonii Tyanei, IV, 36, pag. 176*; Χορὸν μαθητῶν *Plutarchus Moral. Tom. II pag. 968*, ed. *Steph.* c. med, & χορὸν κολάκων *Tom. I pag. 113, 3*. Simpliciter χορὸς appellat *Libanius II pag. 8 B*, quos noſter ſcholaſticos, iuvenes literarum ſtudioſos. Chorus idem eſt, quod Latinis familia. Sic χορὸν βασίλειον, *familiam regiam*, *Ariſtides I pag. 40* ed. *Angl.* appellat. *Galenus I pag. 407 lin. 18*, ed. *Baſ.* Ἀσκληπιαδῶν χορόν. Conf. *Conſtantinus Porphyrogeneta pag. 42* in *Allatii Symmictis*. Poteſt ergo bene dici Pantomimorum chorus.

Pag. 176 dolet, *Heinſii* certiſſimam emendationem *omnia textorum dicta* non in textum a me receptam. *Teſtorum* procul dubio ſcriptum fuit pro *textorum*. Poſſet quoque *piſtorum* ex illo *Plauti*: *Proſedas, piſtorum amicas*. Græci σκηνοῤῥάφους, (tabernaculorum ſcorteorum conſutores,) & νευροῤῥάφους, ſeu ſutores, pro ultima faece plebis ponunt. Si *Burmanni* memoriæ præſens fuiſſet, quod ſervi a *Plauto* pariter atque *Terentio* inducantur dicaciſſimi, & vernæ ſint ſcurriles, unde vernilitas, non oggannisſet huic emendationi, etiamſi demonſtraſſet, textores ingenuos homines in Italia non fuiſſe.

Pag. 179 ioculare & ἀλαζὸν eſt illud: *cochlearibus ſex libras pendentibus*. Conf. *Lucian. Navig.*: Τὰ δὲ ἐκπώματα οὐ κοῦφα, ὡς τὰ Ἐχεκράτους,

κράτηρ, ἀλλὰ διτάλαντον ἕκαστον τὴν ὁλκήν. Unus ſcyphus duum talentorum, μορμὼ τοῦ μεγέθους.

Pag. 182 admiſi *Scaligeri* emendationem, *piperato vitello opiperatam*, quia inter ceteras erat veroſimillima; quamvis de cetero poſſit de eius veritate dubitari. Non enim video, quam opiparum ſit epulum vitellus piperatus. Si qui velint hanc emendationem ex eo capite accuſare, quod alliterationis uſus vitioſus & indecorus habeatur; illi multas poſſem opponere auctoritates Auctorum ex omni ætate, quos interdum verbis ludere non puduit. Graviſſimus Auctor *Thucydides II, 62, p. 137, 1*, ed. *Duker.*: μὴ φρονήματι μόνον, ἀλλὰ καὶ καταφρονήματι. *Plato* in *Theæteto*, & ex eo *Ariſtides I p. 73 c. f.*: ἐξ ἀκηράτου πυρὸς πλασθεῖσα ψυχή. Idem *Plato p. 1182 D.* ed. Francof.: παυστέον δὲ παυσαμένου. *Ariſtoph. Eccleſ. 236*: χρήματα πορίζειν εὐπορώτατον γυνή. *Ariſtides Tom. II p. 212, 10*: οἱ μὲν γὰρ οὐκ ἔμελλον ἔσεσθαι (ſic leg.) τὸν νῦν τῶν χρησμῶν, οὐ σοφοῦ πρᾶγμα ἔμελλε πείσεσθαι. Idem *T. I p. 200*: ὅσα ὧραι φύουσι, καὶ χῶραι ἕκασται φέρουσι. *Philoſtrat. II, 5, V. A. T. p. 53, 4*: διὰ κωμῶν ἐκομιζόμεθα. Idem *IV, 31, p. 171*: γερόντων γέρας. *Libanius Tom. II p. 183 A*: πῦρ μὲν ἐπὶ βωμοῦ αἴρεται, καπνῷ δ' ἀὴρ ἱερῷ καθαίρεται. *Æneas Gazæus de anim. immort.* ed. *Barth. p. 48*: εἰς σῆμα τὸ σῶμα πέμπουσι. Plenus eſt his *Heliodorus*. Conf. *p. 38* ed. *Comel. lin. 36, 37, p. 42 lin. 26, 27, p. 65, 35 & 37, p. 102, 29, 30, p. 109, 18, p. 111, 2, 4, p. 169, 11, p. 170, 34*, &c. Tale quoque illud *Ovidii*: *in-*

genuas ungue notare genas. Sed ohe iam ſatis eſt minutiarum! Ad alia quam proxime progredimur.

VI.

FRID. OTTONIS MENCKENII LIBRORUM, HAUD ITA DIU AB INVENTA ARTE TYPOGRAPHICA EDITORVM, QVIBVS SVPPLERI POSSINT ANNALES TYPOGRAPHICI MAITTAIRIANI, DECAS PRIMA.

Ut, qui literarum aliquo ſtudio feruntur, nunquam averſo a bonis libris animo eſſe posſunt; ſic, me ipſum, fateor, ab eo inde tempore, quo commercium cum ſuavioribus Muſis non omnino nullum habui, totum fuiſſe in colligendo Scriptorum omnis generis exercitu, eodemque ita inſtruendo, ut mihi æque ac aliis, qui meis hiſce opibus utendum ſibi putarent, in honeſta illa & urbana, quam nos Apollinis alumni ſequimur, militia magno eſſe ſubſidio & adiumento poſſet. Atque hic propoſita ante oculos exempla bene multa, tam externa, quam domeſtica, habui, remque eam non ſolum ſatis per ſe bonam & laudabilem, ſed mihi etiam maxime decoram, iudicavi, a qua adeo non abſtinuiſſe optimos quosque viros, atque inter eos avum olim, poſteaque patrem meum, meminiſſem, ut in ea plurimum & temporis, & fortunarum, conſumerent,

rent. Et ad avum quidem, *Ottonem*, quod attinet, fortaſſe lectorum pauci ignorant, primá ab eo fundamenta iacta magni illius & ſumtuoſi ædificii, cui deinde exſtruendo, modisque omnibus perficiendo, pater *Ioannes Burkhardus* annorum plus quam triginta curam & laborem impendit. Quam mihi commemoranti Bibliothecam, & memoria repetenti inſignem, quo abundabat illa, librorum non lectiſſimorum tantum, ſed inventu etiam rariſſimorum, apparatum, cui neſcio an ſimilem nunc adeo multæ oſtendant, triſtis hæc recordatio poſſeſſi a maioribus, ſed non traducti ad nepotes, literarii theſaurii non poteſt non iuſtiſſimum dolorem, ſuſpiria, ac pæne lachrymas, exprimere; nec nullam in eo fortunæ in me iniquitatem agnoſco, quod carendum mihi, etiam talis felicitatis ſenſum aliquem habenti, tam præclaris ſtudiorum & ſubſidiis, & ornamentis, fuit, impoſitamque mihi, aliunde proſpiciendi rebus meis, &, veteri deſtructo, novum Muſis meis domicilium parandi, parum gratam neceſſitatem vidi. Nam, ſi ita in fatis fuiſſet, ut ad me, hæredem iuſtum ac legitimum, *Menckeniana* illa, in veris olim Lipſiæ meæ ornamentis habita, Bibliotheca perveniret, ſi rerum domeſticarum in ædibus paternis ea ratio fuiſſet, ut publicæ utilitati unice ſervire licuiſſet, ad privati commodi curam nulla nos neceſſitas adſtrinxiſſet, ſi, conſervare opes illas, æque facile, ac primum acquirere, fuiſſet; ſenſiſſem me magno utique, ſtudiorum cauſa poſtea ſuſcepto, onere leva-

levatum, nobilemque illam vitæ meæ partem, quam, conquirendo undique, quæ literatam meam paupertatem ſuſtentare poſſent, fere perdidi, labores, fortaſſe meliores, & homine tali, qualem ego me ſemper profeſſus ſum, aliquanto digniores, ſibi vindicaſſent. Iam, cum, mortuo parente, veteris illius Bibliothecæ nihil mihi niſi triſte deſiderium relictum intelligerem, & velut avis nuda ac deplumis in domo vacua ſederem, eo redactus, ut, niſi neceſſariæ ad ſtudia literarum ſupellectilis perpetuam ſuſtinere egeſtatem vellem, omni illi, quam inde a puero tractaveram, renuntiandum mihi viderem arti eſſe; non, quod caperem in re tam deſperata, conſilium habui, niſi hoc unum, ut, deſtructis & everſis, ferente ita fato, ædibus paternis, novas ipſe meis manibus ædiculas exſtruerem, &, ſi magnis uti negatum eſſet, non minori cum voluptate habitare in parvis diſcerem. Cœpi igitur ante hæc fere quatuor luſtra totum me dare ei ſtudio, a quo temperare ſibi, qui Muſis favent, raro poſſunt, nec vanum hoc nomen arbitratus, ſi Bibliothecæ qualiscunque poſſeſſorem me dicerem, tantum eam in rem ſumtuum, quantum per fortunarum mearum tenuitatem licuit, fortaſſe etiam plus, quam licuit, inſumſi. Fuit autem mea colligendi ratio, ſi genus librorum ſpectetur, a paterna avitaque longe diverſiſſima, &, ut ego cum illis ſtudiorum amplitudine me nunquam comparavi, ita in hoc ipſo inſtruendæ Bibliothecæ inſtituto arctioribus multo, quam illorum uter-

que,

que, me finibus continui. Nam, cum patrem æque ac avum univerſæ hiſtoriæ, ſacræ & profanæ, civilis & literariæ, patriæ & externæ, inſignis quidam amor, ſive à natura inſitus, ſive a munere publico inflammatus, teneret, eſſetque hæc præcipua eorum cura, ut, quicunque demum huc referri poſſe viderentur, librorum omnium jucunda ipſis frui poſſeſſione liceret: quo in genere, ampliſſimo, ni fallor, & quotidianis augeri incrementis ſolito, ſatis omnes ſciunt, quantum exhauriri nummorum poſſit; ego, alienior ab illis ſtudiis, unde parum mihi in umbratili hac vita exſpectari utilitatis poſſet, nec eorum mihi ratus exemplum imitandum, a quibus ad pompam tantum, non ad uſum, auguſtiſſima Muſarum quaſi templa exædificantur, de eo tantum genere librorum mihi comparando laboravi, quo ægerrime carere elegantiorum literarum, hoc eſt, Græci & Latini ſermonis, antiquitatum, rei criticæ & numiſmaticæ, eloquentiæ, poetices, illius denique hiſtoriæ, quæ ſcientiarum artiumque nobis fata tradit, ſtudioſi ſolent. Hos mihi ipſe in literato hoc negotio cancellos circumdedi, extra quos ſi egrederer nunquam, ita futurum certiſſime ſperabam, ut plena ſatis, ſatisque inſtructa, gaudere mihi aliquando, & quidni gloriari? Bibliotheca liceret. Nec me poſtea hæc ſpes deſtituit, id ipſum, ut ſolemus fere, acri quodam & contento ſtudio agentem, &, quantum in his etiam rebus continua quærendi exercitatio & conſuetudo valeat, uſu ipſo edoctum. Nam, ſi

 mihi

mihi venia hæc detur, ut poſſim de meis rebus ea, quæ ſunt vera, nec magnam adeo laudis, aut gloriæ, materiam habent, profiteri, ea me in colligendis his, quæ pertinent ad artem meam, fateor fortuna uſum, ut iam meus hic librorum, quos ex omni pæne Europa a tot inde annis congregavi, apparatus cum Bibliothecis etiam longe ſplendidiſſimis, ſi non copia, cuius ego rationem nunquam habui, at delectu & præſtantia, certare poſſit. Nam, ut nihil dicam de Græcis & Latinis Auctoribus, quorum, ſi e re publica id foret, numeroſiſſimæ a me copiæ in aciem educi poſſent, nihil de omnis generis antiquitatum ſcriptoribus, quos, ſi modeſtiſſime dicendum, paucis fortaſſe civium meorum tanto numero conſociatos licuit videre, nihil de illa hiſtoriarum parte, quæ in exponendis hominum doctorum vitis, & ſcientiarum artiumque fatis, verſatur: quo in genere divitem potius, quam egenum, me iudicabit, ſi quis, multum hic præſtare meas opes paternis cognoverit; vel ſolos numorum veterum interpretes, liberali a me hoſpitio invitatos, ita ſe mihi præbuiſſe ad accipiendum illud faciles recordor, ut vere affirmare poſſim, illorum vix unum & alterum ad hunc diem mihi fruſtra veſtigatos. Sed non eſt inſtituti mei, de Bibliotheca mea (Bibliotheculam dicerem, ſi ita cum veteri Latio liceret,) glorioſius, quam fortaſſe invidorum aliqui vellent, prædicare. Illius quæ ſit ratio, & quæ mihi æque ac aliis inde aliquando commoda ſint exſpectanda, hos, qui in re tali

curio-

curioſiores eſſe ſolent, alio & loco, & tempore, docebo. Id unum ignorare nunc Lectores nolo, doctos undecunque & ſelectos libros conquirentem, incidiſſe me in multos, rarius nunc quidem obvios, quippe ſub ipſis artis typographicæ natalibus excuſos, atque adeo, ſi re nulla alia, ſaltem venerabili antiquitate, commendatiſſimos. Cuius generis libros, cum multum utique interſit literarum, non perpetuis iacere tenebris ſepultos, hosque notos ſibi fieri, ii inprimis, qui in artis huius, magno hominum bono inventæ, fata inquirendi ſtudio delectantur, vehementer cupiant; ipſe ego, ſi quid ex mea penu conferri ad communem uſum poſſit, non id negandum literis, & harum ſtudioſis, puto, ſed, quæ mihi forte, rariſſima hoc tempore, & ipſi illi Annalium typographicorum diligentiſſimo ſcriptori, *Maittairio*, minus cognita, melior fortuna obtulit, hæc vel maxime proferenda in cognitionem omnium exiſtimo. De quo *Maittairiano* Opere, quatuor molis non exiguæ volumina implente, & nuper demum ampliſſimi *Indicis* acceſſione aucto, non eſt neceſſe, multa hic magnifice commemorari; quandoquidem commune dudum hoc eorum, qui harum rerum ſatis ſunt periti, iudicium fuit, miram ac plane inauditam in conficiendis his *Annalibus* induſtriam conſumtam, remque pæne incredibilem videri, ab uno homine, quantumvis diligenter id agente, tantum acquiri divitiarum, tantum rerum abditiſſimarum protrahi ex latebris, tantum evigilari in re parum grata, potuiſſe. Quo maior

ior igitur & Operis illius amplitudo, & rerum, quæ in eo continentur, copia ac multitudo, eſt, hoc plus habendum gratiæ videtur iis eſſe, qui talia ex ſuis forulis expromunt, unde locupletari hi *Annales*, nec nihil accipere ornamenti, poſſint. Mihi certe, plenas huc librorum vetuſtiorum ſarcinas ferenti, hasque exponere ante oculos omnium inſtituenti, nihil minus eſt propoſitum, quam oſtentare opes meas, aut in re, quæ mediocrem acquirere laudem poteſt, ſingularem doctrinam venditare. Id potius, ſi qui Lectorum æquitati in iudicando ſtudent, mihi credant velim, non alias inſtituti huius mei rationes me ſecutum, quam ut ex rebus aridis ac ieiunis aliquid velut ſucci ac ſanguinis exprimerem, atque adeo gratum quodammodo iis facerem, qui in veſtiganda librorum artiumque hiſtoria non inutiliter laborant. Id ipſum ſi mihi conſequi tenui hoc labore liceat; videbor mihi non ſolum ſat magnos tuliſſe ſtudii iſtius fructus, ſed in re etiam ſatis per ſe bona, &, quandoquidem, quæ bona ſunt, laudari ab omnibus merentur, ſatis etiam laudabili, verſatus. Accipe igitur, ó bone Lector, ſtrenæ loco leve hoc, quod a paupertate mea proficiſci poteſt, munuſculum, &, ſi primam hanc librorum decimam tui fuiſſe ſtomachi intellexero, ad plures tuis uſibus vovendas fore me promtiſſimum, confide.

I. *Summa Angelica de caſibus conſcientiæ, per fratrem Angelum de Clavaſſio, Ordinis Mino-*

Minorum Vicarium generalem ciſmontanorum fratrum obſervantiæ, compilata. 4.

Sub finem operis hæc leguntur: *Opus quoque hoc Angelicum arte, opera, & impenſis non minimis, maxima cum emendatione, Nicholaus Franckfort, Germanus, impreſſione anno Salutis MCCCCLXXXVII, Kalendis Novembris, complevit Venetiis.* Rariſſima libri, ſæpius excuſi, editio, quam nec *Maittairius*, nec, qui de libro hoc ſatis diligenter egerunt, *Io. Alb. Fabricius*, *Conr. Geſnerus*, *Lucas Waddingus*, aliique plures, habuerunt cognitam. Et a *Fabricio* quidem, quem in hunc errorem induxiſſe *Waddingus*, auctor operis *de Scriptoribus Ordinis Minorum*, videtur, primum editam hanc *Summam* anno demum 1490, plagulis octuplicatis, docemur in *Bibliotheca Latina mediæ & infimæ ætatis Lib. I pag.* 262. Nec aliter perſuaſum *Geſnero* fuit, ſi recte interpretor verba huius in *Biblioth. univerſali pag.* 43, *Fr. Angelus de Clavaſio, Ordinis Minorum, Vicarius generalis ciſmontanorum fratrum obſervantiæ, conſcripſit Summam Angelicam, quod opus Venetiis impreſſum eſt anno* 1490 *in* 8 *chartis circiter* 67. Felicior his *Maittairius* fuit, qui eiusdem anni, quo hæc noſtra prodiit, aliam editionem Venetam, prelo *Georgii de Rivabenis* excuſam, adduxit, ſecutus in eo *Io. Saubertum*, qui in *Hiſtoria Bibliothecæ Reip. Noribergenſis pag.* 160 hac inſcriptione librum ponit: *Angeli de Clavaſio Summa Angelica de caſibus conſcientiæ, per Georg. de*

Rivabenis, *Mantuanum*, *alias Parentez. Venet.* 1487. Eſt hic idem typographus, qui magis vulgari nomine *de Arivabenis* dicitur; niſi forte, quod ego facile crediderim, in libro *Sauberti* vitio operarum pro *Arivabenis* ſcriptum ſit *Rivabenis*. Is certe *Georgius* novam A. 1495 *Angelici* huius operis editionem, indicatam a *Maittairio*, exire prelo ſuo iuſſit, quæ nomen ſubnotatum *Arivabeni* habet. Antiquiorem anno 1487 huius *Summæ* editionem ego nullam ſcio; atque adeo iam quæri poteſt, ſitne noſtra hæc *Franckforti*, an altera *Rivabeni*, prima omnium dicenda. Quem ita optime Lectoribus ſcrupulum eximere licebit, ſi huc apponam breve illud *Franckforti* Epigramma, in operis, & Auctoris, *Angeli*, laudem compoſitum, quo extremam libri paginam ornatam video. Inde ſcilicet haud obſcure intelligas, editi primum operis gloriam huic noſtro *Nicolao* deberi. Ita nempe verba typographi ſe habent:

Nicholaus de Franckfordia, huius impreſſionis auctor, ad lectorem:

Humano angelicas quicunque audire loquelas
Ore cupis, præſens perlege, lector, opus.
Hic ſacros canones, hic & civilia iura,
Hic ſanctæ invenies religionis opes.
Maxima multorum quod vix dabat ante librorum
Sarcina, id Angelica dat tibi Summa brevis.

Angelus

Angelus eſt auctor, ſacri decus Ordinis ingens
Seraphici, tanta religionis honos.
Auctorem genuit Clavaſſina; Veneta dedit
Terra impreſſorem: loca beata viris.
Franckfort neque minus: gens felix, unde creatus
Angelus, angelicis dignus adeſſe choris.

Quo lecto Epigrammate, ita mihi exiſtimare liceat, non gloriaturum adeo de editione operis fuiſſe *Nicolaum*, ſi alius quiſquam hanc ipſi præripuiſſet palmam. Ita coniicere ſatis probabiliter licet; ſed certiora fortaſſe ii dabunt, quibus in manus dederit fortuna alteram illam *Rivabeni* editionem, mihi adhuc, niſi *Sauberti* & *Maittairii* indicio, haud cognitam. In fronte *Franckfordiana* huius editionis, neſcio an aliarum etiam, Epiſtola legitur *F. Hieronymi Tornielli, Lectoris, ad R. P. F. Angelum de Clavaſſio*, præſentis operis Auctorem, in qua *orat eius Reverentiam, ut ipſum opus imprimi faciat, propter talem & tantam dicti operis excellentiam & utilitatem.* Hunc *Torniellum*, ortu Novarienſem, *Waddingus* docet in *Annalibus Minorum*, recens editis a *Ioſepho Maria Fonſeca ab Ebora, T. XIV pag. 232, Ticinenſem prius Doctorem, & Cathedraticum Iuris Civilis, poſtea virum vere religioſum, & in ſacra pagina eruditum, fuiſſe*, hisque meritis eo perveniſſe, ut munus Vicarii generalis Obſervantum Ciſmontanorum obtineret. Quam dixi modo, talis eſt epiſtola, qualem ab illius

lius Ordinis ſodale exſpectare liceat: ſiccea nempe ac ieiuna, ſi genus ſermonis ſpectetur, pinguis ac dives, ſi ad magnos laudum acervos attendas, quibus *Angelica* hæc *Summa*, & divinus eius Auctor, obruuntur. Hanc breviſſima ſequitur *Reſponſio venerandi Patris fratris Angeli ad fratrem Hieronymum ſupra ſcriptum*, qua opus hoc ſuum *Angelus Hieronymo* transmittit, eidemque copiam edendi facit. Atque hinc iudicare licet, præcipuam editionis huius gratiam habendam *Torniello* eſſe, & ab hoc donatum *Angelico* hoc fœtu *Franckfortum* fuiſſe. Quæ *Tornielli* in opus *Clavaſſianum* merita cum in libro *de Script. Ord. Min. pag.* 22 *Waddingus* commemorat, haud ſatis mihi videtur accurati ſcriptoris laudem ſuſtinere; quippe narrationi ſuæ talia admiſcens, quibus, qui ipſam *Tornielli* epiſtolam legerunt, vix habere fidem poſſint. Nimirum libri huius, *ubi primum prodierit, tres*, ait, *factas eſſe impreſſiones, quas amanuenſium & typographorum ſocordia dum Auctor apprehenderit vitioſas, Hieronymi Tornielli precibus interpellatum, quartam curaſſe fieri editionem auctiorem & accuratiorem Venetiis anno 1490.* Ubi primum manifeſtus in anno 1490 error eſt, quo, ſi quam *Tornielus* edendæ *Clavaſſianæ Summæ* curam adhibuit, non certe primum ab eo adhibitam, vel noſter hic, quem manibus tenemus, liber docet. Deinde, quod, ante *Torniellanam* editionem tres exſtitiſſe eiusdem operis alias, *Waddingus* docet, id, ut dixi, nemo facile

cile credat, qui ipſam *Tornielli* epiſtolam inſpexit, verbis id clariſſimis docentem, diu ante, quam ederetur, notum in Italia, lectumque multis, at nunquam impreſſum, opus hoc *Clavaſii* fuiſſe, primoque *Torniello* in mentem veniſſe, eius edendi veniam rogare *Angelum*. Nec, qua reſpondit *Torniello Clavaſius*, quidquam habet epiſtola, unde, iam olim opus hoc officinis typographicis exiiſſe, ſuſpicari liceat. Nihil igitur certius, quum primæ editionis laudem *Torniello* deberi; neque adeo dubitandum, quæcunque ante annum 1490 ſunt vulgatæ, aut huius *Tornielli* cura paratas, aut certe hac, quam ſæpius dixi, eius epiſtola ornatas, prodiiſſe. De opere ipſo, cuius argumentum ex inſcriptione patet, non opus eſt, pluribus commemorari. Ordinem in eo literarum ſequitur *Clavaſius*, plurima doctrinæ ſacræ & moralis, Iuris item civilis & Pontificii, capita, quæ difficiliores explicatus habent, ita pertractans, ut, quid verum, quid iuſtum, quid religioſum, ſit, ſive auctoritate doctorum, quos magno numero adducit, ſive rationibus, ex Scriptura ſacra, aut ſcriptis Patrum, aut Iure Pontificio, partem maximam petitis, ubique definiat. Id ſatis conſtat, tantum huic *Summæ* tribui a Pontificiis ſolere, ut ad eam, tanquam ad Delphicum oraculum, in cauſis dubiis confugiant. Fidem huic rei facere, ſi nihil aliud, vel mira illa copia editionum poteſt, quas indicare varii ſcriptores varias & valde inter ſe diverſas ſolent,

Et

Et *Waddingus* quidem in libro *de Scriptoribus Ordinis Minorum*, vidiſſe ſe quinque Venetas, primam anni 1490, alteram anni 1492, tum tres alias, *Iacobi Ungarelli* additionibus auctas, & annis 1569, 1578, & 1582, vulgatas. His Argentinenſem anni 1513, Noribergenſes annorum 1498 & 1588, *Io. Alb. Fabricius* loco ante dicto addit, memorans etiam Italicam interpretationem, A. 1593 editam. A *Conr. Geſnero* nominari video editionem Lugdunenſem, in officina cuiusdam *Theob. Pag.* excuſam. Harum, quod miſeris, nullam, ſi unam Noribergenſem anni 1492, & alteram Argentinenſem anni 1513, excipias, *Maittairius* habet, ſed qui plures alias collegit, atque hoc ordine adduxit: Venetam a. 1487, per *Georg. de Rivabenis*; Noribergenſem a. 1488, per *Koburg.* fol.; Argentinenſem a. 1489, fol.; Aloſtanam a. 1490 per *Theodoricum Martinum, Aloſtanum*, fol.; Argentinenſem a. 1491, per *Martinum Flach*; Noribergenſem a. 1492, per *Koburg.* fol.; Venetam a. 1495, per *Georg. de Arivabenis*, 8; Argentinenſem a. 1495; Noribergenſem a. 1498, fol.; Venetam a. 1499, 12; Rothomagenſem a. 1511, per *Magiſtrum Petrum Violette*, 4; denique Argentinenſem a. 1513, impenſis *Ioannis Rinman de Oringaw*, nec non *Ioannis Knoblauch*, in officina *Renati Beck*, fol. His igitur iam accedat noſtra hæc *Franckfordiana*, ideo mihi in cimeliis habenda, quod ſit omnium prima, & ex hac, tanquam ex fonte, ceteræ omnes emanarint. De Auctoris, *Angeli*, vita, doctri-

doctrina, & in rem ſacram meritis, hic, ne nimis longus ſim, nihil addo. Hæc ſciendi cupidis abunde ſatisfacient, præter alios, *Waddingus* in *Annalibus Minorum*, & in alio *de Script. Ordinis Minorum* opere, *Fabricius l. c.* & *Thomas Crenius* in Præfatione, *Angeli Caninii Hellenismo* præmiſſa, *pag. 40.* Id unum de morte viri notari velim Lectori meo, incidiſſe hanc, *Waddingo* id teſtante in *Annal. Min. Tom. XV pag. 90*, in annum 1495, atque adeo non levi in errore verſari *Fabricium*, qui l. c. annum 1485 nominat. Propius a vero aberrat, ſed aberrat tamen, *Ge. Matth. Kœnigius*, qui, obiiſſe *Calvaſium* A. 1496, ſcribit in *Biblioth. nov. antiqua pag. 195.*

II. *Auctores cum gloſa, octo libros ſubſcriptos continentes, videlicet Cathonis, Theodoli, Faceti, Cartulæ, alias de contemptu mundi, Thobiadis, Parabolarum Alani, Fabularum Eſopi, Floreti. Impreſſi Lugduni per Iohannem de prato anno Domini MCCCCLXXXVIII, die ultima Decembris. 4.*

Cum liber hic aperte præferat annum 1488; liceat mihi credere, differre hanc editionem ab alia anni 1489, quam ex *Ioannis de la Caille Hiſtoire de l'Imprimerie, pag. 41* adduci video a *Maittairio Annal. typ.* To-

Tomo I, editionis novæ, *pag.* 567, ita inſcriptæ: *Auctores cum gloſſa, octo libros ſubſcriptos continentes, videlicet Catonis, Theodoti*, &c. *per Iohannem Dupré, Lugduni*, 1489, 4. Ubi facile agnoſcas errorem operarum, *Theodoti* exſcribentium pro *Theodoli*. Id non eſt dubium, typographo editionem utramque, ſi quidem duæ ſunt, eidem deberi. Gallice enim *Dupré*, qui Latine *de prato*, dicitur. At, ſi in illa *Maittairii* editione nomen typographi *Dupré*, non *de prato*, exſcriptum eſt, id ipſum argumento eſſe diverſitatis editionum poteſt. In mea enim, ut dixi, *Ioannes de prato*, non *Dupré*, vocatur. Mihi ſatis eſt, diſcrepare annos, nec ita raro olim accidit, ut idem liber intra annum bis eiusdem typographi prelo exiret. Utcunque vero hæc ſe habeant, noſtram hanc Scriptorum moralium editionem in rariſſimis habendam, illud nos dubitare prohibet, quod ipſius *Fabricii*, diligentiſſimi alioqui eiusmodi rerum inveſtigatoris, fugerit notitiam, quippe qui, hanc Scriptorum octo Συλλογὴν prodiiſſe primum Lugduni A. 1507, fol. iterumque A. 1520 forma quarta, ita nos docet, tanquam de re certiſſima, in *Bibliotheca Latina Vol. III pag.* 280, & iterum *pag.* 320. Quid? quod, editori *Catonis Diſtichorum* doctiſſimo, *Ottoni Arntzenio*, cui tot aliæ iſtius libelli editiones ad manum fuerunt, nihil huius ne quidem operis, nedum editionis, fuiſſe cognitum, facile intelligi poteſt ex Præfatione, *Catonianis Diſtichis* ab eo præmiſſa, in qua, cum plures aliæ editiones

tiones nominentur, de Lugdunenſi hac, coniuncta cum aliis Scriptoribus *Diſticha Catoniana*, additasque illis *Gloſſas*, exhibente, ne verbum quidem invenio. Quis huius editionis curam geſſerit, quis colligendi hos Scriptores laborem ſuſceperit, quis *Gloſſæ*, ſive Commentarii, Auctor fuerit, aut ubi hæc omnia reperta primum, ſi quis cupidus ſciendi ſit, is nihil a me, horum omnium ignariſſimo, reſponſi feret. Nihil enim libro Præfationis præmiſſum, nec, unde ipſe acceperit hæc omnia, a typographo docemur, cui ſatis fuit, pudor enim nuda *Gloſſa*, Scriptores exhibere. Si coniecturæ locus, Auctorem *Gloſſæ* putem ſeculi ſui monachum fuiſſe, in Auctoribus antiquis minus, quam in ſacro Codice, aut ſcriptis Patrum verſatum, nec natum ad iuvandas elegantiores literas, a quibus longe fuiſſe alienior videtur. Talem enim non genus tantum ſcribendi, quod barbarum & inficetum eſt, ſed puerilis etiam, res nemini obſcuras explicandi, & divina humanis miſcendi, & ſacræ paginæ oracula in tranſverſum quemque ſenſum detorquendi, ratio loquitur. Eadem coniectura eſt *Henrici Cannegieteri*, Celeberrimi Viri, in *Reſcriptis Boxhornio de Catonianis* quæ *Diſtichis Catonis*, ab *Arntzenio* editis, adiecta ſunt, pag. 29, ubi vere doctéque Vir egregius: *De Gloſſis illis antiquis, de quibus Boxhornius ita ſcribit; Auctorem eorum monachum fuiſſe, aut fuerunt* Gloſſographi *antiqui tantum non omnes in Scriptura ſacra latiniis recenſendis bona aut ſaltem mediocri, in ſcriptis Poetarum*

aliorumque veterum nulla, memoria, quæ & nunquam attigit. Ceterum ampliſſimus eſt Commentarius, ut fere plerumque rerum inutilium maior eſſe copia, quam doctrina & uſu commendabilium, ſolet. Iam, cum unum id poſſim, quales in hoc opere ſcriptores, & quo ordine, legantur, paucis dicam. Primus igitur horum Scriptorum, quos ligato ſingulos ſermone uſos video, *Cato* eſt, notiſſimus moralis doctrinæ magiſter, nec tunc primum, ſed iam ante, ut ex *Maittairio* diſcimus, pluribus in locis editus. Hunc ſequitur *Theoduli*, qui Presbyter, natione Italus, fuiſſe dicitur *Io. Trithemio de Scriptor. eccleſ. pag. 40*, *Liber*, alias *Ecloga* vocari ſolitus, quo in carmine duæ Nymphæ, *Pſeuſtis* & *Alithia*, cantando inter ſe, iudice *Fronesi*, certant. Docentur hic, ut ait Gloſſator, amare veritatem, & fugere falſitatem & mendacium, & credere, quod falſitas a veritate ſuperatur. Si Gloſſatori credas, *Theodolus* non eſt proprium nomen Auctoris, ſed *nomen noviter inventum & fictum ſecundum proprietatem rei & materiæ, ſicut in comœdiis Davus quaſi dans vanum.* Belle & acute, & inprimis docte. Idem Gloſſator, multos, ait, magno & excellenti ingenio viros ad præſentis libelli expoſitionem ſe ante ipſum applicuiſſe, ſed quorum nec ipſe ullam nominat, nec ego nominare ſcio. Prima certe hæc, quod ſciam, Carminis editio eſt, nec antiquiorem unquam inveni. Si qui igitur Gloſſatori noſtro Commentarii fuere cogniti, delituiſſe hos in te-

nebris oportet, unde, quod ſciam, nunquam prodierunt. De aliis huius Carminis editionibus, quarum bene multæ primam hanc ſecutæ ſunt, iam nihil addo. Nec de ipſo carmine, & huius Auctore, pluribus commemorari opus eſt, poſt ea, quæ docte diſputavit *I. A. Fabricius* ad *Trithemium de Script. eccl. Cap. 185.* Excipit *Theodolum Ethica moroſi faceti*, de qua ita Gloſſator: *Solet ſic deſcribi communiter: Facetus eſt quidam liber metricus, a magiſtro faceto editus: loquens de preceptis & moribus, a Catone in ſua Ethica omiſſis. Et dicitur facetus per etymologiam quaſi favens cœtui; id eſt, placens tam in dictis, quam in factis, populo.* Huius Carminis Auctorem fuiſſe quendam ex Seculo XII *Tebaldum*, obſervat *Fabricius* in *Biblioth. Lat. Vol. III pag. 321*, ex veteri quodam Codice, in quo Carmen hoc *Moralis*, non *liber Faceti*, inſcriptum legatur, hunc proferens verſiculum, quem cur Diſtichon ipſe vocet, non video:

Carmine finito, ſit laus & gloria Chriſto,
Cui, ſi non aliis, placeant hæc metra Tebaldi.

Idem *Fabricius*, ſuum ex hoc Carmine *Galateum* compoſuiſſe *Io. Caſam*, docet. Pergimus ad librum *de Contemtu mundi*, de cuius & Auctore, & argumento, ita Gloſſator noſter: *Quis fuit cauſa efficiens? Communiter tenetur, quod beatus Bernardus, qui erat monachus albus, & multum iuvenis, & habebat unum ſocium, quem diligebat multum, & putabat eum de ordine ponere, & tamen non potuit. Et, cum vidit,*

 quod

quod non poterat, fecit iſtum librum, & mandavit ei, ut ipſum legeret diligenter; &, perlecto iſto libro, negligeret iſtum mundum, & tenderet ad gaudia paradiſi. Tum legitur *Tobias Matthæi Vindocinenſis*, quo in carmine ſancta & honeſta *Tobiæ* vita deſcribitur. De quo *Matthæo*, & eius carmine, quod inepte a nonnullis *Liber Thebaidos* vocatur, plura dicendi otium mihi fecit *I. A. Fabricius* in *Bibl. Lat. med. & inf. æt. Vol. V pag. 160 ſeq.* ubi multa ſcitu digniſſima commemorantur. Iam ſe nobis legendas præbent *Parabolæ Alani*, quæ & *Doctrinale altum* vocari ſolent, & breviora exhibent Proverbia, quibus præcepta morum continentur. Auctor, cui nomen *Alani de Inſulis* fuit, primum Doctor Pariſienſis, inde Monachus Claravallenſis, & in Abbate Ripatorenſi Ordinis Ciſtercienſis, ab A. 1151 Epiſcopus Antiſſiodorenſis, denique ab A. 1167 iterum Monachus Claravallenſis, fuit, mortuus A. 1202, & ſcriptis variis clariſſimus, quorum indicem contextum videmus a *Fabricio* in *Bibl. Lat. med. & inf. æt. pag. 89 ſeq.* ubi & plures aliæ harum *Parabolarum* editiones indicantur. Inde locus datus *Fabulis Æſopi*, elegiaco carmine expreſſis; quem laborem alii *Romulo* cuidam, alii aliis ſuperiorum temporum Auctoribus, tribuunt. Ultimum omnium carmen eſt, *Floretus* inſcriptum, de quo ita Gloſſator noſter: *Floretus eſt quidem liber metricus, a ſancto Bernardo Clarevallis editus, tractans de virtutibus & vitiis ſecundum præcepta Dei & eccleſiæ, ad fugiendum pec-*

cato-

candidum, & electionem illorum operum, quæ hominem perducunt ad Deum, finaliter adinventus. *Floreti* nomen, ex eiusdem Gloſſatoris iudicio, ideo datum huic libello; quod flores ſacræ Theologiæ atque ſacrorum Canonum non minus utiliter, quam breviter, continere videatur. Huius *Floreti* antiquiſſimam editionem, Commentario inſtructam, ſed anni indicio deſtitutam, a ſe teneri, hoc quidem titulo: *Floretus, in ſe continens ſacræ Theologiæ & Canonum flores, ad gaudia Paradiſi finaliter eos, qui ſe in illis exercitaverint, perducentes,* docemur a *Fabricio* in *Bibl. Lat. Vol. III p. 321.* Scriptorum, quos neſcio quis hoc opere complexus eſt, ultimum hunc dixi. Nam, quod editioni eius operis Lugdunenſi anni 1507, aut alteri anni 1520, acceſſiſſe Carmen *Io. Sulpitii Verulani de moribus puerorum, præcipue in menſa ſervandis, Fabricius l. c.* ait, id quidem Carmen in hac vetuſtiſſima editione fruſtra requiras.

III. *Epiſtolare Marii Philelfi. Baſileæ, per magiſtrum Ioannem de Amerbach ſumma lucubratione impreſſum, anno octogeſimo nono ſupra milleſimum quaterque centeſimum.* 4.

Ignota *Maittairio* editio, ſed qui duas eiuſdem anni alias, Mediolanenſem & Felſineenſem, annotavit. Et ex Mediolanenſi quidem,

cujus indicium *Maittairio* fecit *B. Seelenus* in *Hiſt. Biblioth. Reip. Norib. pag.* 166, expreſſa hæc noſtra Baſileenſis videtur. Non enim aliter illa, ac hæc noſtra, inſcripta eſt; cum Felſineenſis, per *Bacilerum de Bacileriis* excuſa, hunc præferat titulum: *M. Philelfi Epiſtolæ, 80 epiſtolarum genera complectentes.* Baſileenſi huic nec typographus, nec alius quisquam, Præfationem præmiſit, qua huius editionis præ ceteris merita commendentur. Nec quidquam tale hic invenio, quod videatur ad hanc unam, nec ſimul ad ceteras editiones, pertinere. Nam, quæ libro hoc continentur, hæc fere ſunt: *Tabula contentorum*, Præfationis vicem ſuſtinens; *Ludovici Mondelli, Ordinis Minorum, Doctorisque Theologi, Epiſtola ad Octavianum Ubaldinum Mercatbelli dominum, illuſtriſſimi Ducis Urbini germanum digniſſimum, doctorumque virorum patronum,* anno 1481, atque adeo defuncto jam tum *Mario*, Pariſiis ſcripta, in qua, commemoratis *Marii*, & poſthumi eius operis, laudibus, conſilium expetit *Ubaldini*, an librum hunc, ſibi olim ab Auctore donatum, in Gallorum urbe Pariſiis prelo putet committendum. Huic epiſtolæ *Ubaldinus* alia, hanc ſequente, quæ eodem anno ſcripta eſt Urbini, reſpondet, laudans, & maxime commendans, hoc *Mondelli* inſtitutum. Colligere hinc licet, anno circiter 1481, aut hunc ſubſecuto, primum editum id operis Pariſiis a *Mondello* fuiſſe, atque adeo fieri utique potuiſſe, ut ad Pariſienſem hanc Mediolanenſis æque, paulo ante

nomi-

aequiparata, ac noſtra haec Beſlenſis, ſit exſcripta. De *Mondello* hoc, ortu Mediolanenſi, breviſſimis egit *Lucas Waddingus* in opere *de Scriptor. Ord. Minorum pag.* 244, nihil habens, quod editum ab eo diceret, praeter *Novum Epiſtolarium ad Marium Philelphianum, cum erudita Praefatione*, qui paulo obſcurior libri titulus eſt, quem ut dicere mihi liceat, ſitne idem hic, quem in manibus habeo, an alius ab hoc ipſo & diverſus liber. Has *Mondelli* & *Ubaldini* ſubſequitur ipſa *Marii Philelfi*, artium & utriusque iuris doctoris, equitis aurati, & poetae laureati, ad religioſiſſimum patrem, ſapientemque Theologum, *Ludovicum Mondellum*, Mediolanenſem, ex Seraphico Minorum Ordine, Epiſtola, ſeu Praefatio in *novum epiſtolarium*, Urbini ſcripta A. 1477. qua opus hoc, nondum editum, dedicatur, & quaſi in clientelam traditur, *Mondello*. Inde in librum ipſum intromittimur, cuius ea eſt ratio, ut primum praecepta artis rhetoricae pro varia temporis oportunitate varia tradantur, inprimis vero ars ſcribendi ac dictandi orationes & epiſtolas explicetur; inde ſingulae hominum dignitates & conditiones, a ſummo Pontifice, Imperatore, Regibus, usque ad agricolas & alios artifices, non deſcribantur tantum, ſed aptis etiam nominibus ac titulis inſigniantur; tum, quod praecipuum libri caput eſt, epiſtolarum octoginta genera enarrentur, horumque ſingulis exempla tria, familiaris, familiariſſimae, & gravis, epiſtolae ſubiiciantur. Horum octoginta gene-

rum non niſi in argumento animadvertitur diverſitas, & ab hoc ſingulis petitum nomen eſt. Sunt igitur hæc: *Commendatitia; conſolatoria pro re perdita; conſolatoria pro exule; gratulatoria; invitatoria ad amicitiam; ſupplicatoria; ſuaſoria; diſſuaſoria; domeſtica de proprio ſtatu; commotiva ad pacem; commotiva ad bellum; poſtulativa rei certæ; communis amicitiæ cauſa; iocoſa de ſe; iocoſa de alio; ſeria de ſe; ſeria de alio; imprecatoria; minatoria turpis; laudatoria; vituperatoria; paternalis ad filium; maternalis ad filium; filialis ad patrem & matrem; ſervilis ad dominum; clientalis ad patronum; diſciplinalis ad magiſtrum; doctrinalis ad diſcipulum; pontificalis; iuridicialis; negotiatoria; commiſſionalis; teſtimonialis; lamentatoria; hortatoria; conſultativa; accuſativa publici criminis; objectiva generis, vel vitæ; pacativa; concionativa; invectiva; amatoria honeſta; rei novæ nunciativa; publicæ fidei precativa; hiſtoriæ narrativa; fabulæ expoſitiva; exemplificativa; contentioſa; comminativa; belli edictiva; pacis proclamativa; fœderis icti ſignificativa; triumphi expoſitiva; inhibitiva; legis enunciativa; lætitiæ novæ nuntia; de filio principis nato; de filia principis nata; de hoſte fugato, vel cæſo; de familiaribus negotiis; publicæ fidei expreſſiva; familiaritatis inſtitutiva; conſularis dignitatis; medicinalis; legalis; poetalis; philoſophalis; mathematicalis; omnium artium; militaris; in adhibenda fide; ad conciliandam gratiam; ad reconciliandam gratiam;*

tionem; ad ſe laudandum; ad ſe expurgandum; ad reddendum ſe notum apud ignotos; mercatoria; irritativa in aliquem; invitatoria ad communem lætitiam; moralis voluptatum damnativa. His addi ſexcenta alia poſſent, ſi, quot ſunt argumenta epiſtolarum, tot eſſent diverſa genera ponenda. Sapiunt hæc ætatem nondum ſatis excultam, nec tantam iudicandi facultatis, quantam memoriæ, vim teſtantur. Feliciora hæc noſtra tempora, quibus ſaniora eloquentiæ præcepta ex Philoſophia, omnium ſcientiarum domina, petimus. Non igitur mirum, a ſua ætate magnam *Philelfum* huius operis gratiam tuliſſe, quam, dubito, an ei ſit noſtrum unus habiturus. *[illegible]*, quam dixi, epiſtolam ſi legas, tantis videas *Marium* hoc opus laudibus celebratum, ut, ſi iudice hoc utaris, nihil doctius ſcribi, nihil [illegible] eleganteſque, poſſe. Eſt etiam noſtræ huic editioni a typographo, aut alio quocunque, Epigramma ſubiectum, laudum *Marii*, & huius operis, tam plenum, ut nihil magis poſſit. Ita enim, quisquis eſt, Auctor:

Qui cupis in paucis verſari, & multa videre;
Hoc lege, quod Marius utile promſit opus.
Uberius ſacro nil dictis fonte Philelfi,
Et nihil utilius hoc opere eſſe putes.
Namque is rhetorica breviter præcepta in arte,
Præcepta exemplis munit inde datis.
Omne genus ſcripti, variis quo nititur uſus,
Adiunxit ſollers hinc Mariana manus.

Tum genus in ternas partivit quodque figuras:
Infimus eſt, medius, altiloquusque, modus.
Argumenta viri potuerunt hic ſumere docti.
At iuvenis totum vendicat uſque librum.
Omnia debemus Mario pro munere tanto:
Multum Mondello, quo duce vivit opus.

Ceterum inſigni, dum viveret, doctrinæ & eloquentiæ fama hunc *Marium*, *Franciſci* filium, floruiſſe, cognoſcere vel ex illis patris ad filium Epiſtolis licet, quæ inter *Epiſtolas Franciſci Philelphi* numero multæ leguntur, nihil diſſimulantes eius gaudii, quo patrem merita & fama filii afficerent, ſed quibus admixtæ etiam ſunt, tales nonnullæ, quæ, ad monita paterna non ſemper, uti par eſt, attentum fuiſſe filium, teſtantur.

IV. *Prudentius. Proſper. Ioannes Damaſcenus, Coſmas Hieroſolymitanus. Marcus, Epiſcopus Taluontis. Theophanes. Venetiis, apud Aldum.* 8.

Annum editionis, præter morem ſuum, huic libro non adſcripſit *Aldus*. At, ante annum 1502 fuiſſe editum, illud argumento eſt, quod in epiſtola ad *Dan. Clarium*, Parmenſem, huic libro præmiſſa, editurum ſe brevi *Iuvencum & Sedulium*, ſignificet *Aldus*, quos Scriptores hoc, quo diximus, anno exiiſſe prelo *Aldino*, ſatis conſtat. Videtur autem mihi hic liber aut omnium, quos excudit *Aldus*, rariſſimus dicendus, aut accenſen-

dus

dis certe rariſſimis. Nihil enim huius libri notum *Maittairio* fuit, quem alioqui in annotandis officinæ *Aldinæ* libris fuiſſe diligentiſſimum, obſervavi. Nec quidquam de hac *Prudentii* editione compertum *Fabricio* fuit, de hoc æque ac ceteris Poetis Chriſtianis copioſe agenti in *Biblioth. Lat. Vol. I pag. 696 ſeq. & Vol. III pag. 292 ſeq.* Et mirum videtur idem *Fabricius Vol. III pag. 293*, in Chriſtianis Poetis, ab *Aldo* iunctim editis A. 1502, 4, nullum *Prudentio* locum datum. Atqui id mirum ei non fuiſſet, ſi, paulo ante eam *Poetarum Chriſtianorum* editionem hoc, quod exhibemus, volumine editum cum eiusdem generis aliis *Prudentium* fuiſſe, ipſe habuiſſet cognitum. Quin ex hoc ipſo, quem manibus tenemus, libro diſcere iam nobis, & docere alios, licet, non uno, ut perſuaſum *Fabricio* fuit, ſed duobus voluminibus, concluſos ab *Aldo* Poetas Chriſtianos eſſe, quorum altero *Prudentium, Proſperium, Ioannem Damaſcenum, Coſmam Hieroſolymitanum, Scholarium, & Theophanem*, altero *Sedulium, Iuvencum, Aratorem, Probam Falconiam, Lactantium Firmianum, Cælium Cyprianum, Tiphernum, S. Damaſum, Raph. Zovenzonium*, & incognitos quosdam, complexus eſt. Quod vero librum hunc vel maxime commendat, efficitque præſtabiliorem, illud eſt, quod primum hic editus *Prudentius* compareat, cuius generis editiones multum ceteris præſtare, ſatis conſtat. Id enim nemini obſcurum eſſe poteſt, legenti epiſtolam *Aldi* ad *Clarium*, in fronte operis

ris collocatam; hancque eius partem: *Tandem, Ieſu Chriſto, Deo optimo, maximo, adiuvante, (nam, ſi ipſe pro nobis, quis contra nos?) Prudentius, primus ex Chriſtianis Poetis, qui in manus noſtras pervenerunt, ab uſque Britannia accitus, cum iam mille & centum annis & plus delituiſſet, exit in publicum typis noſtris excuſus, ut proſit Chriſtianis ſuis, idque ſub tuo nomine, Clari ſuaviſſime, ut in iſta urbe Raguſio inclyta & plena nobilitatis, ſereno vultu, quo optimus quiſque ac doctiſſimus iſtic ſolet, excipiatur. Utque primum te hoſpite, ut per te, ab omnibus cognoſcatur.* Clariora haec, quam ut dubitare aliquis poſſit, primum fuiſſe *Aldum*, qui e tenebris *Prudentium* protraxerit. Quam igitur a *Maittairio* & *Fabricio* nominari video *Daventrienſem* anni 1472 editionem *Prudentii*, mihi, fateor, non parum ſuſpectam; nec male quis coniecerit, aut in anno notando errorem ab illis commiſſum, aut *Prudentii* iunioris, cui & praenomen *Galindi* fuit, libro illo ſcripta contineri. Et poſteriorem quidem coniecturam libenter priori praetulerim, ne temere in dubium vocare virorum doctiſſimorum fidem videar. Iam, quae *Manutiano* hoc opere continentur, ordine exponam. Huius igitur frontem ornat, quam dixi modo, *Aldi Romani ad Danielem Clarium, Parmenſem, bonas literas Raguſii profitentem, epiſtola*, qua eum ſibi, ait, in edendis Poetis Chriſtianis finem propoſitum, *ut loco fabularum & fictorum gentilium infirma puerorum aetas illis imbueretur, ut*

vera

vera pro veris, & pro falſis falſa, cognoſceret; atque ita adoleſcentuli non in pravos, & in infideles, quales hodie plurimi, ſed improbos atque orthodoxos, viros evaderent. De *Dittochaeo* autem *Prudentii*, & *Proſperi* libro *Epigrammatum*, ex antiquiſſimo exemplari a ſe edito, affirmat, haec praeter meritum ab omnibus fere doctis aetatis ſuae barbara indignaque lectu habita. Hanc excipit epiſtolam eiusdem *Aldi de metris, quibus in hoc libro Prudentius uſus eſt, ad eundem Clarium Praefatio,* non ſane indiligenter ſcripta; cum *Vita Prudentii*, ab eodem *Aldo* compoſita; in qua primum de rebus ab eo geſtis, tum de ſcriptis eius, plene ſatis, ſatisque eleganter, exponitur. Sub huius finem illud nos docet *Aldus*, ſe unum omnia haec *Prudentii* Carmina ex antiquiſſimo Codice, haec coniuncta exhibente, ipſum curaſſe imprimenda. Tum ex *Gennadii Catalogo virorum illuſtrium* de hoc *Prudentio* locus exprimitur, addita Nota breviore, qua diſquirendum lectoribus proponitur, an Dittochaeum, a *Gennadio* commemoratum, nihil differat ab eo, quod ipſe in hoc libro *Aldus* edidit. Inde Poetarum primus, *Prudentius*, exhibetur; cuius haec ſunt Carmina: *Pſychomachiae liber; verſus de novo lumine paſchalis Sabbati; Cathemerinon liber; Apotheoſis; Amartigenia; Romanus Martyr; Periſtephanon; contra Symmachum Libri II; Dittochaeum. Prudentio,* Poetae, Poeta *Proſper Aquitanicus* ſuccedit, cuius hic *Epigrammata ſuper Divi Aur. Auguſtini Sententias quondam*

dam exaratas leguntur. Inde nos ducit *Aldus* ad Ioannis *Damaſceni in Theogoniam, in Epiphania, & in Pentecoſten*, Carmina; quibus ſubiuncta ſunt illa *Coſmæ Hieroſolymitæ in Theogoniam, in Dei apparitionem, in magnas, ſecundas ſcilicet, ferias, in magna tertia, in magna quarta die, in magna quinta feria, in magna Veneris die, in magno Sabbato, in Pentecoſten, in transfigurationem Domini noſtri Ieſu Chriſti, in Dominica Palmarum, in exaltationem crucis, in occurſum, videlicet in ſecundum carnem adductionem Domini & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti.* His interpoſita ſunt illa *Marci, Epiſcopi Idruntis, in magno Sabbato, Ioannis Damaſceni in Dominicum Paſcha, in aſſumtionem Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, in transfigurationom Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in feſto annuntiationis ſanctiſſimæ Deiparæ; Scholarii oratio ad unum & trium perſonarum Deum;* & Auctoris incogniti *oratio ad Dominum Ieſum Chriſtum matutina, meridiana, & veſpertina.* Vides igitur, plura in nigro exhibere, quam promiſerat in rubro, *Aldum.* De illa enim *Scholarii*, qui & *Gennadius* dicitur, & altera Anonymi, oratione nec quidquam habet inſcriptio operis, nec mentionem in epiſtola ad *Clarium Aldus* fecit. Singulos hos ſcriptores, iam dixi, ex antiquiſſimo Codice, in quo coniuncti legebantur, imprimendos curaſſe *Aldum*; unde vero acceperit hunc Codicem, aut cuius is ætatis fuerit, nec ipſe docet, nec mihi aſſequi coniectura licet.

V. *Pom-*

V. Pomponius Mela Coſmographus de Situ orbis Hermolai Barbari, fideliter emendatus. Per Albertinum de Liſona, Vercellenſem, anno Domini MDII, die XIIII Mai. 4.

Nec *Maittairio*, nec *Fabricio*, notam, ideoque rariſſimam, *Pomponii Melæ* editionem damus. Non ei locum natalem addidit typographus; ſed quem, aliunde conſtat, in urbe Veneta vixiſſe, & excuſis aliis operibus inclaruiſſe. Itaque, Venetiis prodiiſſe hanc *Pomponii* editionem, non eſt, quod dubites. Notarum in *Pomponium* hic nihil legitur. Satis fuit typographo, textum *Pomponii* dediſſe priorum editorum maculis purgatum, emendatumque cura *Hermolai Barbari*, qui libro Epiſtolam ad *Alexandrum ſextum, Pontificem Maximum*, præmiſit, dedicandi cauſa ſcriptam. In ea, quæ ſua in *Pomponium* merita ſint, hiſce ipſe verbis explicat: *Eccum Pomponii Melæ, conterranei tui, Princeps maxime, librum aureum; cuius lectio, ut noſti, ad hunc diem usque adeo mendoſa ferebatur, ut nec agnoſcere auctorem ſuum poſſet, nec agnoſci. Trecenta in eo, quæ manabant, ulcera vel cicatrice, vel ſplenio, contraximus. Illud omnino, pauciſſimis demtis, aſſecuti, ut ſe maieſtati tuæ non barbara & hiſpanienſi facie, ſed latina & Hiſpana, repræſentare poſſit.* Hunc *Hermolaum* iam anno 1494 diem ſuum obiiſſe, nemo neſcit, unde, non primam hanc, ſed repetitam tantum, eius editionem fuiſſe, ſatis patet.

Et

Et antiquiores hac ipſa editiones *Pomponii* varias, Venetiis excuſas, *Maittairius* adduxit; quas *Hermolai* Barbari curæ deberi, plane veriſimile videtur. Quod igitur in ea noviter demum reviſum & fideliter emendatum *Pomponium* dicere potuerit typographus in *Monito ad Lectorem*, libro ipſi ſubiuncto, equidem non video. Atque hoc Monitum, cum ſit breviſſimum, a me integrum hic adſcribi, fortaſſe non ingratum Lectori fuerit. Habe igitur & lege: *Libellus ad Lectorem. O Lector, qui locorum gentiumque ſitus fideli calamo conſcriptos optas, ſtudio tuo paratum hunc libellum amplectere. Quæ enim in omnibus impreſſorum incuria prius lacera fuerint digna, nunc reviſa, & fideliter emendata, miraque arte impreſſa per Albertinum de Liſona, Vercellenſem felici auſpicio tibi nunc impartitur. Vale.* Nil præterea in toto hoc opere dignum notatu occurrit.

VI. *Index operum, quæ in hoc volumine continentur: Cenſorini de die natali liber aureus, olim mutilatus, nunc, adiectis quatuor integris capitibus, innumeris pene clauſulis antiquæ lectioni reſtitutus. Nervæ Traianique & Adriani Cæſaris Vitæ, ex Dione in Latinum verſæ a Georgio Merula. Item Veſævi montis conflagratio ex eodem Merula interprete. Cebetis Thebani tabula. Plutarchi libellus de differentia inter odium & invidiam. Baſilii Oratio de invidia. Baſilii Epiſtola de vita ſolitaria. 4.*

Nec anni, nec loci, additum in fronte operis indicium. Utrumque autem horum colligere nobis licet ex præmiſſa operi *Triſtani Chalci*, qui id edidit, ad *Stephanum Poncherium* epiſtola, quæ data eſt Mediolani anno 1503. Nec, in urbe Mediolano prodiiſſe opus, dubitare nos patitur nomen eorum, qui ſuis ſumtibus excudendum curarunt. Sunt hi *Io. Iacobus & fratres de Legnano*, notiſſimi in urbe Mediolanenſi librorum mercatores, quorum impenſis publicatos ſub ipſa inventæ artis typographicæ tempora libros numero multos paſſim *Maittairius* adduxit. Horum in ipſa libri fronte ſpectandum ſe præbet typographicum inſigne, ſiſtens angelum, aut genium, cuius quaſi corpori affixa eſt rota, in centro ſuo nomen Ieſu, per compendium IHS ſcriptum, in circulo autem inſcripta habens verba hæc: *Io. Iacomo, e. frat. de Legnano.* Horum igitur impenſis in lucem liber exiit; ſed, cuius opera excuſus ſit, typographi nuſquam mentio facta. Minime autem dubitaverim, huic nomen fuiſſe *Ioannis Angeli Scinzenzeleri*, quippe quem loquuntur ceteri pæne omnes libri, horum *fratrum de Legnano* ſumtibus excuſi, maxime vero illi, qui annis 1504 & 1505 prodierunt. Ceterum hunc librum in *Annalibus Maittairianis* fruſtra quæras. Nam, quem *Maittairius*, huic prorſus ſimilem, habet librum, ita inſcriptum: *Cenſorinus de die natali; Nervæ, Traiani, & Adriani, Cæſarum, Vitæ, ex Dione in Latinum verſa a Georgio Merula; Veſævi conflagratio ex eo-*

dem Merula interprete; Cebetis tabula; Plutarch. de differentia inter odium & invidiam; Baſilii Oratio de invidia, & epiſtola de vita ſolitaria, Latine; Pomponii Latè Compendium Romanæ hiſtoriæ ab interitu Gordiani uſque ad Iuſtinum III. Impreſſ. per Bernardinum Venetum de Vitalibus, Venetiis, anno MCCCCC die XII Decembris, 4, is a noſtro, non ſolum anno locoque natali, & opuſculorum numero, ſed inprimis etiam editore, ac ratione edendi, diſcrepat. Noſtrum enim hunc, ut dixi, edidit *Triſtanus Chalcus*, cui alterius libri nihil deberi, ſubnotatus eius ad *Poncherium* literis annus 1503 manifeſto eſt indicio. Nec ſatis cognitam hanc *Cenſorini* editionem *I. A. Fabricius* habuit, ſed qui hoc tamen docet in *Bibl. Lat. Vol. III pag.* 67, antiquiſſimam *Cenſorini* editionem laudari a *Lud. Carrione Libro II Emendationum Cap.* 15. Atqui hæc, quam manibus tenemus, illa ipſa eſt editio, quam *Carrio* his verbis deſcribit: *Aratea Germanici, ſive ſunt Interpretis, cum iis confer, quæ pro fragmento voluminis Cenſoriniano ſubiuncta curavimus. Nam, quæcunque ex veteri Codice & antiqua Mediolanenſi editione a Capite ſecundo usque ad extremum fere Caput tertium in fragmenta leguntur, ab illo ſcriptore eſſe moneo. Reliqua unde ſint deſcripta, alias fortaſſis odorabimur.* Uſum enim in edendo *Cenſorino Triſtanum Chalcum* vetuſto quodam Codice, & ex hoc Auctorem illum locis pluribus ſuppleviſſe, paulo poſt dicemus. Clariſſimum huius *Chalci*, qui & *Calchus* alias vocatur, & ipſe ſibi Secretarius Medio-

diolanenſis dicitur, nomen eſt ex *Hiſtoria Mediolanenſis*, quam viginti Libris complexus eſt, magno & inſigni opere, edito Coloniæ A. 1[illegible], poſtea autem a *Io. Ge. Grævio Tomo II Theſauri, Antiquitatum Italiæ* adiecto. Sunt & nonnullæ ad hunc *Chalcum* ab *Angelo Politiano* epiſtolæ datæ, quarum nobis *Libro IV Epiſtolarum Politiani* copia eſt facta. *Poncherius* autem ille, ad quem data eſt epiſtola *Triſtani*, Epiſcopus Pariſienſis, & Senatus Mediolani Præſes Regius, fuit. Huic igitur *Ponchierio Chalcus* primum Pariſienſis Eccleſiæ Pontificatum, nuper ei collatum, gratulatur; tum, a ſe edi, ſignificat, trium Romanorum Principum, *Nervæ, Traiani, & Adriani*, quas adhuc vulgus haud noverit, vitas, ex *Dione* in Latinum verſas a *Georgio Merula*, Alexandrino, utriusque linguæ eruditiſſimo viro. His a ſe addi, ait, *Cenſorini, Grammatici, de die natali opus reconditæ eruditionis, quod iniuria temporum exeſum, ac mutilatum, Philippus, Beroaldus primus, publicaverit, mox alii atque alii ad eius exemplar impreſſerint.* Quibus autem ipſe ad edendum ſubſidiis acceſſerit, quam præclare hac editione meritus de Cenſorino fuerit, his quidem verbis exponit: *Nobis proximis annis oblatus forte eſt venerandæ antiquitatis codex; ex cuius collatione non ſolum dimidiata atque integra ſæpius verba repoſuimus; ſed longos verſus & plenas clauſulas quindecim ex locis ſubtractas reſtituimus; tum vero penitus redintegraſſe, aut proximum archetypo formæ feciſſe viſi ſumus, cum tertiam partem capitis eius, quod*

eſt de numeri inſtitutione, & tota illa de cœli poſitione, de ſtellis fixis, de terra, & principium Geometriæ deprehendimus. Unde patet, primo huic *Codice* reſtituti nobis, & redintegrati, *Cenſorini* gloriam deberi. De ceteris, quæ libro hoc continentur, opuſculis aut nihil *Triſtanus*, aut perparum, in hac epiſtola commemorat; quod ipſum conjecturæ locum facit, illa omnia ex editione, quam ſupra dixi, Veneta huc tranſlata. De libro ipſo, nihil habeo, quod dicam, niſi hanc ſcriptorum, quæ eo continentur, ſeriem animadverti, ut primum liber *Cenſorini*; tum *Cebetis Thebani Tabula*, e Græco in Latinum converſa per *Ludovicum Odaxium*, Patavinum; inde *Plutarchi libellus de differentia inter odium & invidiam*; hinc *Baſilii Oratio de Invidia*, e Græco in Latinum converſa per *Nicolaum Perottum*, ejuſdemque *Baſilii Epiſtola de vita ſolitaria ad Gregorium Nazianzenum*, per *Franciſcum Philelphum* e Græco converſa; tum *Nerva Cocceius, Trajanus Nerva, & Adrianus, Cæſares*, ex *Dione* per *Georgium Alexandrinum* Latine redditi; denique *Conflagratio Veſuvi, montis*, ex eodem *Dione* ab eodem *Merula* in Latinum converſa, leguntur. Commodiori lectorum uſui inſerviunt, quæ per totum librum obſervantur, notæ margini adſcriptæ, dicta horum Auctorum in ſummam contracta exhibentes.

VII. *Georgicorum P. Virgilii Maronis liber, cum novo Commentario Hermanni Torrentini.*

Pa-

Paſtor qui fueras, paſtos ad aratra iuvencos,
Tityre, coge tuos, ſcindere ut arva queas.
Inſere tunc, Melibœe, piros, pone ordine vites,
Paſtor ab amphryſo tunc tibi cura boum.
Hybleis apibus ſtatio quæ, quis quoque paſtus,
Aptior inde locus, ultima cura, dabit.

Impreſſum Argentinæ per Ioannem Knoblouch anno Domini MDVIII. 4.

Non invenio hanc *Georgicorum* editionem nec a *Maittairio*, nec ab ipſo *Fabricio*, annotatam. Et *Fabricius* quidem, cum de *Torrentini* in *Georgica* Commentario mentionem facit *Bibl. Lat. Vol. I p. 213, & Vol. II pag. 287*, nominat editiones Colonienſem anni 1500, Daventrienſem anni 1514, & Antverpienſem anni 1548, omiſſa hac, qua ipſe utor, Argentinenſi. De Colonienſi anni 1500, ſcire cuperem, unde compertum fuerit *Fabricio*. In *Maittairii* certe *Annalibus* huius editionis nihil invenio. A *Conrado* quidem *Geſnero* in *Biblioth. univ. pag. 215*, & *Valerio Andrea Deſſelio* in *Biblioth. Belgica pag. 184*, memorari video *Torrentinianam* huius Commentarii editionem, Coloniæ apud *Quentelium* excuſam; at neuter horum addit indicium anni. *Deſſelius* vero poſtponit eam editioni Daventrienſi anni 1514, unde colligere licet, hanc Colonienſem illam poſteriorem ætate fuiſſe. Daventriæ autem primum prodiiſſe hoc *Torrentini* opus, illud mihi argumento eſt, quod in hac urbe ſtudiorum ſuorum fundamenta poſuiſſe *Torrentinum*, atque inſtitutione uſum *Alexandri Hegii*, l. c. *Deſſelius* teſtetur.

tur. Eo igitur, ne quid diſſimulem, inclinat animus, ut credam, Colonienſem editionem anno 1500 poſteriorem, hac autem vetuſtiorem, omniumque primam, fuiſſe, putem, Daventrienſem illam, quam deinde, ut fere pleræque editiones Colonienſes ad exemplar archetypum excuſæ ſunt, nova Coloniæ ſecuta, curis & ſumtibus *Quentelii*, videtur. Liceat hic coniecturæ aliquid dare, ſed quam pertinaciter defendere, ſi quis meliora me docere poſſit, non eſt animus. Argentinenſi, de qua ſermo nobis, editioni nihil Præfationis nec typographus, nec quisquam alius, præmiſit. Textum hic *Virgilii*, cum adiuncto ei Commentario, & ſubiecto indice vocum, nec quidquam præterea, habes. De Commentario, fortaſſe lectorum paucis ignoto, hoc dixiſſe, ſatis ſit, ad tironum magis, quaſi doctiorum, uſum conſcriptum, inque grammaticis minutiis præcipuum Auctoris laborem verſari. Si *Geſnero*, *Val. Andrea Deſſelio*, & *Franc. Sweertio* in *Athen. Belg. pag.* 343, credendum, ipſa etiam *Virgilii Bucolica* commentario illuſtrata ſunt a *Torrentino*, nec hunc minus, quam alterum illum in *Georgica*, Commentarium typographus Colonienſis, *Quentelius*, excudit. Iſte vero *Torrentini* labor nec mihi ipſi viſus unquam, nec uſquam eius a *Maittairio*, aut *Fabricio*, indicium factum; ut adeo, ſatisne vere Scriptores illi rem narraverint, adhuc quidem neſciam. Ceterum inter Grammaticos ætatis ſuæ celebriores locum fuiſſe *Torrentino*, & præter hæc, quæ

dixi,

dixi, ſcriptis eum aliis non indoctis inclaruiſſe, iidem illi Scriptores luculentiſſimis verbis teſtantur. Talia ego lectorum veſtiganda induſtriæ relinquo.

VIII. *P. Vergilii Maronis Aeneis, cum familiari expoſitione, annexo quoque vocabulorum indice iuxta ſeriem alphabeti. Ioannes Knoblouch, civis Argentinenſis, impreſſit V Kal. Aprilis anno Salutis Chriſtianæ MDIX.* 4.

Nec *Maittairio*, nec *Fabricio*, notam *Aeneidos Virgilianæ* editionem exhibemus, hoc maioris æſtimandam, quod talis ei Commentarius ſit adiunctus, de quo nemo eorum, qui Poetæ huius literariam hiſtoriam ſcriptis tradiderunt, nec ipſe ille diligentiſſimus eiusmodi rerum promus condus, *Fabricius*, quidquam nos docet. Id ſane malo quodam libri fato accidit, ut, in media licet Germania editus, & ab homine Germano compoſitus, adeo tamen vindicare ſe ab oblivione hominum non potuerit, ut ne curioſiſſimis quidem rerum talium Germanis in manus, aut oculos, inciderit. Auctorem habet iſte Commentarius *Ioannem Schotum*, civem Argentoratenſem, arte & profeſſione typographum, ſed, uti ex hoc ipſo libro intelligitur, ſatis doctum, & *Manutiorum, Stephanorum*, ac ſimilium, in literas merita æmulantem. Is nempe Commentario hæc præmiſit verba: *Io. Schotus, Argentinenſis, lectori S. D.* quibus ipſe ſtatim Commentarius ſubiunctus eſt,

ne addito quidem verbo, unde, quæ Auctori fuerit ſcribendi eius occaſio, aut ratio, cognoſci poſſit. Nihil enim de ſuo opere, præter pauca hæc, diſſerentem videas, quæ ipſa etiam generaliora putari poſſunt, quam ut operis hinc hiſtoriam contexere, aut propius noſcere Auctorem, liceat: *Verum, quo in tam immenſum opus lectori nedum etiam mediocrius evecto, ſed & tirunculo quoque cuivis, familiarior aditus pateat, placuit eundem ipſum facilieri explanatione poſt alios extra carminis legem leviorem reddere: cum varia vocum annotatione, ſeu, quæ digniora videbantur ſcitu: annexis ſuo loco cum fabularum, tum hiſtoriarum, enucleationibus. Omnino, quo labyrinthus vitetur. Nec nos abſterret quorundam naſuta ruga: quibus omnia fellis plena ſunt, aculeoque ſuffarcinata. Tentent & ipſi paria.* Agit de *Schoto* iſto *Maittairius Annal. typ. Tom. II pag. 118*, innotuiſſe eum, docens, anno 1515, eodemque *Luciani Deorum Dialogos*, Græce cum Latina e regione interpretatione vulgaſſe, nec ſolum titulum libri rubricis ornaſſe, ſed Græci etiam textus exteriores ſingulos margines florentibus limbulis decoraſſe. Libro huic, quem ipſe teneo, *Othomarus Nachtgall*, alias etiam *Luſcinius* vocari ſolitus, civis Argentinenſis, inter illius ætatis Grammaticos non poſtremo loco collocandus, a quo ſcilicet *Lucianei* hi *Dialogi* in Latinum ſermonem tranſlati ſunt, Latinam ad *Schotum* hunc epiſtolam præmiſit, talem ſane, qualem minime omnium ad hominem indoctum ſcribere ſolemus.

mus. Claudunt eam hæc, ſatis Schoto honorifica: Tu vale, mi Ioannes, bonisque literis, ut cœpiſti, arte tua impreſſoria ſuccurre. Ipſe Schotus in fronte libri inſcripſit hæc: Ioannes Schottus Argentinæ ſtudioſius elaboravit. Sed relectos iudica. At nec primus hic, nec ſolus, ex officina *Schoti* liber prodiit. Iam enim A. 1510 *impenſis* ille *Georgii Maxilli*, alias *Ubelin*, *Epiſcopalis curiæ Argentinenſis Signatoris*, excudit *Symmachi Epiſtolas familiares*, & *Homeri Odyſſea Latino ſermone ſoluto*; anno vero 1513 *Ptolemæi Geographia Libros octo Latine*, *cum Tabulis*; & A. 1514 *Enchiridion poeticum*, *quod continet epitheta ſubſtantivorum*, *cum eorundem hemiſtichiis*, *carminum clauſulis*, *periphraſibusque Virgilii*, *ac aliorum Poetarum*. Cuius libri, ſine Auctoris, ut *Conr. Geſnerus* docet in *Pandectis pag. 60*, nomine editi, ipſe fortaſſe *Schotus* noſter auctor fuit, labori tali, ſi iudicium facere ex illo in *Aeneida* Commentario liceat, aptiſſimus. Inde ſecuti ſunt, A. 1515 *Alciati in tres poſteriores Codicis Iuſtiniani annotationes*; A. 1519 *Plutarchi Problema*, *num in convivio philoſophandi ſit locus*, *Ottomaro Luſcinio interprete*; A. 1520 *Ptolemeus auctus*, *cum Tabulis antiquis & novis*; A. 1529 *Dioſcorides*, *cum Notis Hermolai Barbari & Marcelli Vergilii*; A. 1530 *Catalogus illuſtrium Medicorum*, *per Ottonem Brunfelſium*; A. 1531 *Tacuini Sanitatis*, *Elluchaſem Elimithar Medici de Baldath*, *de ſex rebus non naturalibus*, &c. cui libro *Schotus* ad *Albertum* Cardinalem Moguntinum epiſtolam præmiſit, an-

no vero 1532 adiecit *Tacuini ægritudinum & morborum fere omnium corporis humani cum curis eorundem; Buhahylyha Byngezla Autore.* His addo excuſos eodem anno 1532 *Octaviani Horatiani rerum medicarum Libros quatuor*; A. 1533 *Phyſicam S. Hildegardis*, cum *Oribaſii de Simplicibus Libris quinque, Theodori Phyſici Diata, & Aeſculapii libro uno de morborum deſcriptionibus & cura*: cui libro ipſius *Schoti* ad Lectorem epiſtola præfixa eſt; & A. 1535 *Biblia ad Hebraicam veritatem reſtituta.* Anno igitur 1534 cum adhuc in vivis fuerit *Schotus*; patet hinc, ab eo ſatis adhuc iuvene illum in *Aeneida* Commentarium compoſitum: quo tempore inſtitutam nondum ab eo officinam typographicam fuiſſe, inde poteſt colligi, quod in excudendo hoc libro, quem alioqui ſuo ipſe committere prelo potuiſſet, opera uſum *Knoblouchii* appareat. Ceterum, de parentibus, ac reliqua domo, huius *Schoti*, nihil eſt, quod doceam Lectores. Si locus coniecturæ, patrem ei fuiſſe putem *Martinum* illum *Schotum*, qui in eadem urbe A. 1490 *Auguſtini Canones*, & A. 1498 *Petri Schotti, Argentinenſis Patricii, Iuris utriusque Doctoris, Oratoris, & Poeta, Lucubratiunculas, præcipue Epiſtolas*, & *Matheoli Peruſini Tractatum artis memorativa*, ſuo prelo excudit. Fortaſſe & fratre, aut patrueſe, uſus eſt *Ioannes* noſter *Petro* illo, cuius modo memoravimus *Lucubratiunculas*, deſcriptas laudataſque a *Conr. Geſnero Bibl. univ. pag. 552.* Ipſe Commentarius quo æſtimari pretio debeat, lectori facilli-

diſſimum erit iudicatu, ſi meminerit, Auctoris hoc fuiſſe inſtitutum, ut tironibus facili explicatione verborum *Maronis* ſenſum aperiret, non ut doctiorum animos cognitione rerum ſcitu digniorum impleret. Cui ita ipſe ſatisfecit inſtituto ſuo, ut teneræ ætatis adoleſcentulis *Schoti* hunc laborem præ multis aliis vehementer commendandum, Auctori vero non indecorum *Minellii Argentoratenſis* nomen tribuendum, putem. Id monendum ſupereſt, acceſſiſſe editioni huic *Aeneidos Librum XIII*, a *Maphæo Veggio*, Laudenſi Poeta, reliquis additum, nec minorem hic, quam in ceteris Libris, *Schoti* interpretis induſtriam enituiſſe.

IX. *Varia Philippi Beroaldi Opuſcula, in hoc Codice contenta: Orationes, Prælectiones, & Præfationes, & quædam mithicæ hiſtoriæ Philippi Beroaldi. Item plaſculæ Angeli Politiani, Hermolai Barbari, atque una Jaſonis Maini ad Sereniſſimum Maximilianum, invictiſſimum Romanorum Imperatorem, Oratio Epigrammata, ac ludicra quædam facilioris Muſæ carmina, eruditiſſimi viri, Philippi Beroaldi, ab Aſcenſio nuper elucidata, nunc demum compreſſa, & eo ordine diſpoſita, ut maxime moralia ſint omnium prima. L. Cœlii Lactantii Firmiani pia Nenia verbis Chriſti Domini crucifixi, ſua in nos beneficia commemorantis. Item P. Beroaldi de ſeptem ſapien-*

ſapientium ſententiis libellus. Eiusdem Symbola Pythagoræ moraliter explicata. De optimo ſtatu & de felicitate. Declamatio Philoſophi, Medici, & Oratoris. Declamatio ebrioſi, ſcortatoris, & aleatoris. Oratio autem proverbialis ceteris appoſita eſt. Excuſſa ſunt hæc aurea Opuſcula æro-graphico characteriſmo in officina induſtrii Gregorii Bartholomei, ſcitiſſimaque (qua licuit) caſtigatione emendata, Baſileæ, ſumtibus vero multi nominis viri, Wolffgangi Lachner, anno ſalutis Chriſtianæ MDIX, ad Idus Martias. 4.

Non hæc prima libri editio eſt, ſed iam ante Pariſiis A. 1494. 4. (vid. *Catalogus impreſſorum librorum Bibliothecæ Bodleianæ*, edit. Oxon. 1738, *Tom. I pag. 144.*) & apud *Io. Parvum* A. 1505. 4. (vid. *Catalogus Biblioth. Iac. Sauritii pag. 118.*) & apud eundem A. 1509. 4. (vid. *Hiſtoria mea vitæ & in literas meritorum Angeli Politiani pag. 548.*) coniuncta prodierunt hæc *Beroaldi, Barbari, Politiani*, & *Manni* opuſcula. *Maittairio* una illa anni 1505. nulla ex reliquis, cognita fuit editio. In Baſileenſi hac nihil, quod non habeant priores illæ, nec ullam aut editoris, aut typographi, Præfationem, invenias. Quicquid igitur a me dici hic poteſt, ad librum magis, quam hanc eius editionem, ſpectat. Nimirum, quæ ſint libro hoc opuſcula concluſa, quo hæc ordine legantur, cum ex inſcriptione libri haud ſatis cognoſci poſſit,

efficiam,

efficiam, ut iam plenius ex me cognoſcas. Frontem igitur opuſculorum *Beroaldi* ornat ipſius *Beroaldi* Epiſtola ad *Martinum Boemum, diſcipulum ſuum*, quem ipſe vocat *inter ſcholaſticos transmontanos probatiſſimum, & quo impulſore tradiſſe ſe ait ſuas impreſſoribus imprimendas orationculas.* Quæ illam excipiunt, hæc ſunt Opuſcula: *Oratio in enarratione Georgici carminis, atque Tranquilli, qua laus rei ruſticæ continetur; Oratio habita in principio enarrationis Propertii, continens laudes amoris; in enarratione Titi Livii ac Silii Italici, continens hiſtoriæ laudationem; pro Oratoribus Florentinorum ad Alphonſum, Siciliæ Regem; in enarratione Epiſtolarum Ciceronis & Lucani, continens laudem poetices; in enarratione Rhetoricorum, continens laudationem eloquentiæ atque Ciceronis; in Iuvenalem & Salluſtium, horum laudes continens; in enarratione Quæſtionum Tuſculanarum & Horatii Flacci, continens laudem Muſices; dicta apud rectorem ſcholaſtici conventus, ineuntem ſcholaſticam præfecturam; Oratio habita, dum Rector ſcholaſticus nomine melior accepit magiſtratus inſignia; ad Tribunos plebis; ad illuſtriſſimum Principem Ludovicum Sfortiam Epiſtolium; Panegyricus ad illuſtriſſimum Principem Ludovicum Sfortiam; ad eundem eiusdem Epigramma; ad magnificum & ornatiſſimum virum Bartholomæum Chalcum, Ducalem Secretarium, Epiſtola; Oratio in nuptias Bentivolorum; Oratio nuptialis, habita Mediolani; ad magnificum Minum Roſcium, Senatorem Bononienſem; Epiſtola,*

ſtola, continens hiſtoriam Giſippi & Titi; Mathiæ, hiſtoria de Galeſo Cymone, in Latinum e vernaculo ſermone converſa; Oratio, habita in enarratione Verrinarum; ad ornatiſſimum Chriſtophorum Vaitimillium, ſcholaſticum Bormum, Epiſtola; Proverbialis Oratio. Iam nonnulla *Politiani, Barbari,* & *Mayni,* ſequuntur: Politiani *Oratio, quam edidit pro Oratoribus Senenſium ad Alexandrum VI, Pont. Max.; Ei. Oratio pro Oratoribus Florentinorum ad Alphonſum, Siciliæ Regem; Ei. Or. pro Oratoribus Florentinorum ad Alphonſum, Siciliæ Regem; Ei. Or. pro Prætore Florentino ad Dominos ineuntes ſummum magiſtratum;* Barbari *in Paraphraſin Phyſices Themiſtii Præfatio; Ei. in Paraphraſin Themiſtii, Peripatetici, Præfatio; Ei. in Caſtigationes Plinianas Præfatio; Ei. Oratio, cum libros Ariſtotelis domi cœpit prælegere; Ei. ad Fridericum Imperatorem, & Maximilianum, Regem Romanorum, Principes invictiſſimos, Oratio; Ei. ad I. Carandeletum, ſupremum Regis Romanorum Secretarium, Epiſtola;* Mayni *ad Sereniſſimum Maximilianum, invictiſſimum Romanorum Regem, in auſpicatiſſimis eius & Auguſtæ Blanchæ Mariæ nuptiis Epithalamion;* cui ſubiecta eſt *Raimundi, Cardinalis Curcenſis, ad Iaſ. Maynum Epiſtola.* Tum locus datus Latinis *Beroaldi Carminibus,* quæ pro varietate argumenti varia ſunt, neque adeo copioſius hic commemoranda. His acceſſerunt *L. Cæc. Lactantii Firmiani pia Næniæ verbis Chriſti Domini crucifixi, ſua in nos commemorantis beneficia,* & alia eiusdem *de reſurrectionis*

nis dominica die, cum Anonymi de reſurrectionis dominicæ feſtivitate Elegia. Singula hæc Carmina illuſtrata ſunt notis Iodoci Badii Aſcenſii, margini adſcriptis, & ex editione Pariſienſi huc translatis. His opuſculorum Beroaldi nova quaſi pars ſuccedit, ſuo & ipſa titulo ornata, quam clariſſimo Ioanni Wartimbergenſi, Boemo, eleganti Beroaldus epiſtola dedicavit. Altera hac parte quæ continentur, hæc ſunt Opuſcula: Heptalogos, ſive ſeptem ſapientes, cum ſeptem ſapientum epitaphiis, carmine ſcriptis; Symbola Pythagoræ moraliter explicata, quibus præmiſſa eſt ad Thomam Cardinalem & Archiep. Strigonienſem epiſtola; ad illuſtrem Marchionem Iacobum Badenſem Epiſtola; Oratio de Felicitate, habita in enarratione Georgicon Virgilii & Columellæ; de optimo ſtatu libellus; ad Paulum Sidlovitium, ſcholaſticum Polonum, epiſtola; Declamatio, an Orator ſit Philoſopho & Medico anteponendus; ad Sigiſm. Goſſingerum, eccleſiæ Wratislavienſis Canonicum, epiſtola; Declamatio ebrioſi, ſcortatoris, & aleatoris.

X. *Leonardi de Portis, Iureconſulti Vicentini, de Seſtertio, pecuniis, ponderibus, & menſuris antiquis, Libri duo. 4.*

Notiorem Lectoribus librum ipſum, quam hanc eius editionem, quæ deſtituta eſt anni locique indicio, puto. Editum enim hunc Portii librum a Iacobo Gronovio in Theſauri Antiquitatum Græcarum Volumine nono, forte pauci ignorant. Ubi ſecutus eſt Gronovius editionem Colonienſem anni

anni 1551, ſatis vetuſtam, ſed ætate minime cum hac noſtra comparandam. Nam, quæ exulat in Colonienſi, huic editioni præmiſſa eſt *Io. Bapt. Egnatii*, qui edidit librum, *ad Lectorem epiſtola*, ad commendandum partim hunc libellum, partim laudandum eius Auctorem, compoſita. Atqui, hunc *Egnatium* floruiſſe inprimis, ſcimus, circa Seculi XV initium. Anno igitur 1551 editionem hanc noſtram multo eſſe antiquiorem oportet. Omnium primam dicerem, niſi me *Maittairius Annal. typ. Vol. II pag. 29* doceret, primum libellum hunc Baſileæ prelo *Frobeniano* exiiſſe, ſed eam editionem nec loci, nec temporis, indicem habere; hanc ipſam autem ante annum 1527 vulgatam, inde poſſe colligi, quod libri huius, tanquam haud ita pridem editi, mentionem fecerit *Eraſmus* in Epiſtola ad *Guil. Budæum*, d. 22 Iunii A. 1527 data. Ita, inquam, *Maittairius* nos docet, ſed qui tunc, cum hæc ſcriberet, eam huius libri editionem ignoravit, quam poſtea in horum *Annalium Indice Tom. II pag. 176* memoravit, *Romæ in ædibus F. Minitii Calvi A. 1524* vulgatam; de qua ſi dubitare non licet, patet hinc, aut Baſileenſem illam diu ante ſcriptam *Eraſmi* epiſtolam prodiiſſe, aut Romanam hanc illa priorem, & fortaſſe omnium primam, fuiſſe. Nec, ut verum fatear, ſatis cauſam video, cur homo Italus apud exteros potius, quam in ipſa Italia, quæ nobiliſſimis tunc temporis officinis abundabat, ſua voluerit ſcripta excudi. Utcunque ea res ſe habeat, ne noſtram hanc, ab *Egnatio* vulgatam, priorem ceteris omnibus

omnibus editionem putem, illud inprimis me movet, quod ipſe in ſua *ad Lectorem* Epiſtola *Egnatius*, iam olim, dicat, in ſuis ad *Suetonium* annotationibus eorum, quæ de menſuræ antiquæ ratione in libello hoc *Portius* diſputaverit, honorificam a ſe mentionem factam: quod, dubito, an fieri ſatis commode potuerit, niſi iam tum libello iſti *Portii*, luce frui publica, contigiſſet. Id minime dubitare licet, editioni huic *Portium* ſuperſtitem fuiſſe, quippe cui tales *Egnatius* in epiſtola illa laudes tribuit, quas tribuere niſi viventibus non ſolemus. Ita enim is inter alia: *Eſt hic vir cum ceteris artibus, quæ quidem digna libero ſint, ornatus omnibus, tum acer inveſtigator & diligens earum rerum, quæ ſuapte natura involutæ.* Qua vero ætate vixerit, aut quo mortuus ſit anno, *Portius*, cum nemo me doceat etiam eorum, qui talia annotare diligenter ſolent, ſaltem, ſub Seculi XV finem, aut decimi ſexti initium, vixiſſe, inde colligo, quod ſub opuſculi huius ſui finem *Angeli Colotii*, civis Romani, mentionem, ut viventis, faciat, quem æqualem fuiſſe *Pomponii Læti* & *Sabellici*, non ignotum eſſe poteſt his, qui ea legerunt, quæ dixi in *Hiſtoria vitæ Angeli Politiani pag. 9.* Quæ omnia ſi recte tibi apud animum proponas, ſponte tum intelliges, editionem hanc *Egnatii*, ſi prima omnium non ſit dicenda, at certe haud adeo diu poſt Romanam illam anni 1524 vulgatam. Ceterum de libro ipſo, qui iam oculis omnium in *Theſauro Gronoviano* expoſitus eſt, aut de Auctore eius, cuius vita, præter meritum fortaſſe, in obſcuro latet, plu-

 ribus

ribus exponere, non eſt inſtituti mei. Nec nunc litem illam diſceptare animus eſt, quam ei malevoli nonnulli intentarunt, commiſſi in ſimili *Gul. Budæi* libro furti literati eum arguentes, a quo crimine adeo abſolutus eſt ab aliis, ut, hunc ipſum compilatum potius a *Budæo*, contendant.

VII.

ROLANDI MARESII & NIC. HEINSII MVTVÆ DE ANTIQVARIIS, ET DE CICERONIS, ATHENÆI, LIPSIIQVE, DIALOGIS, EPISTOLÆ, ITERVM PVBLICATÆ, ATQVE ANIMADVERSIONIBVS INSTRVCTÆ, A I. G. HAVPTMANNO, Hayn.

NIC. HEINSIO S. P. D. ROL. MARESIVS. *

Cum tam amanter, & tam ſedulo, ad eas, quas ad te dederam, reſcripſeris: quod tamen ab amicis exigere non ſoleo, in eiusmodi epiſtolis, quæ de nullis negotiis agunt, ſed pleræque ad præſentes datæ, & animi tantum cauſa ſunt ſcriptæ; ea humanitas fecit, ut denuo te compellarem, & tecum de argumento aliquo literario more meo fabularer: quando id tibi non iniucundum accidiſſe video. Præſens igitur epiſtola de

* Exſtat hæc *Epiſt.* inter *Mareſianas Lib. I n. XLIX.*

ſe antiquariis erit, iis nimirum, qui nimis vetuſto ſcribendi genere utuntur. 1) Quod vitium apud Romanos a doctis & cordatis viris exagitatum fuit. 2) *Salluſtium* enim vulgo culpatum, tanquam antiqui *Catonis* verba multum furatum, 3) & *Tiberium* ab *Auguſto* reprehenſum,

L 2 ut

1) Cum *Evandri* matre loqui, idem nobis videtur, ac ſi quis Seculi XIV, vel XV, libros Germanicos conquireret, atque indidem linguæ ſuæ peteret elegantias. Sane genius ſeculi non literarum ſolum generatim, ſed & linguæ præſertim, arbiter dici meretur, quippe quæ ſingulis ætatibus, ſi non emendatur, mutatur certe ac variatur. Linguæ autem intermortuæ omnes, tempus fuit, quo ἀκμὴν habuere ſuam. Habent ſe ubique ut homines. Stolidum profecto foret, infantis crepundia imitari, cum firmatos viri mores queamus. Invenitur autem priſcos æmulandi modus vel in ſcriptura, vel in vocabulis ſingulis, vel in coniunctis. Conf. Ven. *Io. Ge. Walchii Hiſtoria critica Latinæ linguæ Cap. 2 p. 142 ſq.* & Cel. *Frid. And. Hallbaueri* liber Germ. *de Stilo Lat. P. I Cap. 1 §. 3, 4 Cap. 3 §. 3 not. o, P. II Cap. 2 p. 334 ſq.* Attamen erit etiam, ubi cum antiquis loqui licebit. Conf. *Aug. Buchnerus de commutata ratione dicendi Cap. 20.*

2) Fecerunt id e. g. *Auguſtus Caeſar* apud *Sueton.* in eius *Vita Cap. 86, Favorinus* Philoſophus apud *Gellium N. A. Lib. I Cap. 10, Avienus* apud *Aur. Macrobium Lib. I Cap. 5,* ſtatim ab initio, quæ quidem verba cum *Gellianis* illis ex aſſe conſentiunt. Conf. *I. Pincierus in Parergis philol. Lib. I Cap. 3.*

3) *Sueton. l. c.* Conf. *Scioppius de exerc. rhet. generibus p. 13 ſq.* & *Ge. Paſchius de Inventis nov-ant. Cap. 2 p. 131.*

ut exoletas interdum & reconditas voces aucupantem videmus. 4) Quapropter nunc huiusmodi homines reperiri magis miror, qui exoletorum verborum fœtoribus, ut idem *Auguſtus* appellabat, ſcripta ſua contaminent, & nimia priſcarum vocum affectatione oblinant: cum nitidi quique Auctores & maxime puri ſoli ſint imitandi: quales ſunt *Cicero* & ii, qui poſt illum usque ad *Traianum*, ſeculo nimirum cultiore &, uti ita dicam, Latiniore, ſcripſerunt. 5) Videre eſt igitur, literatos viros fere, quo doctiores ſunt, eo magis hoc morbo teneri. 6) Hinc enim alii, ut *Fabii* verbis utar, famam eruditionis affectant: ut quædam ſoli ſcire videantur:

4) *Sueton. l. c.* Pertinet huc etiam *Hadrianus* Imperator, quem *Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Salluſtio Cœlium*, prætuliſſe, ſcribit *Spartianus* in eius *Vita Cap. 16.* Conf. ill. *Ge. Heinr. Ayrer* in Diſſ. *de Comparatione eruditionis antiquæ ac recent. Sect. I* §. *1 p. 208*, atque etiam *G. N. Kriegk de Sophiſt. eloq.* §. *33 ſeq.*

5) Idem illud ſentiunt, qui de imitatione ſcripſerunt, quosque laudatus inprimis *Hallbauerus* collegit, tantum non omnes. Nec, qui cum ratione verſatur, aliam facile mentem fovere poteſt. Et, ſi qui ſunt, qui cum barbaris & coquis loqui concedunt, nil proficient, niſi quod infantiam ipſi prodant ſuam.

6) Nemo dici vere doctus poteſt, qui ne quidem, quid bonum ſit, quid præferendum, exploratum habet. Naſuti dici poterunt, qui ſibi ſolum ſapiunt, non eruditi.

antur: quaſi noto, civilique, & proprio, ſermone uti, cum vulgo, non ſit ſapere, aut quaſi neminem velint ea, quæ dicant, intelligere, 7) quod ut abunde conſequantur, ut apud *Agellium Favorinus* ait, nonne tacerent? Certe lectores hiſce verbis torquere volunt: ideoque illa tanquam μυστηριώδη quædam, & ſolis ſuis συμμύσταις cognita, effutire gaudent: iis ſcilicet, qui *Varronem*, *Feſtum*, *Nonium*, & vetera gloſſaria, ſemper in manibus habent: ex quibus eiusmodi voces, tanquam aurum, legunt. 8) Ex quo inconſulto archaiſmi amore fit, ut *Plautum Terentio* anteferre non vereantur. 9) Cui ſententiæ accedere

 non

7) Novimus tritum illud: *Si non vis intelligi, non debes legi.* Atque hinc & potiſſimum eſt, cur *C. Caeſar Lib. I de Analogia* ſcripſerit: *Habe ſemper in memoria atque in pectore, ut, tanquam ſcopulum, ſic fugias inſolens verbum. Gellius* l. c.

8) Evehatur interdum oratio decet, nec humi ſemper repat. Sed id novis cultæ rationis meditationibus, ac dignitate verborum, non autem inſolentia & obſcuritate, fiat oportet.

9) Maxime *Plautum* in deliciis habuit *Lipſius*. Ut ex pluribus eius effatis vel tria nominemus, *Plautus*, ait, *ille ſcriptor eſt, qui puritatem, qui proprietatem, ſermonis ſuppeditet: ille, qui urbanitatem, iocos, ſales, & eam Atticorum Venerem, ſufficiat, quam fruſtra in reliquo Latio quæras;* item: *Plautus, illud delicium, & ille, ut ſic dicam, pullus, Romanae Muſæ, in literarum quaſi penetrali* *eſt,*

non poſſim, ſive aliarum virtutum, quibus longe ſuperior eſt *Terentius*, ſive etiam ſermonis ipſius ratio habeatur. Etſi enim apud veteres ea dote ſit *Plautus* maxime commendatus, tamen ad *Terentii* elegantiam & puritatem, ut nimium archaicus, mihi nequaquam accedere videatur. 10) Quem *Tullius* ipſe ubique exprimit, & cui in quibusdam verſibus lectum ſermonem come loqui, ac omnia dulcia dicere tribuit, quemque *Caius*

eſt, quo non niſi initiati accedant: & qui a ſe ſpernat profanum vulgus & arceat; item: *Nemo Plautum amat, quem non melior Muſa & Phœbus.* Plura vid. inter teſtimonia de *Plauto*, a *Io. Phil. Pareo* collecta.

10) Elegantior quidem erit, ipſo *Flacco* teſte, *Terentius*, ſi partes ſpectemus; ſed nulla eius fabula eſt ſine amore; quo vero nomine *Terentianas* omnes præſtant *Plauti* Captivi. Ceterum, ſi dicendum quod res eſt, iuventuti equidem ſtudioſæ neutrum valde commendarem. Cum multo venenum imbibet. Nec habemus, cur naturalem pulchritudinem promiſcue miremur. Altiore opus indagine eſt, ut perſpiciamus, quid Davum ab hero diſtinguat, atque adeo illud repudiemus, hoc eligamus. Neque enim vulgo loqui debemus, quotiescunque loquimur Latine, aut ſcribimus: popularis autem ſermo eſt *Terentianus*. Cur non potius eruditum eligimus in orbe literato verſaturi? Cur *Cæſarem* ſpernimus ac *Ciceronem*? Sed hoc iam nil ad propoſitum; id ſaltem addimus, longiorem inſtitutam eſſe *Plauti* ac *Terentii* comparationem, & huic palmam tributam, a *Mareſio* noſtro *Lib. II Ep. 6*.

Cæſar eum puri ſermonis amatorem appellat. 11) Sed hoc cum veſtra & Germanorum venia dictum ſit, qui *Plautum* præ aliis præcipue in deliciis habetis. 12). Idem *Cicero* in libris *de Oratore* ſcribit, non utendum eſſe iis verbis, quibus iam conſuetudo non utitur; niſi quando ornandi cauſa parce: quibus loco poſitis grandiorem orationem ſæpe videri dicit. Idem quoque ſentit *Quintilianus*, nempe illa verba ſanctiorem, & magis admirabilem, facere orationem, quibus non quilibet fuerat uſurus, eoque ornamento acerrimi iudicii *P. Virgilium* unice uſum. Sed ait utendum modo, nec ex ultimis tenebris repetenda. At illi nullum ſervant modum; ſed hæc manu ſpargunt, ſed toto, ut aiunt, ſacco: &, quæ, cum iudicio inſerta, orationem quaſi quibusdam luminibus & inſignibus diſtinctura erant, eandem paſſim inſperſa contaminant. 13)

 Quo

11) Vid. Commentatio noſtra *de Menandro, atque illius Comoediis, not. f.* ubi *Cæſaris* Epigramma ſic debet ſuppleri:

Tu quoque, tu in ſummis, o dimidiate Menander,
Poneris, & merito, puri ſermonis amator.

12) Nominandus præſertim hoc titulo *Frid. Taubmannus* in editione *Plauti*, in Diſſ. *de lingua Latina*, & alibi.

13) Quicquid hiulcum, quicquid anxie conquiſitum videtur, tædium creabit lectori. Flumen debet eſſe orationis, non aſpretum; natus ſermo, non perveſtigatus.

Quo vitio laborantes nimium paſſim reperiuntur, frequentius vero apud Germanos, 14) &, ut libere tecum agam, quandoquidem id pateris, apud veſtros etiam Belgas. Inde fit, ut aliquando verſus paulo duriuſculos 15) faciant; quibus verba obſoleta & *Accio Pacuvioque* uſurpata tanquam pulchrum aliquod emblema immiſcent, & ut fere

Carmina nulla probent, quæ dulci tramite currunt,
Sed quæ per ſalebras, altaque ſaxa cadunt. 16)

Enim-

14) Operæ ſi pretium eſſet, tot facile ac plures, eiusmodi errore abreptos, apud alias gentes, quam in Germania, colligeremus. Sed quieſcant homines, vitia carpantur.

15) *Paulo* temere cum infimo adiecti gradu coniungitur. Ceterum imitatio hic eſſe videtur *Pliniorum*, quorum maior ſub initium operis: *Duriuſculum ſe fecit*, alter *Lib. I Ep. 16: Inſerit data opera, duriuſculos quosdam verſus.*

16) *Martialis* in *Chreſtillum* quendam *Lib. XI Epigr. 91.* Erit fortaſſis, ubi & hoc vitium a civibus meis, bono cum Deo, avertam. Id ſaltem iam monebo, non ad ultimam Poetarum decuriam exigendos eſſe omnes. Ubique mali ſunt bonis mixti.

Enimvero Italos, contrario morbo laborantes, & diverſo genere vitioſos, magis ferre poſſim, eos quidem, qui ſuperiori ſeculo, neſcio qua ſuperſtitione conſtricti, nullis niſi *Ciceronianis* verbis uti ſuſtinebant. 17) Id enim, licet vitioſum, ali-

17) Præcipuum in laudabili ſtilo eloquentiæ Latinæ antiſtiti deberi locum, nemo eſt, qui neſciat. Quemadmodum vero auream mediocritatem deſerentes imprudentiores, in exceſſu partim, partim in defectu, peccare ſolent: ita & non tantum inveniuntur, qui contemſerunt *Ciceronem*, verum etiam qui ſputum quaſi illius lambere glorioſum ſibi exiſtimarunt. Poſteriori nominatim in genere ſunt, Ciceroniani qui dicuntur, ſuperioribus præſertim ſeculis apud Italos atque alibi celebriores. Iſti boni viri, ne verbum quidem niſi Ciceronianum probabant: immo ipſas ſyllabas, literas, circuitiones, omnem denique numerum orationis, ad amuſſim *Tullii*, moleſtis plane laboribus, applicabant. Ut *Ciceronianas* cumulare formulas poſſent, tota folia eodem ambitu complebant, & epiſtolæ vel menſes, orationi vel annos, inſudantes, cum nunc adieciſſent, nunc abſtuliſſent, nunc mutaſſent, nunc ſæpius quædam inculcaſſent; centones tandem, ſine proprio ſenſu, ſolius *Ciceronis* ex verbis compoſitos proferebant. Quid? quod ipſos infelicium libellorum errores, ipſa menda Dei, quem colebant, ſui, ſpecioſo figurarum atque ornatæ orationis titulo defendebant, æmulabantur. Non ſine cauſa Deum iſtorum nuncupaſſe mihi videor *Ciceronem*; cuius non ſolum elegantias vel regno potiores iudicabant, cuius ante quam

aliquando tamen tolerabilior eſt, quam, ipſa ſcribere, quae *Modeſtus* ipſe & *Claranus* 18) vix intelligant, quaeque interprete egeant, imo Apolo

quam verba relinquerent, ipſa ſacra Chriſtianorum profanabant, cuius aliquando in aeternis gaudiis ſocietatem laeta confidentia ſperabant atque iactabant: ſed cuius etiam imaginem divinis propemodum honoribus afficiebant, &c, quin templis inſererent, vix ſibi poterant temperare. Oppoſuerunt ſe, & inter quidem, ardelionibus iſtis, *Eraſmi, Oſorii, Jani, Menckenii, Bitoberi*, praeter alios. Atque ipſe *Cicero* abſterrere tales voluit, ſicubi imitatores, non ſervum ſane pecus, ſed liberos formaturus, ita inter alia ſcribit: *Accedat exercitatio, qua illum, quem ante delegerint, imitando effingant, atque ita exprimant, non ut multos imitatores ſaepe cognovi, qui aut ea, quae facilia, aut etiam ea, quae inſignia & paene vitioſa conſectantur imitando.* Et quae deinde huc pertinentia ſequuntur, ubi *Fuſium* praeſertim, iſtorum, ni fallimur, antesignani, exemplum proponit, atque iſtum in republica furere confirmat. *De Orat. II, 22.* Eum haec in finem attulimus, ut a maiori ad minus, a laudabili ad vitioſum ſcriptorem, concludendo, quo loco *Lipſii* habendi ſint aemulatores, appareat.

18) Grammatici antiqui fuerunt. *Martialis Lib. X Epigr. XXI: Scribere te, quae vix intelligat ipſe Modeſtus. Et vix Claranus, quid rogo, Sexte, iuvat?* Conf. *Senec. Ep. 66*, & *Auſonius Ep. 18.*

Apolline. 19). *Iuſtum* equidem *Lipſium* ſummi ſemper amavi, propter eximias ingenii, doctrinæ, iudicii, morum etiam integritatis, quæ in eo eniruere, dotes, 20), eiusque pari fere ac antiquorum opera in honore habui. Verum maceror & doleo, illum verba antiqua nimis frequenti in uſu habuiſſe: ſed magis eidem deeſſe ſermonem purum & mere Latinum. Certe phraſis, quæ corpus eloquentiæ facit, tota ab illo eſt, & in eo nullum, quem ſequeretur, auctorem habuit. Quod utique in lingua, quæ intercidit, & iam in nullius eſt uſu populi, facere non licet. 21) Naturæ quidem ſuæ vir & genio ut doctus, ſic nonnihil audax, in ſcribendo indulſit: laxum

&

19) *Martialis, l. c.:*
Non lectore tuis opus eſt, ſed Apolline, libris.

20) Idem *Mareſius Lib. I Ep. 7. Balzacius* in Diſſ. ad patrem *Andream de S. Dionyſ.: Lipſe etoit Prince parmi les doctes de ſon temps & un des Triumvirs, comme ils le nommoient, de la rep. des lettres; vous ſçavez que Scaliger & Caſaubon étoient les deux autres.* Conf. *Conr. Sam. Schurtzfleiſchii* elogium in *Actis literariis*, ab illius fratre editis, *p. 193-195.*

21) Id ſi liceret, tot facile in dialectos incideremus ac denique linguas, quot reperiuntur ſcriptores. Quodſi enim, omni adhibito niſu, ſcriptorem aliquem non prorſus imitari valemus, quid denique fieret, ſi ſuum quilibet genium, ſuam audaciam, ſequeretur, ac vel ſine exemplo fingere quæque fas haberetur?

& fluxum genus ſcribendi cordi non eſſet, 22) conciſa vero & adſtricta magis eſſent ad guſtum; 23) quique fracta & elumbia, qualem eſſe *Ciceronis* compoſitionem olim *Brutus* indicavit, reiiceret atque adſpernaretur. 24) Inde oratio eius crebra parentheſi interrumpitur, & tota interrogatiunculis ſcatet. 25) Sed, quando de tanto

22) *Balius l. c.: Lipſe eſt d'autant moins excuſable, qu'il étoit paſſé du bon goût au mechant goût, Il écrivoit bien dans ſa jeuneſſe* cet.

23) Ipſe ſibi *Lipſius* Atticiſmum tribuit *Cent. II miſcell. Ep.* 10. Laconiſmum vero illius ſcribendi genus nominat *Petrus Ekermanus*, vel potius *Nic. Laur. Sörſtröm*, in Diſp. *de Laconiſmo Lipſiano.* Quodſi autem verum fateri velimus, ad neutrum *Lipſii* ſtilus commode referetur. Iam enim Lacones, iam Atticos, imitatur, iam de ſuo genus miſcet hiulcum, id eſt, frigide ſcribit. Id quod ex collatione Diſputationum noſtrarum *de Laconiſmo* & *de Atticiſmo* facile patebit.

24) *Dialogus de Orat. Cap. 18.*

25) Erat iam olim ille mos eorum Philoſophorum, quibus etiam *Lipſius* addictus fuit. Audiamus *Ciceronem* in *Parad. Cap. 1: Cato autem, perfectus mea ſententia Stoicus, & ea ſentit, quæ non ſane probantur in vulgus, & in ea eſt hæreſi, quæ nullum ſequitur florem orationis, neque dilatat argumentum: minutis interrogatiunculis, quaſi punctis, quod propoſuit, efficit.* Conf. Cel. *Gottlieb Stollii Hiſtorie der Gelahrh.* Prae-

tanto viro incidit mentio, hoc etiam, licet extra rem, adnotare non pigebit, in eius dialogis, quos ſatis multos ſcripſit, id alioqui non placere, quod res dialogis non ſatis convenientes eo ſcripti genere tractaverit, quo quidem ea tantum, quæ ſunt de ſcientiis, aut moribus, deque omnibus Philoſophiæ partibus, demum de rebus, quæ facile memoria contineri poſſunt, exponi ſolent; quod ex *Platone*, *Cicerone*, *Luciano*, & aliis, apparet. Illi enim ſermones perſonis affingunt, de rebus, quas, ut prius animo comprehenſas, a vero non abhorret, aliquem poſſe oratione ſubita expromere. *Lipſius* vero de Romanorum ritibus per dialogiſmos agit, quos ut explicet, variorum Auctorum infinita loca accumulat, quæ ad verbum referuntur. Qui porro veroſimile eſt, quemquam tanta eſſe memoria, ut in ipſis ſcriptorum verbis recitandis nusquam vacillet, tot præſertim adductis teſtimoniis, quibus etiam alieno plane loco Criticen admiſcet?

Præter amorem autem Stoicæ Philoſophiæ, alii alias cauſas afferunt. Vid. *Lipſius* ipſe *Cent. III miſc. Ep. 100*, Cl. *Car. Langii Inſtit. ſtil. Rom.* p. 399, & *Sörſtröm l. c.* §. 5 p. 7. Nec generatim negligendum eſt, quod ſcribunt Celeb. Viri *Burmannus* in Orat. *in obitum I. G. Grævii* p. 563, *Berger Diſſ. Acad. IX* p. 195, *Heuſinger* in Comm. *de corrupti ſermonis Latini diſciplina in ſcholis adhuc durante*, *Iſen.* 1741.

cet? 26) Quæ omnia contra dialogorum morem eſſe, quis non videt? Nec vero aliquis mihi Athenæum & Macrobium obiiciat, quorum dialogi ex variorum Auctorum locis toti contexti ſunt. ἀνοικονόμητοι enim ſunt, nec ullam veriſimilis rationem habuerunt; maxime Athenæus, qui Timocrati ſe recitare fingit ſermones, habitos in coena divitis illius Laurentii, 27) cui interfuit, de variis rebus, præcipue vero de eduliis, qui nihil aliud ſunt, quam infinita teſtimonia, ex variis ſcriptoribus, præſertim ex Comicis Poetis, deſumta, ſæpe longiſſima. 28) Quæ fictio plane abſurda eſt, nempe tot loca, dum recitantur, a quoquam memoriter poſſe reci-

26) Alios fortaſſis de ingenio ſuo finxit Lipſius, ſi quidem verum eſt, quod adeo polluerit memoria, ut & popoſcerit, qui gladio armatus ipſum trucidaret, ſimul atque vel verbum, in Taciti libris memoriter pronuntiandis, peccaret. I. N. Erythræus Pinacoth. III n. 1 p. m. 514.

27) Non Laurentius ille dicendus, ſed Laurenſis. Vid. I. A. Fabricii B. Gr. Lib. IV Cap. 20 §. 6 not. d, ubi & de Laur. Begeri ſcriptis ſimile ferri iudicium poſſe docetur.

28) Longiſſimum itaque ſcriptorum, ab Athenæo allegatorum numerum inſerere potuit immortalis Fabricius l. c. p. 635-695.

receſſeri? ut etiam tranſeam, ſermones in iſta cœna nullo adhibito iudicio, nec ullo ordine, interſeri, & mille alia ἀπροσδιόνυσα quæ non libet hic connumerare. Iſta vero de œconomia libri tantum dicta ſunto, qui alias variæ doctrinæ, nec valde tritæ, vere penus eſt. 29) Contra vero, quam minimarum etiam rerum in dialogis religioſus obſervator ſit *Cicero*, 30) ex eo apparet, quod ab *Attico*, in hiſtoria docto, ſæpe exquirit, omniane in illis inter ſe conveniant, præcipue perſonarum, quas adhibet, ætates? quod *Plato*, ſummi alias iudicii, quique decorum accurate ſervat, non ſemper tenuit, ut in *Parmenide* & *Timaeo*, & quos, *Socrate* antiquiores, eum illo colloquentes facit. 31.) Sed de dialogis, & de

Lipſio,

29) Hinc & indidem plura non pauci depromſerunt, *Aelianus* nempe, *Sopater* Sophiſta, *Suidas*, *Euſtathius*, atque alii.

30) De *Ciceronis* dialogis in Præfatione ad illius *Lælium* locuti ſumus. Hic igitur vel notaſſe ſufficiet, *Xenophontem* ex Græcis æqualem mereri commendationem, quorum *Lucianus* proxime coniungendus eſt.

31) Præterea etiam dictio *Platonis* ſublime aliquid & nonnunquam omnino poeticum ſpirare videtur. Hinc Dicæarchus apud *Diog. Laert.* *III*, 38: τὸν τρόπον τῆς γραφῆς ὅλον ἐπιμέμφεται ὡς φορτικόν. Conf. *Themiſtius*

orat.

Lipſii; ſatis, quem niſi magni facerem, in eo expendendo tantum operæ & verborum non inſumſiſſem. Quæ enim minime probamus, ea plene examinare non curamus. Hoc tantum addam, *Quintiliani* iudicium de *Seneca* huic fortaſſe non male accommodari poſſe: cuius ut virtutes multas, ita etiam vitia aliquot non abſimilia, commemorat, 32) quem *Lipſius* quidem in multis expreſſit, at non in eo,

Orat. p. 319 ed. *Harduin.* Illius igitur æmulus exſtitit *Cicero*, qui ſupra *Xenophonteam* mediocritatem in nonnullis ſurrexit. Vid. *Quintil. X, 1, p. 646 ed. Capper.*

32) Digniſſima ſunt *Fabii* verba *l. c.* quæ legantur atque accommodentur. Nos vel concluſionem excerpimus, quæ ſic habet: *Multæ in eo claræque ſententiæ, multa etiam morum gratia legenda: ſed in eloquendo corrupta pleraque, atque eo pernicioſiſſima, quod abundant dulcibus vitiis. Velles eum ſuo ingenio dixiſſe, alieno iudicio. Nam, ſi aliqua contempſiſſet, ſi parum concupiſſet, ſi non omnia ſua amaſſet, ſi rerum pondera minutiſſimis ſententiis non fregiſſet: conſenſu potius eruditorum, quam puerorum amore, comprobaretur. Verum ſic quoque tam robuſtis, & ſeveriore genere ſatis firmatis, legendus, vel ideo, quod exercere poteſt utrinque iudicium. Multa enim, ut dixi, probanda in eo, multa etiam admiranda ſunt: eligere modo curæ ſit:*

eo, quod priſcis verbis abſtinuit; minime eſſe antiquarium fuiſſe *Senetam*, notatum eſt. Verum, ut poſt tam longum diverticulum in viam redeam, & epiſtolam ſatis bene longam, imo libellum verius, quám epiſtolam, claudam, in his te mihi aſſenſurum eſſe non dubito, qui ſermone tam puro & nitido ſcribas. Contra vero ſentientibus *Eveni Parii* verſiculum accino:

Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐστὶν ἐμοὶ δὲ τάδε.

Vale!

NIC. HEINSII AD ROLANDI MARESII EPISTOLAM RESPONSIO a).

Potiſ-

dit, ipſe feciſſet. Digna enim fuit illa natura, quæ meliora vellet, quæ, quod voluit, effecit.

32) E. g. *Cent. I Ep. 23:* Vare mi *oculiſſime*; *Ep. 61:* Non melius, aut magis *propitim*, expreſſeris; *Cent. III Ep. 96:* Fabulamini aſſidue, *nuginamini*, &c. Verbum quidem *nuginari*, forte per iocum, ac ſenſu, ni fallor, diſtincto, etiam adhibet *Cicero* ad *Attic*, *XVI*, 12.

a) Exſtat illa in *Sylloge Epiſtolarum, a Viris illuſtribus ſcriptarum*, *Tom. V n. DXXVI*. Conferri meretur *Petri Burmanni* Præf. ad *Syllogen* illam, ubi præcipue *Tom. I* noſtri & ad eum Epiſtolæ exhibentur, vitaque nominatim egregie illuſtratur.

Potiſſima æſtatis huius pars foris exacta mihi, Vir clariſſime. Domum reverſus, poſt Flandriam vicinasque perluſtratas provincias, epiſtolam tuam offendi, gratam ſane illam & acceptam, ſic ut nihil magis. In ea, quod antiquarios noſtros & obſoleta paſſim verba captantes reprehendis, placet miris modis argumentum. Afflavit iam pridem labes illa, ceu peſtilenti ſidere b), non ſolum eruditorum vulgus, ſed plurimos etiam præcipuosque rei literariæ antiſtites. Quorum a te numero *Iuſtus Lipſius* recte accenſetur, vir, ut ſubacti limatique in ceteris iudicii, & vere magnus, ita indulgens hic nimium ſibi, & exiſtimationis ſuæ plus æquo ſecurus. Nec defuerunt tamen illi ſuæ veneres. Habet neſcio quid, quo lectorem trahat, & quod prorſus improbare non poſſis. Ut non tam illi ſuccenſeam,

b) Imitatur *Heinſius* Petronium, qui *Cap.* 2: *Loquacitas animos iuvenum veluti peſtilenti quodam ſidere afflavit.*

c) *Caſp. Scioppius de Stilo hiſtor. pag.* 67: *Magnis tamen, non nego, virtutibus vitia ſua Lipſius redimit, inprimis acumine, venere, ſalibus, ut excellens viri ingenium ferebat; tum plurimis lectiſſimis verbis loquendique modis,* &c. Multo autem magis laudatur *Frid. Taubmanno* in Diſſ. de *Lingua Latina p.* 45. *Ipſam, ait, Lipſii orationem quod attinet; nemo, opinor, qui in Auctoribus maiorum gentium paullo maiore cum fide & iudicio*

ſeam, quam ineptiſſimis mortalibus, qui imitandum ſibi illum proponunt: idque tam præpoſtere, ut vitia eius exprimant plerumque, virtutes non aſſequantur. Neminem imitatur *Lipſius*, ac proinde nemini imitandus d). Hanc ipſe legem ſervis iſtis animalibus videtur poſuiſſe e). Exprimunt tamen obluctantem, & ſequuntur quodammodo invitum: quaſi deſint inter antiquos, quos ſequi poſſis, & quidem longe tutius f). Ita ex-

M 2 iſtimo,

cio verſatus eſt, negabit, eam, quæ verbis, quæ phraſibus, ita ſeorſum conſideratam eſſe pro argumento propriam & ſelectam, & cuius fortaſſe neminem vel ab ipſo ævo Cæſaris pæniteat. Dicant & iudicent ſine livore, qui Latine modice intelligunt, & vel mediocriter in Auctoribus verſati ſunt, conſcientia ipſos convincet, Lipſii ſtilum aliquid habere vividum, alacre, eruditum, & quod ſæpius repetitum placeat. Cur vero in corpore illo & contextu orationis periodos, membra, numeros, non eo plane habitu & filo, quo ceteri fere ſolent, conformet, ego ſane neſcio.

d) Valet hæc regula de recentioribus, non autem generatim.

e) *Cent. II miſcell. Ep.* 10, &c.

f) *Dan. Heinſius Orat. II pag.* 40: *Nam, cum liberales diſciplinæ, & earum candidati, ducem ſuum Iuſtum Lipſium, ſuaviſſimæ in illo quidem, ſed inimitabilis, &, ut ipſe iudicabat, ne tentandæ quidem aliis, eloquentiæ virum, amiſiſſent; pleræque iuven-*

iſſimo, *Mureti* politiſſime, genium eſſe quendam, ſive bonum illum, ſive malum, ſine quo victura non ſcribantur g). Multos æternitati nugæ nequitiæque conſecrarunt, cum ex ſeriis ſcriptoribus plurimi nobis erepti ſint. Multos etiam perverſum dicendi genus, & quod ſani nemo iudicii velit imitari. Quam multi temporis iniuria intercīderunt, qui ſupereſſe merebantur! Quam multi ſuperſunt, quos intercidiſſe præſtaret h)! Præſſit

iuventus autem æmulatione viri clariſſimi abrepta, etiam præceptore ſuo, cuius ſcripta adumbrare, quam monenti recte cedere, malebat, deſtituta, quæ feliciter exprimere non poterat, ſtulte tamen ſequi optaret, magnum in diſcrimen literaria res venerat. Si quis ſcribere Latine vellet, a Pacuvio & Ennio demortua accerſebantur verba, ſaltitabant periodi, macra, ieiuna, ac famelica oratio, ſucco omni, nervis deſtituta omnibus & copia, punctulis quibusdam & alluſiunculis, aut membris interim præciſis & interrogatiunculis abrepta, nauſeam faſtidiumque ſui pariebat, &c. [Conf. *Morhof. Polyb. Lib. I Cap. 24, Io. Gu, Berger de natural. pulchr. orat. p. 339.*

g) *Martialis Lib. VI Epigr. 60:*

Neſcio quid plus eſt, quod donet ſecula chartis,
Victurus genium debet habere liber.

Conf. Cel. *Frid. Gotthilf. Freytagii* Comment. *de Genio ſeculi, literarum arbitro.*

h) Docent id indices librorum deperditorum hodie qu-

ſit premetque ſemper hoc fatum miſeros ſcriptores, ut cum lectorum captu conflictentur; quid quod iudicia illa ne conſtant quidem ſibi, ut in humanis rebus diuturni nihil eſt, & quaſi cum hoc univerſo circumvolvantur. Floret quandoque orationis nitor, & in pretio eſt, quandoque iacet & contemnitur. *Iulii* & *Auguſti* ævo laxum fluidumque dictionis probatum genus, poſt arguta abruptaque ſcriptione capi cœperunt. Et, ſi dicendum, quod ſentio, primi declamatores eloquentiam Romanam, maſculam illam vividamque, perdiderunt, dum non tam bene quidvis, quam ſuccincte acuteque, proferre conantur i). Cogor igitur hic a te diſſentire, mi *Mareſi*, qui ad *Traiani* Imperatoris usque tempora Latini eloquii limites protendas. Tam paucos invenire eſt poſt *Auguſti* mortem, qui terſe nitideque ſcripſerint, ſi iuniorem *Plinium* excipiamus. Sed, ne tam alte hæc repetantur, *Apuleium*, peſſimum ſane Latinitatis auctorem k), quis legebat ſuperiori

que reſtantium perveſtigatio. Eſt autem illud idem haud exiguum perverſitatis humanæ documentum; quippe quæ ad deteriora, & voluptates nominatim nutrientia, magis ſe plerumque inclinat, quam ad ſcripta, quæ mores e. g. emendant, meliora.

i) Exemplo eſſe poterunt, quæ *M. Fabio Quintiliano* tribuuntur Declamationes.

k) Erat ille Afer, &, per ſe malum, huius generis ſtilum peculiari affectatione magis corrupit. Exemplum

ori ſeculo? Nunc in omnium manibus eſt. Erit, cum rurſus negligetur. Unum *Ciceronem* non ſequi, flagitii loco inter Italos habebatur, qui nullos, aut pauciſſimos, imitatores nunc inveniat. Ceterum, ut illos non ferendos exiſtimo, qui malos imitantur ſcriptores, cum bonos poſſint, ita præter ordinem fieri contendo, ut bonis etiam nonnunquam quantumvis Auctoribus ſervilem prorſus quidam in modum adhæreant, in illorum verba iurent, nihil auſint promere, quod ab illis ante dictum non ſit, illorum denique ore loqui malint, quam ſuo. Formandus quidem mihi videtur dictionis character ex ævi optimi ſcriptoribus tribus quatuorve l), quos ubi in ſuccum ſanguinemque convertiſti, naturæ tuæ, non alienæ, inſtinctum ſequaris, neceſſe eſt. Ita tamen, ut neque nimis luxurieris, nec abruptæ iſti m) brevitati

plus

emplum huius rei propoſituri, vel ad initium *Lib. III de Aſino aureo* provocamus, ubi ſic incipit: *Commodum punicantibus phaleris Aurora roſeum quatiens lacertum, cælum inequitabat: & me, ſecuræ quieti revulſum, nox diei reddidit.* Conf. *Gevartius Elmenhorſtius de Vita & ſcriptis Apuleii, Raphael Volaterranus* in *Commentariorum urbanorum Lib. XIII*, &c.

l) Commendare hoc nomine poſſumus *Ciceronem, Livium, Cæſarem, Plinium* iuniorem; quorum, præſertim priorum, ex coniunctione ſtilum ſibi comparavit *Schurzfleiſchius*, quem iure meritoque laudamus.

plus æquo ſtudeas, ſed illum conſiſtas intra terminum, quem non unus ex optimis, ſed optimi ſimul omnes, præſcripſerunt n). Quis tam abiectæ indolis eſt, ut ſervire velit, cum libertate poſſit frui? Si ſerviendum tamen, nec ex domi facultates tibi ſint, ut iuris tui queas eſſe, abiecti animi notam haud evades, ſi infimis, quam ſummis, ſervire malis. Vilis mediocrium ſcriptorum imitatio eſt, cum nunquam ſupra illum poſſis inſurgere, quem imitandum propoſuiſti o). Sic ab ingeniis quibusdam non contemnendis ſui deſperatio expreſſit, ut *Claudianum*, quam *Virgilium* p), æmulari mallent. Habes hic ſen-

 ten-

m) Erat alterum Aſiaticorum, alterum Laconum, quos inter Rhodii atque Attici medium beati tenuerunt. Si quid definiendum eſt, fuſiorem eſſe decet ſtilum iuventutis, ſenectutis adſtrictiorem. Sed & hic, qui naturam ſequitur, optime procedet.

n) Bene omnino & ſapienter hoc præceptum eſt. Gloria nobis obſequii in lingua Latina relicta videtur. Quemadmodum vero inter obſequium civile ac ſervile maxima datur differentia; ita & imitatio noſtra a poſteriori abhorrere, prius ſequi, debet. Non ex nutu ſolius alicuius *Ciceronis* pendemus; ſed ad leges ſanæ rationis accommodamur.

o) Conf. *Quintil. Lib. X Cap. 2 de imitatione.*

p) Habet *Virgilius* auri plurimum, ſcorias pauciores;

ſententiam meam, Vir præſtantiſſime, non quam ſecutus ipſe ſum, ſed quam ſequerer, ſi eloquentiæ ſtuderem, & cuius leges omnes feliciſſime tu expreſſiſti in eleganti illa epiſtola, cui nunc reſpondeo. A *Lipſio* quod diſſentis, nihil periculi eſt. Modeſte enim id facis, ut offendi non poſſit ipſe, ſi viveret. Memoriam ego tanti viri ſancte veneror. Non negarim tamen, magna illi ex parte labem eam deberi, quam tu Belgis noſtris non immerito adſcribis. Quod niſi ὁ θαυμάσιος *Scaliger* iuventuti noſtræ, peſſum eunti, ſuccurriſſet, ſalubribus monitis, in *Lipſii* locum ab ampliſſimis huius Academiæ curatoribus opportune ſubrogatus q), futurum vix erat, ut tantam tot præclarorum ingeniorum meſſem, quæ annis quinquaginta proximis in Batavia noſtra' eluxerunt, mirarentur exteri. Nec labes tamen ea ſolos Belgas, aut Germanos, occupavit, ſed vos ipſos etiam infeciſſe videri poſſit. Novi virum doctum, popularem veſtrum r), quem nonnulli ex vobis ſolem Galliæ appellatis, tam impolite, ſordide,

Claudianus contra. Qui, quid diſtent aera lupinis, exploratum habet, hos, ubicunque invenerit, reiiciet, illa ſeliget, inque uſum ſuum convertet.

q) Vid. *Vita Leibnitii*, a *Lamprechto* edita, *p.* 10.

r) Quis ille ſit, hariolando quidem invenio, ſed nolo eruditorum cineri gravis eſſe, præſertim non ſatis explorata coniectura. Eadem de cauſa vel maxime modeſtam ſtili *Lipſiani* vituperationem lubentius intermiſiſſem, niſi ex inſigni viventium utilitate foret, blanditiis eiuſmodi atque irritamentis haud decipi.

dide, negligenter, ſcribentem, ut voces non modo *Accianas* pro gemmis & unionibus paſſim oſtentet, ſed *Tertulliani*, *Arnobii*, ceteraſque infimi ævi fæces, cum iis tam frequenter confundat commiſceatque, ut dictiones eius chaos quoddam omnium ſeculorum appellari poſſint. Accedunt huc verboſa & non ferenda loquacitas, continuæque illorum, quæ iam abunde dicta erant, repetitiones, quæ lectorem obtundunt enecantque potius, quam fatigant, ut echo ſui ipſius mera videatur. Atque hunc tandem toties iteratæ πολυλογίας fructum fert, dum nimis anxie cupit intelligi, ut ne intelligatur, dumque omnia exacte feciſſe ſibi viſus eſt, mera faciat mapalia. Hoc felicior certe *Lipſius*, quod genium æternitatis propitium expertus eſt, etiam cum male ſcriberet. Alterum tota cura id credas agere, ut vix nata pereant, quæ ſcribat, tam negligens eſt omnis elegantiæ. Sed nimius iam ſum, & alienæ garrulitatis notam mihi inuro. Ferendum tamen hoc tibi, quia provocaſti. Satis ſuperque hac epiſtola expertus es, quam non impune ad ſcribendas literas inviter. Vale, clariſſime *Mareſi*, cum fratre tuo, illibato illo flore Gallicæ poeſios s). Lugduni Batavorum a. d. XIV Kalend. Sept. Anno MDCXLIX.

INDEX

s) Eſt ille *Io. des Marets*, frater *Rolandi* iunior, ac diu poſt eum ſuperſtes, inter primos Academiæ Gallicæ ſocios, Poeta perquam felix. Comoedias atque alia poemata conſignavit. Illarum principes tenet partes, *les Viſionaires* quæ inſcribitur; horum autem, *Poeme de Clovis*.

INDEX DISSERTATIONVM,

QVAE

VOLVMINIS SEXTI

PARTE PRIMA

CONTINENTVR:

I. IO. CHRISTOPH. HARENBERGII Hiſtoria critica Odæ Davidicæ quintæ. Pag. 1-11.

II. PETRI ZORNII Diſſertatio poſthuma de Chriſto, ſublatis manibus diſcipulis ſuis benedicente, & inter benedicendum ab eis diſcedente, & in cœlum ſublato. Pag. 11-23.

III. CAROLI HENR. ZEIBICHII, P. P. de Chriſto, fido N. T. Pontifice, Diſſertatio philologica, ad locum Paulinum *Hebr. II, 17.* Pag. 23-47.

IV. PAVLI ERNESTI IABLONSKI Obſervatio de Athor, Numine Ægyptiorum veterum, quod Græci Venerem interpretantur. Pag. 47-92.

V. IOANNIS IACOBI REISKE Libellus Animadverſionum ad alteram editionem *Burmannianam Petronii. Pars I.* Pag. 92-114.

VI. FRID. OTTONIS MENCKENII Librorum, haud ita diu ab inventa arte typographica editorum, quibus ſuppleri poſſint Annales typographici Maittairiani, Decas prima. Pag. 114-162.

VII. *Rolandi Mareſii* & *Nic. Heinſii* mutuæ de Antiquariis, & de Ciceronis, Athenæi, Lipſiique, Dialogis, Epiſtolæ, iterum publicatæ, atque animadverſionibus inſtructæ, a I. G. HAVPTMANNO, Hayn. Pag. 162-185.

✡ ✡ ✡

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM SCIENTIARVM,

AB HIS,

QVI SVNT IN COLLIGENDIS ERVDITORVM NOVIS ACTIS OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA.

VOLVMINIS SEXTI PARS SECVNDA.

CVM PRIVIL. REG. POL. ET ELECT. SAX.

LIPSIÆ,
APVD B. LANCKISII HÆREDES,
M DCC XLVIII.

I.

GEORG. LVD. OEDERI, D.

DISSERTATIVNCVLA CRITICA

in *Matth. I, 18.*

I.

Antequam, quid mihi de graviſſimo loco videatur, exponam, viſum eſt, antiquorum Patrum, ſed duorum tantum, inſignes ſententias, uſui mihi futuras, præmittere. *Irenaus Lib. III Cap. 18 p. m. 174* cum primis *Matthai* verbis: *liber generationis Jeſu Chriſti*, tum *commate 18*, quod conſiderandum ſumſi, utitur, ad demonſtrandum, *Jeſum* & *Chriſtum* minime eſſe diverſos, quod hæretici finxerant. Sic ait: Ceterum poterat dicere *Matthaus: Jeſu vera generatio ſic erat*; ſed providens Spiritus S. depravatores, & præmuniens contra fraudulentiam eorum, per *Matthaum* ait: *Chriſti autem generatio ſic erat.*

II. In his verbis maximi momenti eſt, neſcio an cuiquam ſatis obſervata, profeſſio *Irenai*, ab Apoſtolorum ævo non multum remoti, ſpectatiſſimique doctoris, quem nemo dixerit a

Chriſtianorum primorum ſancta fide receſſiſſe, qua, claris verbis *Spiritum Sanctum per Matthæum locutum*, affirmat, neque id de *rebus* tantum, ſed de ipſis *vocibus* etiam, intellectum vult; nam vocabulum *Chriſti*, in loco *Matthæi* poſitum, Spiritui ſancto auctori tribuit.

III. Critici aliquot, in his *Jo. Millius*, hinc colligunt, *Irenæum* in Codice ſuo Græco, non utramque vocem: Ιησȣ Χριςȣ, ſed ſolam Χριςȣ, legiſſe. Verum mihi non videtur *Millius* idonea ratione ita colligere. Non hoc egit *Irenæus*, ut oſtenderet, vocem, *Jeſu*, hic non legendam, ſed, Virginis filium *Chriſtum* eſſe; ceterum, adjectumne eſſet vocabulum *Jeſus*, an abeſſet, nihil ipſius intererat. En *Irenæi* verba: *Non, ſicut ipſi dicunt, Jeſum quidem ipſum eſſe, qui ex Maria ſit natus; Chriſtum vero, qui deſuper deſcendit.* Obſervandum etiam, paullo ante ab *Irenæo* ambas voces poſitas eſſe: *liber generationis Jeſu Chriſti* &c. poſt ea vero, quæ modo deſcripſi, hæc verba *Irenæi*, egregia ſane, illico ſequi: "Et, quoniam hic eſt Emanuel, ne „forte tantum eum hominem putaremus, non „enim ex voluntate carnis, neque ex voluntate „viri, ſed ex voluntate Dei, caro factum eſt; ne„que alium quidem Jeſum ſuſpicemur fuiſſe, ſed „unum & eundem ſciremus Deum eſſe, hoc „ipſum interpretatus eſt *Paulus*, ſcribens ad Ro„manos: *Paulus* Apoſtolus Jeſu Chriſti &c."

IV. Itaque, niſi plane fallor, *Irenæus* vult, a *Matthæo* non modo nativitatem *Jeſu*, ſed & Chriſti, narratam eſſe, ambasque adeo voces poſitas,

ſitas. Demonſtratumque, *Jeſum Chriſtum unum eundemque eſſe.* Parum autem veriſimile, in tanta concordia Codicum Græcorum, qui omnes utrumque nomen, Ἰησοῦς Χριστὸς, exhibent, aliam fuiſſe unius Codicis, quo *Irenæus* uſus eſt, conditionem.

V. Porro obſervandum cenſeo: Quanquam egregium teſtimonium *Irenæi*, de Spiritu Sancto auctore (vel, ſi mavis, *inſpiratore,*) eorum, quæ *Matthæus* ſcripſit, exceptione maius eſt; inde tamen minime ſequi, ea etiam, quæ *Matthæus*, ex aliorum ſermone ſcriptisve, libro ſuo inſeruit, ſacra omnia eſſe & erroris immunia; niſi quis *Caiphæ*, *Herodis*, Phariſæorum, &c, peſſima verba ſanctitatem nacta dicere velit. Itaque, ſi demonſtrari poterit, genealogiam, in libro *Matthæi* lectam, non eſſe ipſius Apoſtoli opus, ſed ab alio confectam, ſacro libro, volente hoc atque jubente Spiritu S. inſertam, nefas eſſet, *Irenæi* teſtimonio pro argumento uti velle, quo iſti genealogiæ auctoritas irrefragabilis concilietur.

VI. Alter locus, quem præmittendum cenſui a me dicendis, *Athanaſii* eſt, vel, quæ eruditorum virorum opinio eſt, *Maximi, Dialogo tertio de Trinitate, Tom. II Oper. Athanaſii p. m.* 233. Ibi *Macedonius*, quem auctor Dialogi cum orthodoxo diſputantem inducit, *eſtne*, inquit, *Jeſus ſpiritus filius?* ὁ υἱὸς οὖν ἐστὶν ὁ Ἰησοῦς τοῦ πνεύματος; cui orthodoxus reſpondet: *dixit* γένεσις, *non* γέννησις. *Probe attende; nonne res*

 diver-

diverſa dua ſunt? ἡ γένεσις εἶπεν, ὐχὶ ἡ γέννησις ἐννοεῖ, ὐχὶ δύο; Mens vetuſti doctoris hæc videtur: γένεσιν, qua voce *creationem*, ſive *factionem*, ſi ita loqui liceat, intelligit, Spiritui ſancto, quando de Chriſti humana natura ſermo eſt, tribui poſſe; paratam enim eam *humanitatem* à Spiritu ſancto; ſecutam vero eſſe γέννησιν, ſeu *nativitatem*, (hanc enim, non *generationem*, videtur intelligere,) diverſam adeo & diſtinguendam ab illa γενέσει.

VII. Non eſt mei officii, in præſenti excutere, quantum virium boni doctoris diſputationi adverſus *Macedonium* inſit. Hoc aio: vocularum γένεσις & γέννησις diſcrimen, ſi ſit aliquod, admodum exiguum eſſe; nam in Græca translatione Bibliorum, Ebraico משפחה, *miſchpachah*, non ſola vox γένεσις reſpondet, v. g. *Exod. VI, 24*, ſed & γέννησις *1 Chron. IV, 8*. Ceterum recte colligitur, ea ætate, qua Autor noſter ſcripſit, uſitatiorem ſaltem lectionem vocis γένεσις fuiſſe; non mirandum vero, hodie alteram vocem, γέννησις, frequentius legi, cum parum differant.

VIII. Γέννησις apud LXX, ſolo iſto loco, quem indicavi, *1 Chron. IV, 8*, atque haud ſatis ſcio, an in omnibus Codicibus, habetur. In N. T. præter noſtrum locum, ſemel, *Luc. I, 14*, ſignificatum, quem *Suidas* vocabulo imponit, τῆς τῶν ἀφροδισίων μίξεως, quoniam exempla nulla in medium produxit, in dubio relinquere licebit. Legaturne in externis Auctoribus, mihi non

non liquet. At, alteram vocem *γένεσις* crebro occurrere, novi, in *Ariſtotelis* libris *de generatione & corruptione*. Ibi potiſſimum in quæſtionibus, quando ſexus muliebris ad generandum aptus eſſe incipiat, fieri non poteſt, ut aliud hac voce intellexerit, quam quod hodie vocabulo *γέννησις* intellectum volunt. Idem *Ariſtoteles* in *Topicis Lib. VI Cap. 2* voce noſtra utitur, diſputans, an *γένεσις* recte definiatur *ἀγωγὴ εἰς οὐσίαν, deductio in eſſentiam.*

IX. Verum, *γένεσις*, an *γέννησις*, in *Matthæi* dicto legatur, parum referre arbitror, quemadmodum & litem Criticorum, utrum *γενόμενον*, an *γεννώμενον*, *Galat. IV, 4*, legendum ſit, interminabilem, haud maximi momenti eſſe exiſtimo, neque Arianis hic ſeri metive. Ceterum, aliam vocabuli ſignificationem hic eſſe, aliam initio *Capitis* vocum *βίβλος γενέσεως*, nemo temere mihi perſuadebit; maxime cum noſtra vox Ebraicæ תולדת, h. e. *genealogicæ tabulæ*, ſæpiſſime reſpondeat.

X. Nunc tempus eſt dicendi, quid mihi videatur. Videmus ſeriem majorum Chriſti a *Matthæo* in *commatibus* primis *Capitis* noſtri enarratam, quod cum certiſſime, volente & compellente ſanctiſſimo ſpiritu, factum ſit, dubitare tamen licebit de auctoritate & auctore tabulæ ipſius. Fateor, non factam ab Apoſtolo, ſed aliunde acceptam, gravibusque de cauſis inſertam eſſe libro, videri. Quodſi quis ex me quæſiverit, cui bono proſapiæ ab *Abrahamo*

ad *Joſephum* ductæ tabula ſit, cum ex *Joſepho* Chriſtus minime genitus ſit; reſpondeo, occupatam eſſe hanc ipſam quæſtionem ab *Matthæo* noſtro, *18 commate*. Hoc ſibi vult Apoſtolus vocabulo ὄυτως, oſtenditque, hoc, non alio, modo concinnatam tabulam ideo eſſe, quod admirabilis puer Jeſus non genitus quidem ab *Joſepho* ſit, virgine matre autem, monitu angeli, *Joſephi* domum ducta, pro *Joſephi* filio vulgo habitus; neque adeo mutatam eſſe tabulam, qua veriorem *Lucas Cap. III* exhibet.

XI. Quodſi hæc probe attendamus, fructum habebimus duplicem. Initio voculæ γὰρ ante vocem μνηςευθείσης ſignificatus nunc liquet. Deinde, nulla nos ſollicitudo anget, de cauſa omiſſorum Regum trium *commate 8*; ad nos enim nihil attinet, a *Joſepho*, aliisve, quorum intererat præcipuos proſapiæ ſuæ auctores ter quaternis denis nominibus comprehendi, memoriæque imprimi, tabulam hoc potiſſimum modo factam ſervatamque eſſe.

XII. Atque ita lites omnesque ſalebras, quæ ſuperioribus, noſtroque ſeculo, inſuperabiles viſæ ſunt, tolli & evaneſcere poſſe, arbitror. Si quem vero voculæ ὄυτως ἦν offendant, videre iubeo *Matth. XXIV, 39, Luc XV, 7*, &c.

II.

II.

PETRI ZORNII DISSERTATIO POSTHVMA DE THESAVRO ABDITO IN AGRO, ad *Matth. XI, 44.*

I.

Hoc in loco vocis *Θησαυρὸς ſingularis* admodum *notio* eſt. Deſignat enim *horreum* & *granarium. Stephanus* de Urbibus: Syaſſus Phrygiæ pagus, in quo Cimmerios reperiſſe aiunt *ἐν σιροῖς τεθησαυρισμένας μυριάδας πυρῶν tritici modiorum decem millia in ſiris recondita, quibus diu ſuſtentati fuerint. Heſychius: Σιροῖς, ὀρύγμασιν, ἐν οἷς κατετίθεντο τὰ σπέρματα:* ut paulo infra *σιροὺς* definit *τάφρους ἐσκεπασμένας*, lege *ἐσκεπασμένους.* Pro *σιρὸς* ſcribitur *σιῤῥὸς* a *Simplicio* & *Suïda.* An, inquit *Samuel Bochartus,* 1) deflexa eſt vox ex Ebræa אצר, *recondere,* unde אוצר, *otſar,* Chaldæi pro *horreo* ſæpe uſurpant. 2) Et LXX reddunt *τὴν οἰκίαν*

1) *Parte II Hierozoici Libro IV Capite XXII p. 595.*

2) *Geneſeos XLI, 56, Proverb. III, 10, Joel. I, 17.* In hoc ultimo loco LXX vertunt *ταυροὶ tauri,* ſed lectio ibidem vitioſa eſt; melior *θησαυροὶ,* judicio *Valentini Schindleri* in *Lexico Pentaglotto p. 114.*

ὑπόγαιον, domum ſubterraneam, ut nunc *Talmudicorum* teſtimonia, a *Chriſtiano Schoettgenio* collecta, 3) taceamus. Nimirum *σιρὸς proprie* eſt *ſubterranea granorum apotheca.* Varro: 4) *Quidam granaria habent ſub terris ſpeluncas, quas vocant σιρὸς.* De iisdem vide *Columellam*, 5) *Plinium*, 6) *Vitruvium*, 7) qui cum *Claudio Salmaſio* 8) *Varronem* videntur ſequi. *Curtius* quoque, 9) de Bactrianis agens; *Siros vocabant Barbari: quos ita ſolerter abſcondunt, ut, niſi qui defoderunt, invenire non poſſint. Hirtius* 10) huiusmodi ſubterraneos ſpecus

3) In *Horis Hebraicis & Talmudicis in univerſum Novum Teſtamentum p. 131:* Debarim rabba *Sect.* 3 *fol.* 253: בואו ושלו אוצרותיכם, *venite & ſumite frumentum veſtrum, quod apud me reconditum eſt.* Bava Bathra *fol.* 82. Rabbi Jehudah Sanctus פתח אוצריה, *aperuit theſauros ſuos, cum eſſet annonæ caritas.*

4) *Libro II Capite LVII.*

5) *Libro I Capite VI.*

6) *Libro XVIII Capite XXX.*

7) *Libro VI Capite VIII.*

8) In *Exercitationibus Plinianis in Solini Polyhiſtora p. 852*, ubi addit: *Cryptæ omnes & cryptoporticus fornice concamerabantur.*

9) *Libro VII.*

10) *De Bello Africano.*

ſpecus etiam in Africa deſcribit. *Eſt in Africa,* inquit, *conſuetudo incolarum, ut in agris & omnibus fere villis, ſub terra ſpecus, condendi frumenti gratia, clam habeant: atque id propter bella maxime, hoſtiumque ſubitum adventum, præparent.* Sed quo nomine *Libes* hos ſpecus appellaverint, non addit.

II. Quicquid eius rei erit, *iſtiusmodi ſubterranea granorum apotheca identidem apud Græcos ſcriptores* θησαυρὸς *appellatur. Ælianus,* 11) deſcribens varias *formicarum cryptas, in iisque varias earundem manſiones,* tertiam manſionem dicit eſſe, θησαυρὸν καὶ σιρὸν τοῖς ἠθροισμένοις σπέρμασι, *penu & ſirum, in quo congeſta grana recondantur.* Idem 12) de formicis: Imminente fame, mirum in modum ſunt laborioſæ πρὸς τὸ θησαυρίσαι, καὶ ἑαυτοῖς ἀποταμειώσασθαι τοὺς πυροὺς, καὶ τὰ λοιπὰ τῶν σπερμάτων, *ad comportandum victum, & reponendum ſibi frumentum, ac reliquos fructus.* Idem denique, 13) de urbe Syracuſanorum imperante *Dionyſio* juniore locutus, addit: τεθησαύριστο δὲ αὐτῇ καὶ σῖτος εἰς ἑκατὸν μεδίμνων μυριάδας, *reconditum etiam in ea erat frumentum usque ad centum medimnorum myriades.*

III.

11) *De animalibus Libro VI Capite XLIII.*

12) *Variæ Hiſtoriæ Libro I Capite XII.*

13) *Variæ Hiſtoriæ Libro VI Capite XII.*

III. Quæſitum autem eſt, an iſtiusmodi *θησαυροὶ* fuerint *Pyramides Ægyptiorum.* Affirmant nonnulli, perſuaſi, dictas *Pyramidas* eſſe a *πυρὸς, triticum*, quia, cum Rex in eas frumentum congeſſiſſet, penuriam huius fecit in tota Ægypto. Docet id *Stephanus*, cui ſubſcribit *Gerardus Joannes Voſſius.* 14) *Videtur*, inquit, *hoc etymon præferendum, eo quod pyramis & πυρὸς conveniant prima ſyllaba modulo.* Poſt *Voſſium* audiamus *Stephanum Zamoſium:* 15) Pyramidem Ægyptiam non pro Regum eius gentis ſepulcris factam fuiſſe, ut Poetæ fabulati ſunt, ſed a *Joſepho Hebræo*, quo tempore ſeptennis illa caritas affligebat Ægyptum, exædificatam, putat *Nazianzenus*, ut *frumenti horrea* eſſent, quapropter & hodie vulgus ibidem *granaria Pharaonis* vocat. Atque ideo etiam Pyramides dicuntur, quod τȣ̃ πυρȣ̃, id eſt, tritici, fuiſſent conditoria, non autem ἀπὸ τȣ̃ πυρὸς, quod inſtar ignis in altum aſſurgerent, ut *Ammianus* & alii putarunt. Quin & ſacræ literæ teſtantur, pro reponendis frugibus fuiſſe *Pharaoni* thecas ingentes, ſeu granaria, condita. Id enim vel *Rabbini* intelligi volunt per urbes *Pithomet Raamſeo Exodi I*, ut ex primis harum vocum ſyllabis videatur Pyramidum quoque nomen, quo Græcia uſa poſtea eſt, coaluiſſe. Hæc ille; at

14) In *Etymologico Linguæ Latinæ.*

15) In *Analectis lapidum vetuſtorum & nonnullarum Antiquitatum in Dacia Capite IX p. 32.*

at vero, uti hæc ſententia merito rejicitur ab *Henrico Salmutho* 16) & *Georgio Fabricio*, 17) ita *verum etymon Pyramidum ex Ægyptiaca lingua repetendum* 18) falſitatem huius ſententiæ ſatis luculenter oſtendit.

IV. Ceterum, in Parabola illa *Hiſtoriam Waldenſium* adumbrari, perſuaſum eſt *Salomoni van Til.* 19) In præſenti ſatis erit, ſubiungere verba

16) In *Notis ad Guidonis Pancirolli Libros II rerum memorabilium, jam olim deperditarum, & contra recens atque ingenioſe inventarum, p. 191.*

17) In duobus Libris *de Roma, ex ære, marmoribus, membranisque veteribus, collectis, p. 201, eſt*, inquit, *Pyramis moles quadrata, quæ flammæ more elato ad ſublimitatem acuminando gracileſcit, a qua figura nomen traxiſſe judico.* Alii a genere lapidis Thebaici apud Ægyptios, quem πυροποικιλον vocant Græci, dictam autumant. *Stephanus* de Urbibus aliam rationem, fabulæ magis, quam vero, ſimilem, attulit, quam omitto.

18) Confer *Diſſertationem* noſtram *de* במות, *ſive Mauſoleis, veterum Ebræorum, nota XLV.*

19) In *Commentario in Evangelium Matthæi p. 532: Peter Waldus* von Lyon hat auf ſeiner Reiſe *nach dem Gebürge in Piemont*, nachdem er alda ankommen, *die verſteckte und verborgene Kirche Chriſti gefunden, und deren Bekænntnis angenommen.* Solchergeſtalt is der Zuſtand der Kirche unter der Erhebung des Antichriſts als verkrochen und

verba *Friderici Spanhemii:* 20) *Valdenſes*, vel *Vallenſes*, Seculo VII in *tractu Pedomontano*, ſeu *Inalpino*, profeſſos eſſe ſimplicitatem Evangelii, nulla a Papis dependentia, ex plurium teſtium fide referunt, qui horum res literis conſignarunt, & in his noſter *Legerus* in Hiſtoria Waldenſium 21). Videntur jam *in hac montana, ut ſecuri-*

und verborgen befunden, *alſo daſs man die wahre Gemeinſchaft der Heiligen in ihrer rechten Koſtbarkeit und Würde nirgends anderſt als in unzugænglichen Hügeln und ſehr tieff ausgeholten Hœhlen fände:* alwo ſie dannoch angetroffen, und zum groſſen Nutzen der Welt heimlich von ſolchen Mænnern, ſo die Wahrheit wieder an das Licht gebracht, und der Welt vorgetragen haben, genoſſen wurde.

20) In *brevi Introductione ad Hiſtoriam ſacram p.* 106.

21) Audiamus iterum *Spanhemium p.* 545: Sunt, qui ſic dictos contendant *pridem ante Petri Waldi* tempora a voce Italica *Valdeſi*, quaſi *Vallenſes*, habitantes in convallibus, generali deinceps futura hac appellatione, ut pluribus *Jo. Legerus* Hiſtoriæ ſuæ Gallicæ Libro I. Atque ita intelligitur, unde ſpeciale hoc *Valdenſium* nomen illis adhæſerit, qui *in Pedomontanis convallibus*, huiusque profeſſi puritatem Evangelii. *Unde etiam longe antiquiores hæ Eccleſiæ cenſeantur Petro* illo *Valdo*, Lugdunenſi, vel ex traditione *Reineri & Petri de Pilichdorf*, Scriptorum contra Waldenſes, & ex MSS. variis, quæ penes Vallenſes illos fuere.

ſecuritatis loca, ſeceſſiſſe plurimi Seculo V ex *vicinis Italiæ partibus*, dum *Gothorum*, vel *Hunnorum, barbariem* effugerent, ante ſtabilitas traditiones Papiſticas.

III.

J. C. HARENBERGII CONTINVATIO TERTIA SVPPLEMENTI IN HADRIANI RELANDI LIBRVM DE VRBIBVS ET VICIS PALÆSTINÆ.

Ogyges drys, vetuſta ilex, locus non procul ab Hebrone auſtrali. *Joſephus Ant. Jud. I, 10, §. 3, p. 33.*

Olan. *Alexander Jannaus*, Maccabæi ex genere ortus, qui Regem ſeſe appellavit, præverſurus Iudæorum defectionem, quos Phariſæi ſolicitaverant, copiis contractis oppugnavit urbem *Diam*, eamque cepit. Deinde caſtris motis *Haſmonam* obſeſſam expugnavit, cepit *Gaulam, Seleuciam, Gaſalam, Antiochi*que *collem*, ubi *Demetrium*, locorum principem, ditione exuit ac interfecit. Nec tamen evertit *Turrim Stratonis*, ad mare ſitam, *Apolloniam, Asdod, Gazam, Anthedona, Rephaim*, ſeu Raphiam, *Rhinocoruram, Hebrona, Mareſam*, ad Idumæos pertinentem, *Gadaram, Gaulanem, Seleuciam, Gabalam, Hesbona, Medabam, Bechuroth, Megan, Enzoram, & Colicos, & Olan*,

&

& *Pelan. Gorionides* hæc habet *IV*, 12, *p.* 295 *ſeq.* Gabalam vocavit Gamalam *Egeſippus B. Jud. I*, 12. *Joſephus* Græcus urbes illas ſic recenſuit: Ἐσσεβὼν, Μήδαβα, Λεμβᾶ, Ὤρωνας, Τελιθωνία, Ζαρᾶ, Κιλίκιον Αὐλῶνα, Πελλαν - - Vide eius *Ant. Jud. XIII*, 15, §. 4, *p.* 675. ed. *Havercamp. Joſephus* haſce urbes vocavit Moabitidas, rectius fortaſſe Moabitidos. *Gorionides* ac *Rufinus* diſtinguunt Olanam a Colico, ſeu Cilicio. *Rufinus* habet *Cilicum, Aulonem.* Kegila, ſeu קְעִיל, urbs tribus Iudæ, vocatur alibi a Ioſepho *Killa*; incolas vero Killæ idem appellavit *Killitas VI*, 13, §. 1. At hoc loco *Joſephus* exponit de urbibus transiordanicis, ac Moabitidi olim annumeratis. Ex Killa igitur & Killitis nulla hic lux ſperari poteſt. Hæret hic nobis aqua. *Pelan* eſt Pella. Lemban *Gorionides* vocavit cum Oronis *Bechuroth, Megan.* Lemba videtur transluсere ex Megan, & Orona ex Bechuroth. Enzora *Gorionidæ* conflata eſt ex Telithone & Zara. Facile hinc eſt intellectu, locum perquam depravatum eſſe. Lemba videtur eſſe vel Laban, vel Livias. Livias enim olim dicta fuit *Beth-Haran Joſ. XIII*, 27, *Num. XXXII*, 36. Syri eam vocarunt Bethramphtham. *Joſephus* appellavit Iuliada & Liviada. *Herodes* eam hoc nomine in honorem *Julii Cæſaris* ac *Liviæ* impertierat. Vocata fuit eadem Betharamathon & Amatha, Ramoth, Amathus. Bechuroth itaque ex Beth-Haran extitit.

ſtitit. Megan vero ex *Lemban* ortum eſt. *Colicos* poſitum credo pro Kilkol, vel Kilkal, Kilkal enim erat locus transiordanicus, qui fabas dabat quadratas, teſte R. *Obadia Bartenorio* ad librum Miſchnicum *Maaſeroth V*, 8, p. 261. *Alexander Jannaeus* dicitur XII urbes Arabibus abſtuliſſe. Has promiſit *Hyrcanus* ſeſe *Areta* redditurum, ſimul ac in regnum reductus eſſet, teſte *Joſepho XIV*. 1, §. 4, p. 684. Erant autem illæ *Medaba*, *Naballo*, *Livias*, *Tharabaſa*, *Agalla*, *Athone*, *Zoara*, *Orona*, *Mariſſa*, *Rydda*, *Lyſſa*, *Oryba*. Thelithon hic appellatur Athone, ni Thelithon coaluit ex Agalla & Athone. Zoara ſupra vocabatur *Enzora* & *Zara*. Quid vero de Naballo, de Rydda, de Lyſſa, & Oryba, fiet? Naballo ac Lemba nullo in diſcrimine ſunt ponendæ. Livias & Beth-Haran ac Bechuroth, ſeu Bethhuro, non differunt. Rydda videtur ex Pella fuiſſe deformata. Lyſſa eſt Luith, ſeu Eluſa, Moabitarum. Rydda eſt *Raſa* in media Idumæa ſecundum tabulam *Peutingerianam*. Oryba autem videtur in Olan latere. *Aulon* enim eſt Eleale in campeſtri verſus mare Sodomiticum tractu. Tractus hic vocatur alibi *Arabbah*, i. e. locus variis fruticetis obſitus. Mare adiectum aſphaltites pariter inde dictum fuit *mare Arabba*. El, Elon, Ale, αὐλὼν, locum denotant campeſtrem, longius porrectum, ac in modum vallis procurrentem. Micare hic in tenebris debui. Qui accuratiora novit, eum, ut *Joſepho* utrique lucem & ſuppetias

petias afferat, volumus rogatum & obſecratum. Exiſtit præterea locus *Olam*, unde ad urbem Schur usque incoluerunt Ierahmeelitæ ac Kinæi. Fit eius mentio *1 Sam. XXVII, 8.* Schur eſt Oſtracinon, ad magnum mare ſitum, qua itur inde a Gaza ad littus in Ægyptum. Kinæi in auſtrali tribus Iudæ parte incoluerunt tractum quendam ad oram usque maris ſalſi, ſeu mortui. Videtur ſubeſſe locus *Elim*, haud procul lacu Sirbonide verſus auſtrum ortivum ſitus. Nolim ad Ailam, vel Elanam, usque in meridianam decurrere plagam. Erat in Idumæa vicus *Alura*, ſeu *Alurus*, teſte *Joſepho de B. I. IV, 9, §. 6, p. 303.* Idumæa autem tempore *Joſephi* Chebronem quoque, tribui Iuda olim annumeratam, complectebatur. In Alura coiverat Idumæorum exercitus. At incertus eſt loci ſitus. Et neſcimus eius originem. Nolim itaque Aluram & Olam pro eodem habere loco. Laura eſt cella, ſeu domicilium exiguum. Alura & Laura ad eandem videntur ſpectare originationem. Multa hic usquequaque obſcuritas dominatur & caligo.

On. Ægyptii ſic ſolem appellarunt; Palæſtini vero & Syri eum vocarunt *Aven.* Vide ſupra *Aven* & *Bikat Aven.* Græci urbem Ægypti, *On*, vocarunt *Heliopolin.* In hac *Joſephus*, prorex Ægypti, degit. *Pharao* conceſſit *Iacobo*, cum liberis ſuis Heliopolin habitare, ubi paſtores Regis ſuis ſtuduerint paſcendis gregibus, teſte *Joſepho Ant. Jud. II, 7, §. 6, p. 95.* Ipſe autem hic Auctor magnopere ſe fefellit,

ratus, regionem Goſchen circa Heliopolin exſtitiſſe. Goſenitis ad Heracleopolin parvam & Patumon ad orientalem alvei Bubaſtici ripam eminuit. *Onias* Judæus ad Regem Ægypti *Ptolemæum* & uxorem eius *Cleopatram* fugit. Ab utroque exceptus honorifice, impetravit ab eis in regione Heliopolitana, ut templum Hieroſolymitano ſimile conſtrueret. *Joſephum* denuo citamus ad teſtimonium, *Ant. Jud. XII, 9, §. 7, p. 623 ſeq. Flavius Veſpaſianus* templum hoc haud ſecus ac Hieroſolymitanum dirui exſcindique iuſſit. Exſtat B. *Theodori Diſſertatio de Templo Oniæ Heliopolitano*, Bremæ A. 1730 publicata. Circa *Oniæ* templum olim tot Judæi ſedes habebant, ut adiecta regio vocaretur *Oniæ regio*, teſte *Joſepho Ant. Jud. XIV, 8, §. 1, p. 696, de B. J. I, 9, §. 4, p. 74*. Erat in ea regione locus, qui *Judæorum caſtra*, Ἰουδαίων ϛρατόπεδον, appellatur. *Joſephus* loco poſteriori laudato id ipſum indicavit. Regio autem illa *Oniæ* a Memphi urbe diſtabat 180 ſtadiis, auctore *Joſepho*, templi Heliopolitani exſtructi teſte, *de Bello Jud. VII, 10, §. 3, p. 434*. De reliquo *Ezechiel* urbis *On* meminit *XXX, 17*.

Ophir, *Uphas*, regio & fortaſſe eius urbs primaria antiquiſſima, arena auri, e fluminibus collecti, dives ac affluens. Iberiam, inter maria, Euximum & Caſpium, olim ſitam, norunt eruditi univerſi. Regio Africæ, cui nunc nomen eſt Zang-ebar, olim dicta fuit *Barbaria*.

O Hiſpa-

Hiſpaniam, montibus Pirenæis adiacentem, *Iberiam* dictam fuiſſe, æque ſatis ſuperque conſtat. Ultimam eſſe eam, in quam Tyriorum & *Salomonis* naves miſſæ ſunt, argumentis probabiliſſimis comprobatum ivit B. *Joannes Oldermannus*, Profeſſor linguæ Græcæ Helmſtadienſis, Diſſertationibus duabus. Prior exiit in lucem A. 1714, 4, inſcripta *de Regione Ophir, qua ſententias aliorum potiſſimum examinat.* Poſterior eodem anno publicata fuit, hoc titulo inſtructa: *Diſſertatio philologica, Ophir & Tarſchiſch Iberiam atque Tarteſſum eſſe, demonſtrans. Rufus Feſtus Avienus* in *Ora maritima v. 248 ſeq.* hæc tradidit: *Iberus inde manat amnis, & locos fœcundat unda. Plurimi ex ipſo dictos ferunt Iberos. Non ab illo flumine, quod inquietos Vaſconas prælabitur. Nam, quicquid amni gentis huius adiacet, occiduum ad axem Iberiam cognominant.* Et idem *v. 244* paullo ante: - - *Quin & Herbi civitas ſtetiſſe fertur his locis prima die. Quæ, præliorum abſumta tempeſtatibus, famam atque nomen ſola liquit ceſpiti.* Liberos illuſtrium Iberorum divites, ad Occidentem habitantes, meminit *Dionyſius Periegetes v. 561 ſeq.* Duas fuiſſe Iberias, unam ad Iberum in Hiſpania, auctor quoque eſt *Conſtantinus Porphyrogennetus κατὰ διόρθωσιν p. 40 Vol. IV Hudſoni.* Vir Cel. *Antonius Julius van der Hardt* edidit Helmſtadii A. 1746, 4, *Diſſertationem, qua demonſtratur, regionem*

nem Ophir, quorſum Salomo claſſem miſit, eſſe Phrygiam. Per Tarſchiſch idem deſignari credidit urbem Sardes. Non eſt noſtrum, ſententiis iſtis diiudicandis iam operam navare.

Oreb, Orebita. *Hermannus van der Hardt* in ſcripto, in Gallicum per Lectorem linguæ Gallicæ Helmſtadienſem, *Laurençon*, iuſſu ipſius, converſo, cui titulus *Corbeaux d' Elie*, contendit, *Orebhim*, quorum 1 *Reg. XVII*, 4, 5, fit mentio, fuiſſe non corvos, ſed cives urbis Orbo. Corvos deſignari, exiſtimant Iudæi, Chaldæus interpres, Græcus Alexandrinus, Auctor Iudaicæ translationis Germanicæ, *Joſephus*, R. *Nehemia*, *Gerſonides*, *Abarbanel*, *Salomo ben Melech*, *Abendana*, *Kimchi*, aliique. In *Breſchith rabba* inducuntur duo Rabbini, de voce Orebhim diſputantes, quorum unus, Rabbi *Iuda*, contendit, eos fuiſſe incolas urbis *Orbo* in tractu Bethſchani, ſeu Scythopoleos. At additur, R. *Nehemiam* ei reclamaſſe, ac intelligendos cenſuiſſe veros & genuinos corvos. In Tr. *Cholin Cap.* 1 *f.* 5 legitur relatum, Orebhim fuiſſe homines ex petra *Orebh*. Num vero hæc petra fuit urbs, ac incolis gaviſa fuit? In Scythopolitano tractu haud inventus fuit locus Orbo. *Joannes Lightfootus in Marcum p.* 570 ſententiam R. *Juda* appellavit *nugax ſomnium*. *Samuel Bochartus* ſubiecit: *Facile eſt docere, hæc interpretamenta nihil habere ſani.* Orebhim erant prope torrentem Krith. Hic vero in tribus Ephraim præſto fuit, ac Iordanem influxit.

Bethſan inde admodum longe diſtabat verſus ſeptentriones. Solide everterunt opinionem *Hardtii* B. *Brandanus Henricus Gebhardi*, Th. D. & Profeſſ. Gryphiswaldienſis, in *Diſſ. de Orebbim, Eliæ nutritoribus, 1 Reg. XVII, 4, 6, naturalesne corvi, an homines, intelligantur*, edita Gryphiswaldiæ A. 1707, ibique recuſa A. 1719, ac *Relandus* hoc loco.

Orinthonpolis. *Scylax* in *Periplo* eam vocat *Sidoniorum*, eique ſubiungit Saram, ac deinde Tyrum. *Strabo* Sidoni ac Tyro interponit *Ornithon polin* dictam, πολίχνιον, *oppidulum.* Locus in hiſtoria *Salomonis* vocatur *Ezeon geber*. Geber enim, גבר, denotat gallum æque ac ὄρνις. Vir Clar. *Antonius Iulius van der Hardt* in *Diſſ. III philologica in Pirke Avoth I, 4, de Sarepta*, Vitebergæ A. 1728, Præſide *Ernesto Friderico Cobio*, diſquiſitioni publicæ commiſſa, locum *Haramah, Jo. XIX, 28*, memoratum, exiſtimat Ornithonpolin eſſe, *p. 8.* Rationem, cur vir laudatiſſimus ſic ſenſerit, mihi haud licet expiſcari. Rabbini locum vocarunt *Tarnegola*, reſpicientes ad nomen Tarnegol & Tarnegolah, quod gallum ac gallinam deſignat. *Tarnegolim* dicti ſunt Ornithonpoleos incolæ. *Thrumoth II, 9.* Gabaram Galilææ in Ornithonpolin commutare haud licet. Illa enim a Iotapata abfuit duntaxat 40 ſtadiis, hoc eſt, unico milliari Germanico, teſte *Joſepho* in *Vita ſua* §. 45 *p. 1017.* Ita *Relandus* in *Gabara*. Dum vero

Jo-

Joſephum evolvo, Soganam vicum a Gabaris viginti ſtadiis diſtantem deprehendo §. 51 p. 52 T. II *Havercamp*. Sogane eſt Cana, vicus prope Capernaum in Galilæa. Sepphoritas, Gabarenos, ac Tiberienſes, haud admodum disiunctos egiſſe, liquet ex eodem *Joſepho* §. 40 p. 19. Non inficior, Chabolon, ſeu Gabalám, nonnunquam per librariorum nævos dici Gabaram. At ne ſic quidem Gabara dici poteſt eadem ac Ornithonpolis. Chabolo enim erat vicus in Ptolemaidis confiniis ſitus, auctore eodem *Joſepho* §. 43 p. 20. *Joannis* igitur *Lightfootii* coniectura, qui, Gabaram & Ornithonpolin fuiſſe locum eundem, ſuſpicatus fuerat, minus firmo ſtat talo.

Ormiza, *Ormixa*, vicus, ſitus fuit ad orientem Pereæ, niſi intra eandem. Sin vero ad *Joſephi* ætatem reſpicimus, Canatha urbs, cuius fit mentio *Num.* XXXII, 42, & quæ in confiniis Ammonitarum ac Manaſſitidis ulterioris erat ſita, pars erat Cœles Syriæ. *Herodes* prope Canatha in Arabas expeditionem adornavit. Ipſi vero, dum in hos invehitur, ab indigenis Canathorum, ab *Athenione* immiſſis, inſidiæ ſtruuntur. Hic enim, unus e *Cleopatræ* ducibus, ſemper ei fuerat inimicus. Hiſce indigenis incurſionem tentantibus, Arabes Herodianorum, ad loca petroſa & difficilia refugientium, ſtragem magnam ediderunt, Herodiani vero, qui evaſerant, in vicum Ormiza ſe receperunt. Hæc *Joſephus de B. J.* I, 19, §. 2, p. 100 T. II *Havercamp*. Hinc intelli-

telligere licet, Ormizam haud multum a Canathis verſus occaſum, vel auſtrum, abfuiſſe.

Orona. Has *Hermannus van der Hardt* in *Baal Apolline p. 4* exiſtimat eſſe Bethennabrin, ſeu Ephronem, ad Iabocum iuxta Iordanem ſupra Socot ſitam. Tempore Maccabæorum Oronæ erant ditionis reguli Arabum, teſte *Ioſepho A. Jud. XIV, 1, §. 4, p. 684*. Antea eas tenuerant Moabitæ. Et hanc ob cauſam ipſæ adiiciuntur in recenſu urbibus reliquis, dictis *Moabiticis, XIII, 15, §. 4, p. 675*. Nulla autem urbium, ab Arabibus tunc poſſeſſarum, ad Jabocum usque fuit ſita. *Medaba* fere erat ea, quæ maxime omnium ad ſeptentriones receſſerat. *Choronaim*, ſeu *Hboronaim*, ab Oronis haud diſcrepavit. Exitium ei prædixit urbi *Jeremias XLVIII, 5*. *Euſebius* ac *Hieronymus* ad hunc *Ieremiæ* locum reſpexerunt, Oronaim fuiſſe Moabitidis urbem affirmarunt, ac addiderunt præterea nihil.

Oronnæ area, locus Hieroſolymis, quem *David* ab *Oronna* Iebuſæo emit, ac ara exſtructa decoravit. *Salomo* locum templo magnificentiſſimo applicuit. Fallitur vero *Joſephus Ant. Jud. VII, 13, §. 4, p. 404*, ratus, *Abrahamum* eo in loco *Iſaacum* filium ſacro faciendo obtuliſſe. Immolare enim voluit *Abrahamus* filium ſuum in *terra Moriah*, non in *monte Moriah*. Regiuncula *Moriah* ad Elon *Moreh*, vel Mamreh, ad planitiem vallis prope Sichem eſt quærenda. Intervallum itineris Abrahamitici, diebus computatum, huic ſenten-

ten-

tentiæ ita favet, ut illam, *Joſepho* probatam, evertat. *Abrahamus* enim, ex loco Beerſeba veteri, Philiſtæis obnoxia, profectus, proſpexit eminus die tertio locum montemque terræ Moriæ, ubi *Iſaacum* unigenam erat immolaturus, *Gen. XXII, 2-4.* Ex quo Iſraelitæ a Iudæis ſeceſſionem fecerant, Iudæi noluerunt decem tribubus ullam prærogativam vel loci, vel ſacrorum, aſſignatam, id potius ſtudentes, ut mons terræ, ſeu regionis, Moriæ, ubi *dominus ſuis providerat*, Hieroſolymis vindicaretur.

Orthoſia, Orthoſis, Orthoſias, Arthuſia, urbs Phœnices Tripolin inter ac Simyram ad mare mediterraneum. Orthoſia dicitur a *Plinio* ac *Ptolemaeo*, Orthoſias a *Strabone*, Orthoſis a *Dionyſio Perieg. v. 914*, Arthuſia a *Wilhelmo Tyrio XIII, 2.* In *Epitome Clementina de Geſtis S. Petri Cap. 70 p. 769 Tom. I Coteleris* Tripolin inter ac Antiochiam ponitur.

Orton locus effictus fuit ex vitioſo *Joſephi* loco, in quo olim jam *Iardan* lectum eſt, ubi legendum erat *Neára.* *Joſephus* exponit fines Iudææ regionis, *de Bell. Jud. III, 3, §. 5, p. 224,* exorſus a confinio Samariæ, hunc in modum: *In utriusque confinio eſt Anuath vicus, qui alias Borkeos dicitur. Terminus ille Judaeae verſus ſeptentrionem. Meridiana vero pars ejus, ſi in longitudinem metiaris eam, finem habet vicum Arabibus conterminum, quem iſthic Judaei Jardan appellant.* *Rufini* tranſlatio habet: *a vico, cui nomen eſt Jordane.*

Pſeudo-*Hegeſippus*, locum *Joſephi* Latine redditurus, ſcripſit: *cui nomen Jordani.* Voluit *Joſephus* indicare, quousque Iudæa in meridiem decurreret. Primordia igitur cepit a ſeptentrionali loco, ad Iordanem ſito, niſi magnopere fallor. Omiſit vero terminum ultimum auſtralem, vel hæc chorographiæ pars ex eius libris paullo poſt, quam ſcripti erant, excidit. Nonne meridianas Iudææ partes tunc Idumæi tenebant? Ex Chryſococca intelligitur facillime, locum *Orton* uno latitudinis gradu Hieroſolymis remotius verſus meridiem locandum eſſe. Ex ejus ſcilicet ſententia. Perſuaſiſſe enim ſibi videtur vir ille bonus, a *Joſepho* terminum Iudææ auſtralem extimum fuiſſe deſignatum. At ubinam in Arabia Petræa, vel Idumæa, viſitur, vel inveniri poterit, locus *Orton?* Inſedit aliud ibi mendum *Joſepho.* Legitur ibi enim hoc: *Longitudo eius a vico, cui nomen Arpha, usque ad Jullada protenditur.* De quanam regione hic eſt ſermo? De ea, quam paullo ante ſic deſcripſit: *Iſta autem regio incipiens a monte Libano & Jordanis fontibus usque ad lacum Tiberiadem latitudine panditur.* Sic habet translatio Latina, cui Græcum fere reſpondet. Excidit hic nomen *Peræa.* Illud *μέχρι τῆς Τιβεριάδος λίμνης εὐρύνεται* partim eſt mendoſum, partim minus recte in Latinum traductum. Ab Antilibano, qui hic dicitur Libanus, usque ad lacum aſphaltiten patebat Peræa. Latitudo a Iordane erat de-

finien-

ſinienda progrediendo verſus Orientem. Verum hæc excidit, & non niſi vocula ἐυρύνεται, latitudinis geographicæ ſignum, reſtat. Vicus Arpha proinde ad Antilibanum eſt quærendus. Ab eo remotiſſima in auſtrum fuit ac ultima urbs *Julias*, alias dicta *Livias*, *Beth-ramphtha*, &c. Talmudici Peræam vocant עבר הירדן, *transiordanicam*, in *Baba batra III, 2*, & *Ketuvoth VIII, 10*. E loco poſteriori diluceet, juris Iudaici fuiſſe regiones haſce tres, Iudæam, Galilæam, & Peræam. Samaria enim Samaritis erat paſſim referta, quos Talmudici *Cuthæos* appellant. Luculente rurſus hæc traduntur in *Schevìith IX, 2, p. 189 P. I. Miſchn. Surenhuſ.*: *Terra Iſraelis trifariam dividitur, in Judæam, Peræam* (עבר הירדן), *& Galilæam.*

Orybe erat una XII urbium, quas *Alexander Jannæus Aretæ*, Arabum regulo, eripuerat, & quas *Hyrcanus* redditurum ſeſe *Aretæ* promittebat, ſimul ac in regnum Iudææ eſſet reductus, teſte *Joſepho Ant. Jud. XIV, 1, §. 4, p. 684*. Si Orphas, vel Arphâs, fuit in Orientem reſpectu Iuliadis reducta, ea hic in cenſum venire poteſt. Tunc vero deſignatum fuit fortaſſis *Clima Orientalium & Occidentalium.*

Oſtracinon, Schur, Iares, Lares, Ares, dictum, *Joſephi* Oſtracine. In *Itinerario*, quod vulgo *Antonini* dicitur, ab Oſtracine ad Peluſium ſunt ſexaginta ſex paſſuum millia. *Plinius* habet *V, 12*, ſexaginta quinque. Ipſe ſic habet: *Ca-*

ſinus mons, delubrum Jovis Caſii, tumulus Magni Pompeii. Oſtracine Arabia finitur, a Peluſio LXV millibus paſſuum. Oſtracina Caſio abfuit XXVI millibus paſſuum, teſte *Itinerario Antonini*, totidemque millibus paſſuum abfuit Rhinocoruræ, utrique loco interjecta. *Joſephus* a) de *Titi* itinere: *Ad Jovis Caſii templum caſtra poſuit. Poſtera die juxta Oſtracinen. Quæ manſio erat aqua inops. Aquis autem aliunde invectis utuntur indigenæ. Deinde apud Rhinocorura ἀναπαύεται, requieſcitur. Atque illinc Raphiam progreſſus, manſionem quartam (eſt autem urbs illa Syriæ prima,) capit. Caſtra quinta Gazæ ponit. Et poſtea Aſcalonem, hinc Jamniam, deinde Joppen, & ex Joppe Cæſaream, pervenit.* Aquæ erat inopia Oſtracinenſibus; teſte etiam *Gregorio Nazianzeno Ep. 46.* Sal Oſtracinenſe Judæis Talmudicis notum, מלח אסתרקנית. *Ammianus Marcellinus XXII, 16*, urbes provinciæ Auguſtamnicæ ita enumerat: *In Auguſtamnica Peluſium eſt oppidum nobile, & Caſium, ubi Pompeii ſepulcrum eſt Magni, & Oſtracine, & Rhinocolura. Martinus a Baumgarten Itin. II, 2*, Oſtracinen vocat *Laritſch*, *Wilhelmus Tyrius XXI, 20, Laris*, *Thevenoth Itin. Orient. P. I L. II, 35*, more Gallico *Riche.* Proprium loco nomen eſt *Ariſch*, & cum articulo Arabico El-Ariſch, ut eſt apud *Edriſium*, vulgo Geographum Nubienſem, *Clim. 3 part. 3*, ac *Abulfedam* in *De-*

a) *De Bello Iud. IV, 11, §. 5, p. 313.*

Deſcriptione Aegypti. Petrus della Valle ſcribit *Ariſe*, Sandys *Aris*, Troilo *Ariz*. Qui ad articulum Arabicum haud attenderunt, locum vocarunt *Laris* & *Lariſſam*. Ne vero dubitemus, Oſtracinen & Ariſch eſſe locum eundem, varia efficiunt argumenta. *Hieronymus* luculente b) ſignificat, *Ares* urbem eſſe Oſtracinen. En ejus verba: *Alii Ares, id eſt, Oſtracon, (hoc eſt, teſtam,) urbem Oſtracinam intelligi volunt, & ceteras iuxta Rhinocuram & Caſium, civitates.* Eſt ibi apud *Jeſaiam* nomen urbis Heres, quam Græci *Kerkaſoron* & *Kerkaſuran* vocant. Iuxta eam Nilus in diverſos diffunditur alveos, verſus Peluſium divergens ac Canobum, teſte *Herodoto II, 15*. Ipſa erat olim in præfectura Libyca iuxta Eudoxi ſpeculas, auctore *Strabone Lib. XVII p. 555.* Vocatur ipſa *Kir Eſ. XXII, 5*, *Amos IX, 7*, ac *Ir-baheres Jeſ. XIX, 18.* Præfectura illa Libyæ appellata fuit alias nomos Memphiticus. *Ker*, *Kir*, denotat urbem, haud ſecus ac Ir. Ares, Aris, Heres, ſignificat *fluvii ripam*. Arabes eam vocant أريس, *Aras*, c) cum Perſis. Aegyptii vocem hanc pronuntiarunt *kaſur*, unde Arabes *herbam littoralem* appellant *kaſurah*. *Hieronymus* luculente indicat, Oſtracinam ætatis ſuæ tempore vocatam fuiſſe *Ares*, licet in eis, quæ adiecit, a vero aberraverit. Alterum argu-

b) *Comment. in Jeſ. XIX, 18.*

c) *Jacobus Golius* in *Lexico Arabico-Latino p. 69.*

argumentum eſt, quod prope Oſtracinen lacus Sirbonidis fuerit olim inter montem Caſium & Oſtracinen emerſus, ſeu eruptio, ſeu torrens, Aegypti, quem *Num. XXXIV, 5,* metaphraſtes Arabicus appellavit وادى العريش, *Wadi-el-Ariſch.* Wadi autem eſt *fluvius,* unde *Wad-alkabir*, Bætis Hiſpaniæ, à Saracenis appellatus fuit Guadalquivir, ſeu *fluvius magnus.* Aegypti terminus exſtitit ad Orientem montis templique Caſii, ac Ecregma, ſeu emerſum, lacus Sirbonidis. Aegyptios ad mare incolere *intra Serbonidem lacum,* ἔσω Σερβωνίδος ἄλμης, perhibet *Dionyſius* in *Perieget. v. 253.* Præter emerſum illius lacus ſicca, arida, & deſerta, ibi erant omnia, teſte *Plutarcho* in *Vita M. Antonii p. 916.* Mons Caſſius, teſte *Herodoto II, 158*, Aegyptum ac Syriam diſterminabat. *Brocardus Argentinenſis*, Seculi XIII ſcriptor: *Deſertum Suriæ eſt poſt civitatem Gazam, & illud deſertum continet quinque diætas* (manſiones). *Et omnes viæ in tali deſerto ſunt æquales - - deſertum vocatur albeleth*, i. e. ſabuloſum. Conſentit *Joſephus.* Conſonat *Joſepho* aliisque *Strabo L. XVI p. 759, 760*: *Quæ Gazam ſequitur regio, ſterilis eſt & arenoſa. Magis etiam, quae inde inter Sirbonidem lacum & mare æqualibus diſtat intervallis, parvum quendam tranſitum in medio occupans, ad locum usque, cui ab eruptione Ecregma nomen, longitudo eſt CC fere ſtadiorum, maxi-*

ma

ana latitudo L. Eruptio συγκέχωσται, obturata eſt. Sequitur regio usque ad Caſium, atque inde Peluſium. Nihil fluviorum, nihil amnium, in regione illa univerſa eſt, niſi in illo emerſu, ſeu ecregmate, quod aggeribus utrinque fuit munitum ac concluſum, ac ponte commiſſum. Hic ſignificatus ineſt voci *συγκεχῶσθαι*. Ab illo ecregmate ad mare ſinus Arabici computatur iſthmus, teſte *Herodoto II, 158*, teſte *Marciano Heracleota* in *Periplo p. 8*, teſte *Agathemere de Geogr. I, 2. p. 50*. Ecregma *Plinius* vocat *emerſum V, 13*. Emerſus ille lacus Sirbonis eſt Ægypti terminus, & *flumen ante Ægyptum. Num. XXXIV, 5, Joſ. XIII, 3, Gen. XV, 18, 19, 2 Chron. VII, 8, 1 Reg. VIII, 65*. Hæ ſunt illæ *Eratoſthenis* eruptiones, *ποταμοὶ, λίμναι, καὶ βάραθρα*, apud *Strabonem L. XVI p. 741*, circa Rhinocolura & montem Caſium. Conſentit mecum fere Vir Cel. Conradus *Ikenius* in *Diſſ. de Finibus terræ promiſſæ, huiusque ſucceſſiva occupatione*, Bremæ A. 1745 publice excuſſa & ventilata, excepto, quod ipſe prope Rhinocorura alveum Schihhor, ſeu flumen ante Aegyptum, figit, ad quam urbem proxime ego nullum detegere potui fluvium, niſi lacum Sirbonidem, circa montem Caſium prope Oſtracinen mari ſe committentem emerſus interventu. Secutus ſui Virum laudatiſſimum ſupra in *Iares*, re nondum iterum iterumque penſitata. Copioſius omnem

hanc

hanc cauſam geographicam peroravi ad Num. *XXXIII* in *M. Joannis Chriſtiani Mehlhornii Gründlicher Erklarung der heil. Schrifft altes Teſtaments Vol. V p. 1474 ſeq.* Civitas *Iaris* loco *Laris* legitur in *Brocardi Itin. ſacr. Scriptura* apud *Joannem Clericum* ſub calcem Onomaſtici *Euſebiani Cap. 12*, ubi ſignificatur, flumen per deſerta iuxta civitatem Iaris mare ingredi, ac fluvium illum vocari *fluvium Aegypti*, *Amoſ. VIII, 8.* Adde *Joſ. XXVII, 12.* Oſtracinen recentiores vocant d) *Stragieni.*

Othnai, pagus, memoratur in *Gittin I, 5.* Adiicitur ibidem, libellum divortii coniugalis inde ad *Rabbanem Gamalielem* fuiſſe allatum cum teſtibus Cuthæis. Unde probabile eſt, pagum illum Samariæ fuiſſe partem.

Oulatha. Locus hic ditioni inerat *Zenodori*, cuius regio erat Trachonem inter & Galilæam poſita. In ea eminebant Ulatha & Paneas ac ager finitimus. Regionem hanc *Cæſar Herodi Magno* contribuit. *Joſephus Ant. Jud. XV, 10, §. 3, p. 775.* Locus denuo memoratur *XVII, 2, §. 1, p. 829*, unde pateſcit, locum fuiſſe in Batanæa ſitum, vel ei proxime adiacuiſſe.

P.

Baddan. Inde dicta fuit regio Paddan-Aram, ſeu Aram-paddan, alias dicta Aram-naharaim, id eſt, Bachan, ſeu Batanæa. Locus alibi vocatur *Bachan*, *Vatanis*, *Batanea.* Excute hæc ipſa

d) *Notitia Patriarch. Alexandr.* in *Geographia Caroli a S. Paulo p. 219.*

ipſa nomina. Batanea Trachonitin inter & Galilæam erat ſita. Confer teſtimonia *Joſephi* ad *Oudatha*.

Palæſtinus dicitur non ſolum ille, qui in Palæſtina vel natus, vel diu verſatus, fuit, ſed etiam qui ſpectat ad Palæſten, portum Epiri prope Oricum & Ceraunios montes, de quo *Cæſar* eſt conſulendus *Civ. Bel. III, 6. Lucanus* de claſſe *Cæſaris V v. 459*:

- - qua jam vento fluctuque ſecundo
Lapſa Palæſtinas uncis confixit arenas.

Palætyrus. Scylax in *Periplo p. 42 Vol. I Hudſoni: Palætyrus urbs, quam fluvius mediam perlabitur.* - Fluvium illum *Joſua* vocavit חוסה, *Hhoſah*. Recentiores vocant Caſmié, Caſemich, ac nonnulli per errorem quoque Eleutherum, qui Sareptam inter & Tyrum in mare decurrit. At hic deſignatur exiguus. *Herculis* ibi erat templum. *Curtius IV, 2, §. 4.* Hic olim habitaverant Tyrii intra continentem, deinde, urgente belli neceſſitate, transtulerant maxima pars domicilia in inſulam, ibique Tyrum condiderant recentiorem, poſtea florentiſſimam. Palætyrus diſtabat in auſtrum a Tyro nova 30 ſtadiis, *Strabone* teſte *Lib. XVI*, verſus Ptolemaida.

Palthos, urbs Syriæ ad littus Balaneas inter & Gabala. Pſeudo-*Clementis Recognitiones VII, 25, p. 517.* Urbis Epiſcopum celebrat *Athanaſius* in *Apologia de fuga ſua* paulo poſt initium & in *Epiſtola ad Solitarios p. 512.* Chelez,

lez, heros *Davidis*, vocatur הַפַּלְטִי 2 *Sam.* *XXIII*, 26. Fortaſſis hic in lucem fuit editus. *Pletim* videntur hinc conducti, *Davidem* armis tuentes ac cingentes inſtar prætoriæ cohortis ac ſtipatorum. Balaneæ ac Gabale Palton interponunt *Strabo Lib. XVI*, ac *Plinius V*, 20. *Palmyram* omittimus, quippe quam in Tadmor, vel Tamar, haud deprehendi exiſtimamus.

Paneas, Panias, Pamias, Belinas, Helimas, Balano, Wadettein, Hederaſco, Neronias, Velina, Belina, Bellena, idem locus. *Wilhelmus Tyrius XIX*, 10, vocavit eum *Belinas*, nec non *Oliverius* in *Hiſtoria Regum terræ ſanctæ p.* 1372 *T. II Eccardi. Brocardus: Pan, vel Caſarea Philippi, etiam quondam vocabatur Baluias. Eſt pulchra civitas, & eſt poſita in monte pedis Libani, & ibi incepit terra promiſſionis verſus aquilonem.* Dicitur Hæmorrhouſa ibi ſtatuam Jeſu poſuiſſe, quæ perſonam ejus referret. Res nota eſt ex *Euſebii Hiſt. eccl. VII*, 18, *Ruffini Hiſt. eccl. VII*, 14, *Philoſtorgio H. E. VII*, 3, *Sozomeno V*, 21, aliis. *Theodorus Haſæus* contendit, ſtatuam auctore ea muliere haud fuiſſe poſitam, retuliſſe eam *Hadrianum* Imperatorem, hujus vero vultum ac corpus Jeſu fuiſſe ſimilem. Vide *Haſæi Diſſertationem de Statua Hæmorrhoiſſæ* in *Sylloge Diſſertationum* eius & *Obſervationum philologicarum p. 314 ſeq.*, Bremæ A. 1731, 8, factarum iuris publici. Dan & Paneas diffe-

differunt. *Euſebius* & *Hieronymus* utramque diſtinguunt. Hic in libro *de Locis Hebraicis* locum Dan quarto a Paneade milliario collocat. Leſchem fuit urbs alia, ad fluvium Letanen, ſeu Leſchem, poſita, a Danitis occupata, procul a Sidoniis ad vallem ſita. *Joſ. XIX, 47.* Danitæ ipſam appellarunt Leſchem Dan & ſimpliciter Dan. Paneadem tamen cum Leſchem Dan confuderunt *Hieronymus* ad *Ezech. XLVIII*, R. *Iſaacus* in Tr. *Talmud. Megillah f. 6, 1*, *Theodoretus Quaſt. 110 in Geneſin.* Leſchem Dan vocata fuit quoque Laiſch. *Jud. XVIII, 27, 29. Theodoreti* Laeſa, Λαισα, inde eſt enata, ac *Brocardi Lachis. Philippus* Paneadi circa Servatoris tempora magnificentius exſtructæ nomen impoſuit *Cæſareæ*, teſtibus *Joſepho* ac *G. Syncello p. 320 ed. reg.* Erravit *Philoſtorgius*, qui, hanc Cæſaream non ab *Herode Philippo* Tetrarcha, ſed ab *Herode Magno*, in *Auguſti* honorem amplificatam dictamque, literis memoriæ prodidit. Apud *Hubertum Golzium* numus *Otacillæ* viſitur, in quo Paneas appellatur Philippopolis. In tabula *Peutingeriana* locus dicitur *Cæſarea Paneas*, nec non in numo *Franciſci Dronii* apud *Harduinum Oper. ſel. p. 782*, ac apud *Noriſium p. 448. Golzius* in *Theſauro* numum *Titi* exhibet, in quo legitur *Cæſarea Paniæ.* Porro Καισαρεια Σεβαςη υπο Πανειω eſt in numis apud *Noriſium p. 447*, & *Harduinum p. 782, 799. Clau-*

dia Cæſarea dicitur Paneas in numo *Herodis*, qui in gazophylacio *Barberinorum* Romæ exſtat, ſi fides eſt *Lucæ Holſtenio* in *Notis* ad *Stephanum p. 154. Joannes Harduinus* mavult hunc numum ad Cæſaream Palæſtinæ transferre, in libro *de Nummis Herodiadum. Noriſius* eum ad neutram refert in libri laudati *Diſſ. III* §. 4. *Ezechiel* vero *Spanhemius Holſtenio* ſuffragatur in opere *de Præſtantia & uſu numiſmatum T. I p. 526.* Paneada vocant Πανεαδα *Andronicus*, *Cedrenus*, *Syncellus*. Apud poſtremum ſcriptorem appellatur Paneas quoque *Panoſos T. I p. 184.* In numis *M. Aurelii*, *Macrini*, ac *Diadumeniani*, Φανεας legitur. Syri eam dicunt *Panida*, Arabes *Balnias*. In Talmude lectitatur *Apamia*, ac *mare Apamea* inibi haud eſt ignotum. *Joannes Lightfootus* putat, haud eſſe improbabilem eius ſententiam, qui Paneada deſignatam opinetur, quippe cui ſcaturigo Iordanis fuerit vicina. Vide ejus *Opera T. III p. 221.* At nolim exiguam illam ſcaturiginem nomine maris inſignire. Erat in Syria prope Orontis & Marſyæ confluentem Apamea, in Cherſoneſo ad lacum poſita, qui more Ebræorum appellatur *mare*. *Agrippa* tandem Paneada in honorem *Neronis* dici voluit Neroniada; teſte *Joſepho Ant. Jud. VIII, 9, §. 4, p. 977.* Mauris nunc audit Paneas vulgo *Velenas*, teſte *Cotovico III, 9. Wilhelmus Lithgou*, Anglus, in *Itinerario* editionis Belgicæ *p. 122* eam ſua ætate

ætate a Mauris appellatam eſſe Hederaſco, ſignificavit. Reliqua dabit B. *Theodorus Haſaeus* loco laudato, e cuius penu huc non pauca compendioſe traiecimus. Adiiciam porro unum ac alterum momentum hiſtoricum, antequam gradum promoveo. *Herodes Magnus* Cæſari hic templum ad fontes Iordanis ex candido marmore poſuit. Locus, qui *Panium* dicitur, id habet eximium, quod ibi montis vertex quidam in immenſam altitudinem attollitur, ac in latere ei ſubiecto ſpecus opacum ſeſe aperit. Ad ſpeluncæ radices exteriores ſcaturiunt fontes, unde Iordanes primordia & originem capere dicitur. Decerpſi hæc ex *Joſephi de Bello Judaico I, 21, §. 3, p. 106.* Crediderim, hunc eſſe eum montem excelſum, in quem Ieſus ſeorſim aſſumſit tres Apoſtolos, cum luce divina majeſtatem ſuam, inſpectantibus *Moſe* & *Elia*, ſuis eſſet oſtenſurus, *Matth. XVII, 1.* Paullo ante ſextiduum præſto fuerat Cæſareæ Philippi *XVI, 13*, ac eis, qui vaticinium ipſius de durioribus perpeſſionibus exantlandis, ac maieſtate ſua iudiciali, animo informare haud valebant, anticipatis opinionibus faſcinati, doctrinas neceſſarias inſtillaverat. In tractu eodem diſcipuli ac aſſectatores eius miraculo quodam veritatem illam erant condocefaciendi. Nec putandum eſt, ſplendorem divinum, noctu coortum, ſolo monte fuiſſe concluſum. Iubar illud noctem obſcuram & obductam ad aliquot milliaria illuminavit.

 Ex

Ex eo intelligitur, quare noctu, quare in monte ſublimi, lucem fulgidiſſimam Servator creare maluerit, quam interdiu, quam in planicie. *Moſes* & *Elias* credebantur diem pantocriticum præceſſuri. Hi igitur erant præſto, ut diſcipuli de veritate iudicii per Chriſtum tandem expromendi redderentur certiores. Notitiam hanc de hoc monte geographicam veritatibus inutilibus annumerare nolim, licet montem Tabor ab hac hiſtoria iam & *Lightfootus* & *Relandus* ſecreverint. Si ad ſcopum rerum geſtarum ſacrarum attendimus patientiſſime, tunc ne minima quidem ratio rei geſtæ evaneſcit, vel inter inutiles recedit veritates. Conſcendit Jeſus montem nive tectam, ne quis exiſtimaret, ipſum a moleſtiis perferendis eſſe prorſus alienum, vel delicias mundi regnumque perbreve in animo habere:

Papyron, Papyrônis in genitivo, ad quem locum *Ariſtobulus*, haud procul Philadelphia, quo *Aretas*, Arabum Rex, obſidione Hieroſolymorum ad minas *Scauri* Romani ſoluta, fugerat, prælium commiſit, ac plus quam ſex millia Arabum concidit. *Joſephus de Bello Jud. I, 6, §. 3, p. 65.*

Paradiſus, in Libaneſia Phœnice, ac Laodicena ſpeciatim, ſitum oppidum, a *Ptolemæo* ac *Plinio V, 23*, memoratum. *Stephanus Byzantius* conciſe: Παράδεισος, πόλις Συρίας, *Paradiſus, oppidum Syriæ.* Eden locus eſt amœ-

amœniſſimus haud procul Libano in loco declivi. *De la Roque T. I p. 157.* In eius tractu *Philippus Melanchthon*, *Joannes Clericus*, *Joannes Gothofredus Lakemacherus*, aliique, ſedem Paradiſi primi collocarunt. Olim certe circa Eden exſtitit *hortus Dei. Ez. XXVIII, 13, XXXI, 8, 9, 16, 18, XXXVI, 36, Ioel II, 3, Eſ. LI, 3, Gen. XIII, 10.*

Parembole, παρεμβολὴ, eſt 1) Machanaim e), 2) locus ad templum Heliopolitanum in Aegypto, *a Judæis* f) dictus, 3) arx Antonia, Hieroſolymis permunita. Vide *Machanaim*, *On*, *Biram*, *Jeruſalem*, ſupra.

Pathras, Pathros, urbs ſuperioris Aegypti ac regio circumiecta, inde cognominata. *Ez. XXIX, 14, Eſ. XIX, 18.* Erat ipſa *Patura* circa Thebas, Alexandrinis interpretibus Πάθουρις & Φαθώρη. *Plinius* meminit Phaturiten nomon, ad Thebaida ſolitum referri. *Ptolemæus* urbem *Paturin* meminit. Conf. *Bochartus* in *Phaleg IV, 27*, ac *Braunius* in *Sel. ſacris p. 728.*

Pellam, *Hermannus van der Hardt* in *Medabenis p. 5* exiſtimavit, eandem exſtitiſſe ac Abilam Batanææ. At refellit ipſum locus *Polybii*, quo Pella ab Abila illa diſtinguitur.

Peluſium, olim Sin, Thin. Nunc vocatur Tineh, teſte D. *Shaw* in libro *Obſervations geographiques ſur la Syrie & Egypte Chap. 2 p. 10.* Locum

e) *Joſephus Ant. Jud. VII, 10, §. 1, p. 392.*
f) *Ant. Jud. XIV, 8, p. 696.*

cum Balbeis eſſe antiquum Peluſium, ſibi perſuaſerat *Wilhelmus Tyrius XIX, 13.* At Cel. *Albertus Schultens* in Indice geographico ad *Abulfedam* ac vocem *Peluſium*, urbem Bilbeis eſſe Heliopolin, oſtendit. Plura dabimus infra ad vocem *Sin.* Urbs Peluſium, ad oſtium alvei Bubaſtici orientali in littore viginti quondam ſtadiis ab Oceano ſita, degeneravit in pagum *Thiné*, ac nil niſi rudera gloriæ ac munitionis veteris oſtentat. *Catrou* & *Rouillé* in libro *Hiſtoire Romaine T. VII, p. 17, b, T. XXIII, p. 31, not. a.* Rabbini eam vocarunt iam olim *Tin.* Clauſtrum Aegypti quondam erat Peluſium, teſte *Hirtio Bell. Alex. Cap. 27.* Portum Peluſii celebrat *Curtius IV, 1, §. 29.* Tractus urbium a Peluſio ad Rhinocoluram fuit olim pars præfecturæ, ſeu provinciæ, Auguſtamnicæ, auctore *Ammiano XXII, 40.* Voragines Peluſio proximas, *ἐκβολὰς*, ex Nili effuſionibus factas, indicavit *Strabo Lib. XVI.* *Sennacheribus*, Peluſium aggreſſus, & aggeribus ad mœnia excitatis expugnaturus, accepto de *Thearconis*, Aethiopum Regis, adventu nuntio, re infecta diſceſſit, teſte *Joſepho Ant. Jud. X, 1, §. 4, p. 512.* Conſentit *Herodotus*, qui Theracen omittit, *II, 141.* Oſtium alvei Bubaſtici, in mare ſe effundentis, dictum fuiſſe *Peluſium*, ſeu Peluſiacum, idem *Herodotus* tradidit *II, 17, & 154.* Qui ex Syria olim in Aegyptum terra fecerunt iter, tetenderunt Peluſium, ac inde pervenere ad interiora. Niſi id dubitaret

bitaret nemo, teſtem compellaremus *Joſephum de Bello Jud. I, 8, §. 7, p. 72, I, 20, §. 3, p. 104.* Inde a Peluſio usque ad Gazam arida erat iuxta littus via, aquæ inops, flumine omni, ſi ecregma exceperis, carens. Quam ob cauſam, qui illac faciebant iter, aquarum copia ſibi feruntur proſpexiſſe, antequam ire ac redire aggrederentur. Teſtem denuo laudo *Joſephum B. J. I, 20, §. 3, p. 104.* Iter ab urbe Thmui Peluſium & hinc Gazam *Titus Veſpaſianus* ita inſtituit, ut *Tani*, urbecula quadam, ſtationem unam peracturus, pernoctaret, inde autem ſecunda ei manſio eſſet *Heracleopolis*, ſcilicet parva, tertia Peluſium. Hic autem militem per biduum recreavit, oſtium Peluſii die tertio ſupergreſſus. Cum inde manſionem unam prodiiſſet per deſerta, ad Jovis Caſii templum caſtra poſuit, poſteroque die iuxta Oſtracinen. Hæc manſio erat *aqua vacua*, σταθμὸς ἄνυδρος. *Aquis* enim *aliunde advectis utebantur* οἱ ἐπιχώριοι, *in ea regione habitantes.* Deinde Rhinocoruræ ſuis quietem permiſit. Tum profectus fuit Raphiam & Gazam. Transſcripſi hæc ex *Joſepho B. J. IV, 11, §. 5, p. 313.* Eadem fere leguntur apud *Gorioniden VI, 31, p. 678 ſeq.* præterquam quod ibi una manſio vel Oſtracinenſis, vel Rhinocorurenſis, fuit omiſſa. De editionibus *Seb. Münſteri* ac *Breitbaupti* haec intelligas velim. Sunt, qui per urbem *Caphutkaia*, in *Ktuvoth XIII, 11,*

alibique memoratam, deſignari credant Peluſium. At R. *Obadias Bartenorius* g) ſignificat, Caphutkaiam eſſe *Caphtor*. *Maimonides* addit, Arabice eam vocari *Damiatam*. Eadem quoque a *Bartenorio* repetuntur. Damiata autem ad occidentalem alvei Tanitici ripam paullo ſupra mare eſt ſita, adeoque ab urbe Peluſio & ſitu & appellatione ſatis eſt disiuncta. *Peluſiacis veſtibus* ſummus Judæorum ſacerdos in die expiationis anniverſariæ induebatur. *Ioma III*, 7.

Peor denotat 1) locum transiordanicum in Rubenitide, alibi *Bethpeor* dictum, *Deut. XXXIV*, *6*; 2) tractum adiacentem; 3) Deum commentitium, vulgo *Baalpeor* appellatum, in cuius honorem ſeſe ſimulacrorum cultores denudaſſe feruntur. *Sanhedrin VII*, *6*. Confer *Matthiæ Martinii Etymologicum* in voce *Phegor*. 4) Denotat montem *Num. XXIII*, *28*. *Theodoretus* ad *Pſ. CV*. *Suidas*: Βεελφεγώρ. Βεὲλ ὁ Κρόνος, Φεγὼρ δὲ ὁ τόπος, ἐν ᾧ ἐτιμᾶτο. Vide ſupra *Bethpeor*.

Purocho, locus nucibus inſignis. Nuces fragiles apud Iudæos inde denominatæ dictæ in *Peah*, *IV*, *1*, חליקי אגוזים. Hæ nuces ſeſe admodum in altum efferebant, teſte *Maimonide* ad eum locum *p. 50 P. I Surenhus*.

Periſtereonos petra erat locus a meridie mœnium Hieroſolymæ ad montem Sion, vicinus ad occaſum proximo colli, qui valli Siloam

g) In *Miſchna Surenhuſii P. III p. 103*.

loam imminebat. *Joſephus B. I. V, 12, §. 2, p. 358.*

Petor, patria *Bileami* ad flumen in terra Ammonitide. *Num. XXII, 5. Onkelos* ibi fluvium Phrath habet. Minus recte. Locus ſitus erat in Aram-naharaim *Deut. XXIII, 4.* Hæc vero Aramæa erat haud alia ac pars Batanææ, orienti obiecta. Eruditi Britanni, qui Hiſtoriam univerſalem condunt, in ea ſunt hæreſi, Meſopotamiam, Euphrate ac Tigri interceptam, eſſe Aram-naharaim regionem, atque inde deducunt Magos, Ieſulum veneratos. *Hiſtoire univerſelle T. VII p. 210.* Num vero ex hac Meſopotamia Carris potuit *Labanus* decimo die ad Iabocum, Iordani ſeſe commiſſurum, proficiſci? Num regio Ammonitarum in ea Meſopotamia eſt exquirenda? Fluvius ad Petor obvius eſt indubie Iabocus transiordanicus, Ammonitida ad occaſum ſtringens. *Herodes Magnus* Iudæo cuidam, e Babylonia cum quingentis equitibus ac cognatorum centum multitudine Antiochiam venienti, terram dedit in toparchia Batanæa. Hic vero in ea exſtruxit caſtella atque vicum, quem *Bathyram* appellari voluit. *Joſephus Ant. Jud. XVII, 2, §. 1, p. 829.* Quis erit tam excors, ut credat, hæc loca ſingula tunc ab integro fuiſſe exſtructa? Trachonitæ latrones ea vexarant, expilarant, exuſſerant. *Zamaris* ille Babylonius, id in futurum metuens tempus, Iudæos ad ſeſe aggregavit haud

paucos, quemadmodum ſubiecit paullo poſt *Joſephus*.

Petra nomen traxit ex rupe, cui inſidet, & qua eſt cincta. *Jer. XLIX, 16. Rupes* vocatur a *Diodoro Siculo XIX, 105*. Abeſt ſtadia trecenta a lacu aſphaltite; teſte eodem *XIX, 18*. Cum vero 40 ſtadia expleant unum milliare Germanicum, diſtantia illa excurrit ad $7\frac{1}{2}$ milliaria Germanica. Abfuit illa decem milliaribus Romanis, teſte *Euſebio*, ab *Elath*. Noli vero tibi perſuadere, deſignari hic per locum Elath Aelam, vel Elanam, ſinui Elanitico marique Arabico adiectam. Deſignavit *Euſebius* illam Eſath, quæ erat mediterranea, nec multum a Kadeſch Barnea diſtabat. *Devt. II, 8. Carcaria* arx iter unius diei a Petra aberat, ac in termino tribus Iudæ auſtrali paullo infra Zinnam & Kadeſch verſus mare magnum erat ſita. *Hor* mons, ad quem *Aaron* obiit, erat *iuxta urbem Petram*, ac aliquot manſionibus a Kadeſchbarnea diſtabat. Circa Petram regiuncula exſtabat *Gebalene*, a monte dicta, quem Arabes vocant *Gebel*. Crediderim, Gebalenen a Moſe *Hor* vocari. Haud procul Petra abfuit *Bozra*, quæ alias vocatur (ex בצר, *muniendo*,) מבצר, *Mabſara, Maſaris, Moſeroth, Boſorrba, Moſorrba*, quæ apud *Joſephum* in locum *Somorrba* ſubſtituenda ac reſtituenda eſt. Regiam Rex *Aretas* ſedem Petræ habuit, teſte *Joſepho B. J. I, 6, p. 65. Joſephus* eum *Petraæ* regionis *regem* appellavit *Ant. Jud. XVIII, 4,*

§. 6,

§. 6, *p.* [illegible]. Arabes Petram ſimpliciter vocant urbem, ſeu כְּרַךְ, *Crach, Crac.* Conſule, ſi fidem tibi fieri cupis, *Wilhelmum Tyrium* XXII, 5, 28, *Oliverium Scholaſticum p.* 1387, ac *p.* 1414 *T. II Eccardi*, aut, ſi mavis, Arabas, Geographiæ ſuæ ſcriptores. Sita eſt in monte ſublimi admodum, vallibus profundis undique cincta, teſte *Wilhelmo Tyrio XXII, 28, p.* 572. Vates Ebræi eam eapropter vocant *Sela*, סֶלַע, *rupem.* Petram Sinui Elanitico haud adiacuiſſe, ſatis pateſcit ex *Eclogis Agatharchidæ de Mari rubro p.* 57 *Vol. I Hudſoni.*

Pharan, פָּארָן, בַּרְנֵעַ, פָּרָן, *Ptolemæi* ævo vicus. Prope eum erat ſinus maris Arabici. Prope Faran exſtat locus pernicioſus, cum ſulcatur flante euro ad occidentem & favonio ad orientem, vocaturque locus iſte Hilan. Edriſæi ætate Pharan erat urbs ſita in imo ſitu quodam, e quo itur ad montem Tor. *Edris*, ſeu Geographus Nubienſis *P. III Cl.* 3 ac *P. V Cl.* 3. Mons Sinai a Pharan abfuit tridui itinere. *Num. X,* 11. *Ptolemæus* locat vicum Pharan ad 65° 6′ gr. long. ac 28° 30′ lat. Videatur eius *Arabia p.* 2, 3, *Vol. III Hudſoni. Simon Geraſenus*, inſtante Hieroſolymorum excidio, in valle Pharan multos laxiores fecit ſpecus, multos vero paratos invenit. In hos prædas ac theſauros ſuos congeſſit. In eis direptos fructus repoſuit, ac multos cohortium ſuarum aluit. *Joſephus* hæc memoriæ prodidit *B. J. IV,* 9, §. 4, *p.* 302.

Locus

Locus alius, *Pharan* dictus, exſtitit in Transiordanica, *Deut. I, 1*, alias appellatus *Baris Baaru.*

Phaſaelis ſita fuit iuxta aulonem, qui a ſeptentrionibus attingit viciniam Hierichuntis, teſte *Joſepho B. J. I, 21, §. 9, p. 108.* Planities illa, intra valles progrediens, deſcendit inde a Sichem, ac nunc campus Saba vocatur. Archelais haud multum inde diſtabat. Scythopoli diſtabat Coabis XII mill. paſſ. & hinc porro Archelais totidem, ac Archelaide Hierichus aeque XII mill. paſſ. Sic eſt in tabula *Peutingeriana. Sanutus* Phaſaelin poſuit in campeſtribus, ſeu illo aulone, tribus leucis Gallicis a Iordane disiunctam, ubi Crith torrens deſcendat. Falſum itaque eſt, amnem Crith prope Scythopolin fluxiſſe. Diximus de hac re ad *Oreb.*

Phichola, vicus haud procul Hieroſolyma ſitus. *Joſ. Ant. Jud. XII, 4, §. 2, p. 600.*

Philadelphia, olim Rabbat-Ammon, regis Ammonitarum ſedes primaria. Huc *Aretas*, Arabiae Petraeae Rex, conceſſit, ab obſidione Hieroſolymorum minis abſterritus per *Scaurum*, teſte *Joſepho B. J. I, 6, §. 3, p. 65.* Caſtra ad eam poſuit *Herodes*, ac Arabas ibi magna ſtrage mulctavit. Idem *B. J. I, 19, §. 5, p. 102.* Iudaei, atrocia *Flori* efferati, & Syrorum vicos, & finitimas civitates, vaſtarunt, *Philadelphiam* ſcilicet & Sebonitin, & Geraſam & Pellam & Scythopolin, teſte eodem *II, 18, §. 1, p. 197.* Peraeam *Joſephus* determinavit

navit reſpectu longitudinis a Machærunte ad Pellam, latitudine a Philadelphia ad Iordanem, *III, 3, §. 3, p. 223.* Pella hæc indubie eſt Abila ad Antilibani radices. Peræam enim *Joſephus* ibi multo maiorem Galilæa eſſe ſignificavit, clauſam eam perhibens ad Orientem Arabia & Silbonitide, nec non Philadelphene & Geraſis. Geraſam inter & Philadelphiam fluxit amnis Iaboc, teſte *Euſebio* in Onomaſtico ad *Jaboc.* Gadara remota fuit a Tiberiade 60 ſtadiorum intervallo. Tabula *Peutingeriana* computat XVI mill. paſſ. a Gadaris Scythopolin, totidemque a Gadaris verſus boream Capitoliada. At quot milliaribus Geraſa, vel Philadelphia, a Iordane fuit remota? Ramoth, Gileaditidis vicus, XV milliaribus aberat Philadelphia verſus Occidentem, ſitus ad flumen Iaboc.

Philoteria. Hermannus van der Hardt in *Medabenis p. 69* exiſtimat, Philoteriam olim dictam fuiſſe *Edrei. Joſ. XIX, 37.* Non eſt, quod affirmemus, quod refellamus, in re obſcura.

Phlandreſin, *Phrandiſim*, locus, unde Rabbini vela in altum dederunt. *Erubbin IV, 1, p. 95.* R. *Obadias Bartenorius* nihil addit, ullo pretio dignum, *p. 96 P. II Surenhus.*

Phœnicon fuit palmetum, unum ad Hierichuntem, alterum ad oram ſinus Arabici ſuperioris orientalem. Illud ad ſeptentriones Hierichuntis exſtitit, dictum יְרִחוֹ, *Juſtini* Arcus, *Strabonis* Hierichus. Hic *L. XVI p. 763*

ſic

ſic tradidit: *Hierichus eſt planities montibus circumdata - - Ibi eſt palmetum.* Fons Hierichuntinus per campum quendam labebatur LXX ſtadiis longum, viginti vero latum. In eo campo alebat hortos amœniſſimos & frequentiſſimos, palmas varii generis, haud unius ſaporis, nec unius appellationis. Pinguiores, ex eis preſſæ, etiam mel emittebant copioſum, quod melli apum vix cedebat. Campus ferebat opobalſamum præterea, cyprum, & myrobalanum. *Joſephum* laudo teſtem *B. J. IV, 8, §. 3, p. 298 ſeq.* Phœnicon exſtitit adhæc inter ſinus Heroonpoliten ac Elaniten. Excerpta ex *Agatharchide de Mari rubro p. 57 Vol. I Hudſoni. Diodorum Siculum* ac *Procopium* hic conſulere, erit ex uſu. Conferantur *Salmaſii* quoque *Exercitationes Plinianæ p. 346, Sam. Bocharti Geographia ſacra II, 22,* ac *Lucas Holſtenius* ad *Ortelium p. 152.*

Phunon, Phinan. Vide ***Phaeno.***

Pitom, Patumon *Herodoti*, memoratur *Ex. I, 11.* Locus fuit Goſenitidis in parte Aegypti, Palæſtinam proſpectantis. Illuſtravit eum canalis, quem Rex *Nechus*, ac deinde *Darius Hiſtaspides*, ex alveo Bubaſtico ad verticem ſinus Arabici ſeptentrionalem moliti ſunt. *Herodotus* canalem hunc deſcripſit, ac indicavit eius terminum utrumque, *II, 158*, hunc in modum: ἦρκται δὲ καθύπερθε ὀλίγον Βυβάστιος πόλιος παρὰ Πάτυμον τὴν Αραβίην πόλιν, ἐσέχει

ἀπέχει δὲ ὡς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν, coeptus eſt paullo ſupra Bubaſtum, iuxta Patumon Arabicam urbem, ingreditur vero in mare rubrum. Bubaſtus conſpicua eſt ad Orientem ripæ alvei Bubaſtici paullo infra eius medium, nunc dicta Bishbesh, *urbs litui. Shaw Obſervations geographiques c. 2 p. 28 ſeq. Strabo* refert, canalem hunc ad vicum Phaccuſam primordia cepiſſe, *L. XVII p. 805.* Ararabia tunc attigit oram alvei Bubaſtici orientalem, teſtibus *Strabone L. XVII p. 802, 806,* ac *Plinio V, 9.* Situm igitur fuit Patumon paullo ſupra Bubaſtum. Confer B. *Joannis Gothofredi Lakemacheri Obſerv. philolog. P. VI Obſ. 1 p. 313. Raemſes* vero fuit Heracleopolis parva. *Oliverius* in *Hiſtoria Damiatina* hæc habet *p. 1421 T. II Eccardi: Civitas Damiata — inter Ramaſſe & campos Taneos poſita in terra, ut conicere poſſumus, Goſen, quia paſcualis eſt.* Ad Orientem Taneos circa Bubaſtum exſtitiſſe terram Goſen, docuerunt Orthodoxi in *fortgeſetzter Sammlung von alten und neuen theologiſchen Sachen, A. 1722, 2 Beytrag, Art. VIII. Joannes Marshamus* jam idem ſenſit. At quomodo intra manſiones tres Iſraelitæ inde ab Heracleopoli parva ad Azirut, locum ſinus Arabici occidentalem, cum iumentis, gregibus, oneribus, ſenibus, ac turba infantum, iter emetiri potuerunt? Nil niſi arenæ inſtabiles tenebant regionis tractum, Bubaſto ac Arabico ſinui interiectum, *Strabo L. XVII p. 802:*

Arabia

Arabia inter Nilum iacet & Arabicum ſinum, & in extremis eius partibus iacet Peluſium. Verum tota regio deſerta eſt & exercitui invia. Eadem tradunt *Diodorus Siculus I, 57, Plinius VI, 9, Thevenot T. I L. II c. 24 P. II, L. III c. 5, Maillet dans Deſcription d'Egypte, Lettr. II p. 58 & p. 155.* Quam ob cauſam igitur, per eum tractum Iſraelitas iter feciſſe, exiſtimabimus? Non erat eis ineunda via per terram Philiſtæorum, *Ex. XIII, 17.* At nec per hanc terram ei profecti ſunt, quippe quam ne quidem attigerunt, Aegyptum egreſſi.

Planctus, κλαυθμῶνες, locus ſilvæ haud procul Gazara iuxta Philiſtæos, ubi hos *Davides* devicit, teſte *Joſepho Ant. Jud. VII, 4, §. 1, p. 372, 2 Sam. V, 24, 1 Chron. XIV, 14.* Ebraice locus vocatur בכאים, LXX vocarunt *pira*, ἄπεα. Ipſi confuderunt *moros* cum בוכים, *flentibus. Grotius* ad *2 Sam. V, 24.*

Pne elohim, Θεȣ πρόσωπον, promontorium Tripoli in Syria contiguum, in quo Libanus deſinit. Hinc videtur *Jonas* fugiſſe *Jon. I, 3.* At Ioppen deſcendit, Tarteſſum ad Bætin petiturus cum nautis, huc profecturis.

Pniel. Vide *Phanuel.*

Pletha, unde *Plethim* dicti, videtur fuiſſe vicus Philiſtæorum, niſi a Palto ipſi ſint dicti, civitate littoralis Syriæ.

Porphyreon alia erat ſita Berytum inter & Sidonem. Meminit eam inter urbes Phœnices

Scylax

Scylax Caryandenſis in *Periplo* p. 41. In Itinerario Hieroſolymitano veteri p. 150 hæc leguntur; *Civitas Berito, mutatio Heldua, mutatio Porphyreon, civitas Sidona.*

Poſidonium, urbs Syriæ littoralis. *Dionyſius* in *Periegeſi* v. 916 memorat Ποσιδήϊα ἔργα. *Euſtathius* in Commentario adiecto exponit per Ποσιδήϊον περὶ τὰ ἐν Ἀντιοχείᾳ τέμπεα, *Poſideion circa tempe iuxta Antiochiam.* Ad auſtrum fere Poſidium attingit oſtia Orontis. *Ptolemaeus* vocavit *Poſidonium*, *Strabo* ποσίδιον πολίχνην, *Plinius* V, 20, æque *Poſidium.* Videtur hæc urbs eſſe *Sidon magna.* Græci enim præfixa ſyllaba Bu, Za, Po, indicant aliquid magni & eximii.

Pſephina turris eminebat in tertio Hieroſolymorum muro intra angulum ad ſeptentriones ac occidentem ſito, alta LXX cubitos ac octangularis. Sole oriente conſpici inde Arabia ultimique Iudææ fines usque ad mare poterant. Ex adverſo illius erat *Hippicos* turris, ac iuxta eam duæ aliæ. *Herodes Magnus* hæc opera magnificentiſſima iuſſerat exſtrui. *Joſephus B. J.* V, 4, §. 3, p. 329.

Ptolemais. Ipſa, in finibus Phœnices & Palæſtinæ ſita, nihil præter nomen coloniæ Romanæ habuit. *Ulpianus Dig.* L. *Tit.* 15, §. 3. Vide ſupra *Aco, Ace.*

IV.

PAVLI ERNESTI IABLONSKI OBSERVATIO DE PHTHA, PRISCORVM ÆGYPTIORVM NVMINE, QVOD GRÆCI VULCANVM INTERPRETANTVR,

VBI ET DE VETERVM PHILOSOPHORVM ÆGYPTIORVM ATHEISMO.

Obſervationis Conſpectus.

I. *Ex doctrina Aegyptiorum de ſua Athor, vel Venere, conſequi videtur, eos atheiſmo non leviter faviſſe* II. *Idem ex eo quondam conijcit B. La Crozius, quod ſecundum Aegyptios Anima poſt mortem refundatur in aetherem.* III. *Sententia hac Viri eruditi pluribus confirmatur.* IV. *Dii, quos vulgus adorabat in Aegypto, erant pure materiales, quod teſtatur Charemon Aegyptius.* V. *Id aliunde etiam illuſtratur.* VI. *E teſtimoniis compluribus firmatur.* VII. *Sed fateri tamen oportet, Aegyptiorum Philoſophos Numen agnoviſſe Diis materialibus, a vulgo cultis, ſuperius, ſpiritum æternum, a quo Dii reliqui pendeant & gubernentur, uti fere inter Græcos Stoici.* VIII. *Doctrina hac Aegytiorum ex quibusdam ipſorum placitis illuſtratur.* IX. *Et ex antiquiorum Orphicorum Theologia, quæ etiam hic cum Aegyptiaca concinit.* X. *Spiritus ille æternus, rerum omnium cauſa prima, Aegyptiis dicebatur Phthas, quod Græci inter-*

pretantur Vulcanum. XI. *Phthas ille ab Aegyptiis agnoſcebatur rerum omnium cauſa prima, ipſorum quoque Deorum pater & progenitor, ideoque fingebatur maſculo-femininus.* XII. *Et in fabulis Sacerdotum dicebatur omnium primus regnaſſe.* XIII. *Idem credebatur ignis ſubtiliſſimus & puriſſimus aethereus.* XIV. *Nomen eius Aegyptiacum ſignificat decernentem & ordinantem, id eſt, eum, a cuius decreto ſunt omnia.* XV. *Phthas hic, etſi Deorum omnium pater & maximus, in Ægypto tamen rarius a vulgo, & fere tantum a Philoſophis, colebatur.*

I. Quæ haud ita pridem de *Athor*, id eſt, *Nocte*, Aegyptiorum Numine, quod Græci *Venerem* interpretantur, in hiſce *Miſcellan. Volum. V Parte I* obſervavi, apud lectorem, hiſtoriæ Philoſophicæ antiquioris non imperitum, ſuſpicionem excitare poſſent, vetuſtos Aegyptiorum Philoſophos, & Theologos, qui *Noctis tenebricoſæ* Numen tam religioſa veneratione conſecrari voluerunt, ab atheiſmi crimine difficulter abſolvi poſſe. Oſtendimus enim ex Theologia Aegyptiorum, ipſos *Nocte*, vel *Tenebris*, nihil prius, vel antiquius, agnoviſſe, eoque Noctem ſuam, quæ a Chao Philoſophorum Græcorum parum differt, pro vero principio rerum omnium, ipſorumque adeo Deorum, haberi voluiſſe. Qui ſuſpicioni huic locum eſſe autumarent, novum illi ex eo robur conciliare poſſent, quod, qui inter Græcos omnium primi Philoſophiæ & Theologiæ operam impende-

runt, impietatis huius, quæ materiam rerum omnium principium primum conſtituit, *) ſi *Platonem* & *Ariſtotelem* audimus, utplurimum rei quoque fuerint. Equidem, an res ita vere ſe habuerit, nunc operoſe diſquirere nolim: eſſet enim id ab inſtituto meo paulo remotius; docet tamen hiſtoria ſectæ Ionicæ, omnium, quotquot in Græcia exſtiterunt, antiquiſſimæ, fuiſſe inter primos Græcorum Philoſophos, qui huiusmodi doctrinam publice tradere & aſſerere non erubuerint. Cumque exploratum & certum ſit, rudimenta ſapientiæ Græcorum natales ſuos debere Aegypto, multosque ex priſcis gentis illius Sapientibus doctrinæ cauſa Aegyptum adire, in more habuiſſe, abſurdus utique videri non poſſet, qui ex eo colligeret, fuiſſe inter antiquiores, & in Ægypto, & in Græcia, Theologiæ conditores conſenſum, in doctrina tam pernicioſa, non levem. Accedit ad hæc, quod *Orpheus*, qui in Ægypto, ſacris ſcientiis imbutus, & initiatus, ea deinceps, quæ ab Ægyptiis acceperat, in Græcia magno cum ſucceſſu docuit, ſi Peripateticis credimus, rerum omnium origines a ſola *Nocte* deduxerit, nullius omnino mentis æternæ mentione facta. Verba ea de re *Damaſcii*, in Fragmento, a B. *Wolfio*, Hamburgenſi, in *Anecdotis*, edito, *Tom. III p. 256*, ita ſonant: Ἡ δὲ παρὰ τῷ Περιπατητικῷ εὐδήλως ἀναγεγραμμένη, ὡς τῦ Ὀρφέως ἦσα Θεο-

*) Vide *Cudworths intellectual Syſtem of the Univerſe Cap. III §. 17.*

Θεολογία, πᾶν τὸ νοητὸν ἐσιώπησεν, ἀπὸ δὲ νυκτὸς ἐποιήσατο τὴν ἀρχήν. Illa vero Theologia, quam Eudemus *Peripateticus ad Orpheum tanquam auctorem aperte refert, intelligibile omne (quod ſola mente percipi poteſt) ſilentio praetermiſit. Omnium vero rerum initium & originem ex Nocte deduxit.* Et in libris quibusdam Ægyptiorum vetuſtis res hæc eadem tradebatur, ut mox ibidem *Damaſcius* perhibet: *Οἱ δὲ Αἰγύπτιοι καθ' ἡμᾶς φιλόσοφοι γεγονότες ἐξήνεγκαν αὐτῶν τὴν ἀλήθειαν κεκρυμμένην,* *) *εὑρόντες ἐν Αἰγυπτίοις δή τισι λόγοις, ὡς εἴη κατ' αὐτοὺς, ἡ μὲν μία τῶν ὅλων ἀρχὴ Σκότος ἄγνωστον ὑμνουμένη. Καὶ τοῦτο* **) *τρὶς ἀναφωνούμενον. Philoſophi vero Aegyptii, qui noſtra ætate vixerunt, veram vetuſtiorum Ægyptiorum doctrinam, hactenus abſconditam, in lucem protraxerunt, nam in libris quibusdam invenerunt, unum rerum omnium principium, Tenebras videlicet incognitas, ſacris ſuorum hymnis celebrari, idque ter repeti.* Exſtat & alius *Damaſcii* huius locus, in eundem ſenſum conceptus, quem ex libro eius inedito produxit *Steuchus Eugubinus*, & ex hoc *Cudworthus* in *Syſtemate intellectuali Univerſi p. 334* (non, ut vitioſe editum eſt, *414*,) edit. Londin.: *Πρώτην ἀρχὴν, σκότος ὑπὲρ πᾶσαν νόησιν, σκό-*

*) Ita verba ſunt diſtinguenda, & ſic ea ex Cod. MS. citat *Cudworthus Lib. cit. p. 366* edit. Anglic.

**) Ita quoque lege cum *Cudwortho*, qui ſic iſta citat ex Libro MS.

σκότος, ἄγνωστον, τρὶς τοῦτο ἐπιφημίζοντες. *Primum rerum omnium Principium eſſe Tenebras, quæ omnem intellectum & cognitionem ſuperant, quarum laudes hymnis ſacris ter repetunt.* Si *Cudworthum*, poſt *Steuchum Eugubinum*, audiamus, per Tenebras has intelligendus erit æternus atque incomprehenſibilis Deus. Verum ea, quæ in Diſſertatione *de Athor*, de *Nocte tenebricoſa*, vetuſtiſſimo Ægyptiorum Numine, obſervavimus, locum huic explicationi nullum relinquunt.

II. Alio argumento uſum eſſe video virum quondam incomparabilem *Math. Veiſſ. La Crozium*, ut probaret, Philoſophiam Aegyptiorum Atheiſmo, vel, quod idem eſt, Pantheiſmo, inſigniter faviſſe. Operæ pretium eſt, hæc eius verba deſcribere ex *Tomo III Theſauri Epiſtolici La Croziani p. 194*: *Unde certum eſt, ſententiam Philoſophorum Sinenſium eandem eſſe, atque Aegyptiorum veterum, a quibus, certo ſcio, eos ante multa Secula dogmata fere omnia ſua hauſiſſe. Sic autem* THEONOE, *Aegyptia*, PROTEI *filia, in Helena Euripidis v. 1020 Tom. II* edit. *Barneſ. p. 288*:

— — — — ὁ Νοῦς
Τῶν κατθανόντων, ζῇ μὲν οὔ, γνώμην δ' ἔχει
Ἀθάνατον, εἰς ἀθάνατον αἰθέρ' ἐμπεσών.

— — — — *Mens*
Defunctorum non vivit quidem: ſenſum tamen habet
Immortalem, refuſa in immortalem ætherem.

Et

Et quæ in Epiſtola *La. Croziana* plura ſequuntur, quæ brevitatis ſtudio omitto. Nemini obſcurum eſſe poteſt, auctorem verſuum horum id voluiſſe, animam hominis eſſe ex æthere, & poſt hanc vitam in ætherem redire, ita ut non amplius per ſe ſubſiſtat, etſi ſenſus illius, quem æther in univerſum habet, tanquam eius particula, particeps quoque ſit. Neſcio tamen, an ex ſolis hiſce verſibus id, quod volebat vir præſtantiſſimus, citra dubium tuto colligi queat. Quem enim, quæſo, fugit, Poetas Tragicos, uti & Comicos, & in genere omnes, ſententias aut ſuas, aut aliorum Philoſophorum; illis tribuere, orique eorum veluti ingerere, quos in ſcenam producunt? Sententia hæc *Euripidis* amice conſpirat cum doctrina Pythagoræorum arcana, quorum magna erat illo tempore exiſtimatio & veneratio. Nihil itaque mirum eſt, quod *Euripides*, qui non ſecus, ac Tragici reliqui omnes, Dramata ſua ſententiis philoſophicis perquam libenter ornabat, & illo loco oſtendere voluerit, quantum in ſcientia philoſophica profeciſſet. At nondum ex eo conficere licebit, Sacerdotes quoque Aegyptios, dogma tale in ſcholis ſuis tradidiſſe, & calculo ſuo comprobaſſe, quamvis & hos ſapientiæ addiſcendæ cauſa adiiſſe *Euripidem*, teſtetur *Diogenes Laertius Lib. III §. 6.* Quin imo, ſi credimus viro cuidam *) eruditiſſimo, & in rebus

*) *Mr. Warburton dans les Diſſertationes ſur l'Union de la Religion, de la Morale, & de la Politique, de Mr. Silhouette Tom. II Diſſert. XI p. 151 &c.*

huius argumenti non perfunctorie exercitato, credibile non eſt, Sacerdotibus Aegyptiis tale quid in mentem veniſſe, verum placiti huius natales in ſola Græcia nobis erunt quærendi, ubi *Pherecydes Syrius* doctrinam iſtam primo excogitavit, *Pythagoras* vero, diſcipulus eius, expolivit, & ad ſcholas aliorum quoque Græciæ Philoſophorum transmiſit. Verum, ſi tamen memoria repeto, quæ apud veteres ea de re paſſim aut ſatis clare memoriæ prodita, aut paulo obſcurius ſubindicata, legi, non poſſum non in ſententiam *La Crozii* pedibus ire, eamque hic teſtimoniis quibusdam idoneis confirmabo.

III. Qui hanc, quam dixi, Aegyptiis ſigillatim tribuat doctrinam, auctorem habeo non ſpernendum, *Æneam Gazæum*, in *Theophraſto, de Animarum immortalitate*, Magn. Biblioth. Patr. T. XII *p. 622*: Αἰγυπτίοις μὲν δοκεῖ, τὴν αὐτὴν ψυχὴν, καὶ ἄνθρωπον, καὶ βοῦν, καὶ κύνα, καὶ ὄρνεον, καὶ ἰχθὺν, μεταμπίσχεσθαι, ἕως ἅπαντα διεξελθοῦσα, πάλιν ἀναδράμοι, ὅθεν τὸ πρῶτον κατέβη. *Aegyptiis ſane videtur, eadem anima, cum hominem, tum vero bovem, & canem, & avem, & piſcem, induere, — donec tandem, peragratis omnibus, eo rurſus, unde erat digreſſa, recurrat.* Nemo eſt, qui non illico percipiat, tangi in his ab *Aenea Gazæo* celebratum apud veteres Metempſychoſeos dogma, quod ab Aegyptiis ad alias gentes perveniſſe, teſtantur *Herodotus Lib. II Cap. 123*, & plurimi alii. Quid autem illud ſit, unde anima primum

imum erat digreſſa, & quo, poſt varias præcedentes Metempſychoſes, ultimo tandem recurrit, *Ammas* quidem diſtincte non explicuit; ſed dubitare tamen non licet, quin intelligat naturam, ſeu Eſſentiam divinam, ſupremum Aetherem, Animam Mundi, ex qua, etiam ſecundum Aegyptios, animæ in corpora demittebantur, & in quam, abſoluto Metempſychoſeos curriculo, redibant, & veluti refundebantur. Docet hoc *Porphyrius*, Scriptor doctiſſimus, & rerum Aegyptiacarum inſigniter peritus, *de Abſtin. Lib. IV p. 372* edit. Lugdun.: Ἔγνωσαν, ὡς ὐ δι᾽ ἀνθρώπυ μόνυ τὸ θεῖον διῆλθεν, ὔτε ψυχὴ ἐν μόνῳ ἀνθρώπῳ ἐπὶ γῆς καΐεσκήνωσεν. Ἀλλὰ σχεδὸν ἡ αὐτὴ διὰ πάνἶων διῆλθεν τῶν ζώων. Ægyptii *noverunt, non per ſolum hominem divinitatem tranſiviſſe, neque animam in ſolo homine in terra tabernaculum obtinuiſſe, ſed eandem propemodum per omnia animalia pertranſire.* Verſionem Latinam apposui elegantem & oppido raram, *Joannis Bernardi Feliciani*, quam, pro humanitate ſua, mecum libens communicavit *Nicolaus Weſtermannus*, Collega præſtantiſſimus, idemque ſummus amicus. Anima igitur ſecundum Ægyptios, erat τὸ θεῖον, *divinitas*, vel *natura divina*, quæ a ſede ſua veluti delapſa, aliquamdiu per homines & animalia tranſibat. Eodem ſpectant illa *Servii* in *Virgilii Æn. Lib. III v. 67*: *Ægyptii, periti ſapientia, condita diutius reſervant corpora, ſcilicet, ut anima multo tempore perduret, & corpori ſit*

obnoxia, nec cito ad alia tranſeat. Romani contra faciebant, comburentes cadavera, ut ſtatim Anima in generalitatem, id eſt, in ſuam rediret naturam. Ubi intelligi Animam divinam Mundi, quæ eſt animarum *generalitas*, ex qua digrediuntur, & in quam redeunt, quivis facile videt. *Servius* Romanis eandem, de origine & reditu animarum, doctrinam tribuit, quam Ægyptiis. Ponit enim, & his, & illis, eſſe perſuaſum, animas in ſuam generalitatem redire, ideoque Romanos, ut hanc ſummam animarum felicitatem accelerarent, corpora ſuorum concremaſſe, ne Anima locum haberet, ulterius hic commorandi, Ægyptios vero, ut animarum diſceſſum protraherent, corpora ſuorum arte condita aſſervaſſe, ut illis animæ etiamnum adhærere poſſent. De Romanis, qui ſententiam hanc a Græcis non niſi ſero acceperunt, plura opus non eſt addere. De Ægyptiorum vero ſententia teſtari etiam poterit precatio illa pervetuſta, quam in Ægypto unus ex eorum numero, qui corpora defunctorum condiebant, nomine defuncti ad Deos fundere jubebatur, quamque, ex Ægyptiaco ſermone in Græcum ab Euphanto converſam, affert *Porphyrius de Abſtin. Lib. IV p. 379:* Ὦ δέσποτα ἥλιε, καὶ θεοὶ πάντες, οἱ τὴν ζωὴν τοῖς ἀνθρώποις δόντες, προσδέξασθέ με καὶ παράδοτε τοῖς ἀϊδίοις θεοῖς σύνοικον. *O Domine Sol, reliquique Dii, qui vitam hominibus largimini, recipite me, & tradite Diis æternis, ut cum illis*

illis cohabitem. Quodſi quis de verbis his iuſtum inſtituere velit iudicium, ea tum ex iis, quæ dicta iam ſunt, tum quæ dicentur in ſequentibus, æſtimabit, & diiudicabit, alioquin habent, quod lectorem decipere poſſit. Conſimiliter verba hæc *Epicharmi* apud *Plutarchum de Conſolat. ad Apollon. p. 110*: Συνεκρίθη καὶ διεκρίθη, καὶ ἀπῆλθεν ὅθεν ἦλθε πάλιν, γᾶ μὲν ἐις γᾶν, πνεῦμα δ᾽ ἄνω, *quæ quondam erant concreta, nunc viciſſim ſunt ſecreta, rediit quodque ad originem, unde venerat, terra in terram, ſpiritus vero ſurſum profectus eſt*, poſſent, ſi quis ſolorum verborum rationem habendam eſſe putaret, cum illis *Salomoneis* componi: *Revertitur pulvis ad terram, unde fuit, ſpiritus autem revertitur ad Deum, qui eum dederat. Eccleſ. XII, 7.* Sed re ipſa tamen offerunt nobis impietatem Scholæ Pythagoræorum. Etenim inter arcanas *Pythagoræ* & *Platonis* doctrinas refertur & hæc, *animam interitus expertem eſſe, eamque, cum exit, pervenire in cognatam ſibi animam mundi*, teſte *Plutarcho de Placit. Philoſ. Lib. IV Cap. VII p. 899.* Id vero eſt ἐμπίπτειν ἐις τὸν αἰθέρα, *in aerem refundi*, ut ſupra §. *II* aiebat *Theonoe Euripidea. Epicharmum* vero diſcipulis *Pythagoræ* annumerari voluiſſe, & arcana eius placita verſibus ſæpe complexum fuiſſe, quod & aliunde ſcimus, perhibet *Jamblichus de Vita Pythag. p. 214, 215,* ed. *Küſt.* An non Stoici genuinis Philoſophiæ filiis promittebant, fore, *ut aliquando digni futuri*

turi

turi eſſent Deorum contubernales. Ita *Epictetus Enchir. Cap. XXI*, qui tamen & ſuam, & Stoicorum omnium, ea de re ſententiam veram ita explicat in *Diſſertat. Arriani Lib. III Cap. XIII p. 293*: *Cum vero ea, quibus opus eſt, Deus non ſuppeditat, receptui canit, ianuam aperit, teque venire iubet. Quo? Non in malam rem; ſed eo, unde ortus es, ad amica & cognata, ad elementa. Quantum in te fuit ignis,* (ſic deſignat mentem,) *ad ignem redit; quantum terræ, ad terram; quantum venti, ad ventum; quantum aquæ, ad aquam.* Hæc eſt cohabitatio & compotatio Stoicorum, cum Diis ſuis, poſt hanc vitam. Et eandem quoque innui in antiqua illa Aegyptiorum precatione, dubitare nullo modo poſſum. Quid enim ſibi hoc vult, ut anima recipiatur a Sole, aliisque Diis vitæ auctoribus, & tradatur Diis æternis ad cohabitandum cum illis? Aegyptii alios Deos non agnoſcebant, quam Solem, Lunam, Aſtra, Elementa rerum omnium, & ætherem igneum, omnibus cœlis ſuperiorem, veram animarum originem, ad quam, exuta vinculis corpuſculi, (ſic delirabant,) rurſus adiungebatur.

IV. Dum beati, mihique ſemper venerandi, *La Crozii* veſtigia lego, ſentio, me a ſcopo mihi propoſito paulo longius digreſſum eſſe. Ex diverticulo igitur in viam redeo. Dixi nempe, videri Aegyptios, ſi doctrinam eorum de *Athor*, ſeu *Nocte*, meditate expendas, omnia in hoc mundo ex ſola materia deduxiſſe, qui eſt atheiſmus craſſus & turpis. Ipſa quoque gentis

gentis huius Numina, ex Nocte nempe progenita, fuiſſe materialia, mundi corpora & elementa, teſtimoniis & copioſis, & fide dignis, confici facile poteſt. Ex iis quædam, ad rem noſtram inprimis facientia, hic adſcribemus. Ipſe acutiſſimus *Cudworthus*, quamvis labori nulli pepercerit, ut Theologiam Aegyptiorum ab iſta labe perpurgaret, id tamen nobis vel invitus largitur, *Charemonem* Stoicum, cuius accurationem veritatisque ſtudium *Porphyrius* commendat *de Abſtin. Lib. IV p. 371*, quemque *ἱερογραμματέα*, *ſacrorum* apud Aegyptios *ſcribam*, nuncupat, apud *Euſebium Præparat. Evang. Lib. V Cap. 10*, Aegyptiis tribuere materialismum atheiſticum. Vide *Syſtema* eius *intellectuale p. 317* edit. Anglic. Verba *Charemonis*, a *Porphyrio* allata, in *Epiſtola ad Anebonem*, quæ *Jamblichi* de Myſteriis Aegyptiorum libris præfixa eſt, *p. 7* ita ſonant: *Charemon, aliique multi, nihil quidquam agnoſcunt, ante mundum hunc adſpectabilem, nec alios Aegyptii, in ipſis ſcriptorum ſuorum exordiis, ponunt Deos, præter vulgo dictos Planetas, & Zodiaci ſigna, & Stellas ſimul cum his in conſpectum venientes, & ſectiones Decanorum & horoſcopos. — Quippe videbat enim, qui, Solem univerſi architectum eſſe, dicerent, ab illis non ea tantum, quæ ad Oſiridem Iſidemque pertinent, ſed etiam quicquid ſacrarum fabularum erat, partim in Stellas, & earum conſpectus, occultationes, occurſusque, devolvi, partim in Lunæ, modo creſcentis, modo ſeneſcentis, varietatem, partim in Solis curſum, vel in nocturnum,*

num, vel in diurnum hemiſphærium, vel in Nilum fluvium, cuncta denique in res naturales, nihil in naturas corporea mole carentes, viventesque, conferri. Alia, quæ ibi ſequuntur, ne prolixior ſim, nunc omitto. Quis negaverit, hæc eſſe inprimis luculenta? præſertim ſi memoria repetierit, ea a Sacrorum in Aegypto Scriba, qui ſe rerum Aegyptiacarum oppido peritum ubique oſtendit, profecta eſſe. Quando vero vir ille doctus, qui, *Charemonem* de materialismo Aegyptiorum teſtari, nobis ultro largitur, ſibi nobisque perſuadere annititur, id eſſe unicum alicuius momenti teſtimonium, quod de tali Aegyptiorum doctrina exſtet, in eo ab eius ſententia diſcedere cogor. Sunt omnino alia, eaque nec pauca, nec ponderis leviſſimi, quæ teſtimonium *Charemonis* magnopere confirmant. Eorum nonnulla afferemus.

V. *Herodotus*, Scriptor vetuſtiſſimus, ex relatione Sacerdotum Aegypti, quibus paſſim uſus erat familiariter, memoriæ prodidit, tres ab Aegyptiis conſtitui Deorum ordines, interque hos omnium maximos & præcipuos eſſe numero octo, quos primos vocitent, octo hos ſubſecutos eſſe duodecim alios, & ex his deſcendiſſe reliquos, *Lib. II Cap. 46 & 145.* Si, quod ego hic auguror, dicere licet, per octo primores Deos, arbitror, deſignatos fuiſſe ſeptem ita dictos Planetas, & ætherem puriſſimum igneum, qui omnium eorum orbes ſuperat & ambit. Per duodecim minores, autumo, ſignificata fuiſſe duodecim Zodiaci ſigna. Sed hoc aliis diiudicandum

dum iam relinquo. Certum eſt; doctrinam Aegyptiorum de octo maximis Diis non ab omnibus eodem modo explicatam fuiſſe. Plerique videntur credidiſſe, conditores Theologiæ Aegyptiorum, dum octo Numina ſuprema conſecrarunt, in animo habuiſſe elementa corporum, & corpora iſta, quæ ex illis, omnium prima, in mundo orta ac perfecta fuerunt, reliquisque præferenda ſunt. In Inſcriptione vetuſtiſſima, quæ *Saturni* & *Rhea* eſſe perhibetur, quamque in Obſervatione de *Athor* § II ex *Theone* Smyrnæo deſcripſi, octo illi Dii his nominibus inſigniuntur, *Spiritus*, per quem intelligi poteſt Aer, aut etiam Aether ſupremus, *Cœlum*, *Sol*, *Luna*, *Terra*, *Nox*, *Dies*, & *Amor*. Equidem antiquitatem illam Inſcriptionis huius, quam *Evander* & *Theo* illi tribuunt, mihi maiorem in modum ſuſpectam eſſe, non diffiteor; at, quisquis tamen eam conſcripſit, placita certe veterum Aegypti Philoſophorum & Theologorum hic conſuluiſſe exiſtimandus eſt. In verſibus *Orphicis*, quos loco eodem attuli, octo illa maiorum gentium Numina hunc in modum enumerantur, *Ignis*, *Aqua*, *Terra*, *Cœlum*, *Luna*, *Sol*, *Phanes*, & *Nox*, ubi ordo videtur obſervatus fuiſſe inverſus & retrogradus. Plura, eandem in rem allata, videri poſſunt *loc. cit.* quæ omnia ex doctrina illa Aegyptiorum, quam *Herodotus* a Sacerdotibus illius gentis auditam, nobiscum communicavit, ſi quid recte iudico, dimanarunt. Ex eodem etiam fonte fluxiſſe credo, quod *Seneca* alicubi docet, Aegyptios octo numeraſſe elementa.

Ver-

Verba eius hæc ſunt *Natur. Quæſt. Lib, III cap. 14*: *Aegyptii quatuor elementa fecere: deinde ex ſingulis bina, marem, & foeminam. Aerem marem indicant, qua ventus eſt: fœminam, qua nebuloſus & iners. Aquam virilem vocant mare: muliebrem omnem aliam. Ignem vocant maſculum, qua ardet flamma: & fœminam, qua lucet innoxius tactu. Terram fortiorem marem vocant, ſaxa cauteſque: fœminæ nomen aſſignant huic tractabili ad culturam.* Utrum in his *Seneca* ſinceram & genuinam vetuſtiorum in Aegypto Philoſophorum ſententiam fideliter expreſſerit, contendere cum nemine auſim. Id vero tuto ſatis colligimus, Aegyptios admiſiſſe octo rerum elementa & principia, quippe quod cum tot aliis meliorum Scriptorum teſtimoniis fide dignis conſpirat, etſi doctrinæ huius explicatio, ſucceſſu temporis, non uno modo, incruſtari adque adulterari potuerit. Poſſunt hæc forte illuſtrari ex doctrina *Orphei*, quæ, ſi genuina eſt, ex Aegyptiorum fontibus originem ducit. Illam autem Auctor minime ſpernendus *Recognitionum Clementinarum* nobis talem repræſentat *Lib. X Cap. 30*: *Orpheus igitur eſt, qui dicit, primo fuiſſe chaos ſempiternum, immenſum, ingenitum, ex quo omnia facta ſunt: hoc ſane chaos non tenebras dixit eſſe, non lucem; non humidum, non aridum; non calidum, non frigidum, ſed omnia ſimul miſta, & ſemper unum fuiſſe informe; aliquando tamen, quaſi ad ovi immanis modum, per immenſa tempora effectum, peperiſſe, ac protuliſſe, ex ſe duplicem*

quon-

quandam ſpeciem, quam illi maſculo-fœmininam vocant; & contraria admiſtione huiusmodi diverſitatis ſpeciem concretam: & hoc eſſe principium omnium (nempe activum), *quod primum ex materia puriore proceſſerit, quodque procedens diſcretionem quatuor elementorum dederit; & ex duobus, quæ prima ſunt, elementis fecerit cælum, ex aliis autem terram; ex quibus iam omnia participatione ſui invicem naſci dicit & gigni.* Adſunt hic quatuor elementa, adeſt principium maſculo-fœmininum, quod ea diſcernit, & cum eis, ut videtur, virtutem maſculo-fœmininam communicat. Ad octonarium illum, ſacrumque Ægyptiorum numerum, ut nunc redeam, facit eius quoque mentionem *Jamblichus*, qui tamen, quod eruditi iam dudum obſervarunt, dogmatibus Ægyptiorum ſomnia Pythagoræorum & Platonicorum recentiorum, quibus totus imbutus erat, continuo admiſcet, eaque pro vera & antiqua Ægyptiorum ſapientia nobis venditat. Verba eius, quæ id, quod dixi, liquido confirmant, hæc leguntur in Lib. *de Myſteriis Aegypt. Sect. VIII Cap. 3:* Ἔϛι δὴ ἐν καὶ ἄλλη τις ἡγεμονία παρ' αὐτοῖς τῶν περὶ γένεσιν ὅλων ϛοιχείων, καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς δυναμέων, τετλάρων μὲν ἀρσενικῶν, τετλάρων δὲ θηλυκῶν, ἥν τινα ἀπονέμȣσιν ἡλίῳ. Καὶ ἄλλη τῆς Φύσεως ὅλης τῆς περὶ γένεσιν ἀρχῆς, ἥντινα σελήνῃ διδόασιν. *Eſt & alius Principatus apud illos, qui reſpicit elementa tota, per quæ generatio perfici-*

tur, virtuteſque eorum; nam quatuor maſcula, totidemque fœminina, ſunt, hunc Soli tribuunt, & alius Principatus totius naturæ, generationem producentis, quem Lunæ aſſignant.

VI. Sed nec alia teſtimonia deſunt, quæ id, quod hactenus adſtructum ivimus, ſine ambagibus, aperte & luculenter evincant. Talem certe Ægyptiorum Theologiam mente ſua concepit *Euſebius*, ſcrutator omnis antiquitatis, non diligens magis, quam iudicioſus & inprimis peritus, cuius verba ex *Præparat. Ev. Lib. III Cap. 9* hæc appono: *Ea porro Ægyptiorum doctrina fuit, ex quibus, uti ſuam Orpheus Theologiam hauſerat, ita Mundum utique Deum eſſe voluit, ex pluribus Diis, tanquam ſui partibus, (nam, ipſas quoque mundi partes Deorum in numero ab ipſis repoſitas fuiſſe, antea demonſtravimus,) compoſitum & conſtitutum.* In eundem ſenſum Auctor is ipſe in eodem Commentario *Lib. I Cap. 6* ita ſcripſit: *Phœnices quidem & Ægyptios omnium primos, Soli, Lunæ, ac Stellis, divinitatem tribuiſſe, vulgatum eſt, iisque ſolis rerum omnium ortus interitusque cauſam aſſignaſſe.* Non aliter de Theologia Ægyptiorum iudicat *Diogenes Laertius* in Prooemio hiſtoriæ *de Vitis Philoſophorum §. 11: Ægyptiorum Philoſophia de Diis talis eſt. Materiam fuiſſe principium rerum: ex ea deinceps quatuor elementa diſcreta, perfectasque quasdam animantes; Solem ac Lunam Deos eſſe, alterumque Oſirin, alteram Iſin, appellatos.* In hoc Theologiæ Ægyptiacæ compendio nulla Mens

æterna

æterna divina uſpiam compareat. Sola Materia principatum obtinet. Nec profecto ab his diſſentit *Plutarchus*, in cuius tamen auctoritate *Cudworthus* non leviſſimum ſententiæ ſuæ robur collocat. In libro *de Oraculorum defectu p. 429*, aliquem *λόγον ἱερὸν, fabulam ſacram*, Theologiæ Ægyptiorum mythicæ ſic exponit: *Rheam*, (quæ ab *Athor* non differre exiſtimanda eſt,) *Ægyptii fabulantur quinque Deos peperiſſe, ænigmatice innuentes ortum quinque Mundorum ex una Materia.* Non ignarus ſum, fabulam hanc eandem, a *Plutarcho* noſtro, in ſenſum plane alium explicari, in libro *de Iſ. & Oſir. p. 355*, quibus ſimilia leguntur apud *Diodorum Lib. I p. 13* edit. *Wechel.* Nam, *Plutarchum* non ſemper ex fontibus æque limpidis hauſiſſe, quæ nobis offert, ſatis novimus. Quinque illos Deos, quos ex una materia, ſecundum Ægyptios, ortos fuiſſe, *Plutarchus* literis prodidit, *Diodorus Siculus*, ex aliorum Sacerdotum traditionibus, hunc in modum interpretatur *Lib. I p. 11*, ubi ex Ægyptiorum placitis refert, *totum Naturæ univerſæ corpus Sole & Luna conſummari, cuius partes iam indicatæ* (quinque) *ſunt ſpiritus, ignis, ſiccitas* (ſive terra), *humor* (vel aqua), *& aerea tandem natura. E quibus, ut in homine caput, manus, pedes, & alias partes, numeramus, eodem modo corpus Mundi conſiſtat. Horum unumquodque pro Deo habitum, propriam, ſibique congruam, appellationem accepiſſe.* Et *p. 12* hæc addit: *Tradunt præterea, quinque illos Deos totum orbem peragrare; & nunc ſacrorum ani-*

malium formis indutos, nunc in hominum ſpecies converſos, mortalium ſeſe oculis exhibere. Adde *Euſebium Præpar. Lib. III. Cap. 2, 3,* ubi hæc auctoritate *Manethonis*, Sacerdotis Ægyptii, confirmat. Ceterum, quod hic tradidiſſe *Diodorum* vidimus, illis conſonat, quæ *Porphyrius*, ſupra *§. III.* allatus, ex doctrina Ægyptiorum obſervavit, naturam divinam homines omnes & animalia quoque pervadere, & in illis habitare. Hinc iam lux *Plutarcho*, cuius ex *Sympoſ. Lib. VIII Cap. I p. 718* verba Græce adſcribo, quia medela aliqua critica indigent: ὅλως ἄῤῥενι θεῷ πρὸς γυναῖκα θνητὴν ἀπολείπουσιν ὁμιλίαν· ἀνάπαλιν δὲ ουκ ἂν οἴονται θνητὸν ἄνδρα θηλείᾳ θεῷ, τόκου καὶ κυήσεως ἀρχὴν παράσχειν, διὰ τὸ τὰς θυσίας (ita nullo plane ſenſu legitur in editionibus, quas evolvi, Baſileenſi, *Stephaniana*, & Pariſienſi, Græcolatina, pro quo citra dubium legendum eſt οὐσίας,) τῶν θεῶν ἐν ἀέρι καὶ πνεύμασι, καὶ τισὶ θερμότησι καὶ ὑγρότησι τίθεσθαι. Quæ ſic verto: *Ægyptii omnino Deo mari cum mortali fœmina concedunt conſuetudinem: viciſſim vero non exiſtimant, marem hominem, fœminæ Deæ partus fœtusque principium poſſe præbere, eo quod eſſentias Deorum, in aere, ventis, caloribus, humoribusque, certis locent.* Non inficias eo, *Plutarchum*, in libro *de Iſide & Oſiride*, nonnunquam his contraria adſtruere, verum id non facile quemquam morabitur, qui memoria revolverit, Auctorem hunc non ſemper ex fonti-

bus

bus puris & certis ſua haurire, & inprimis id cogitaverit, Philoſophum noſtrum librum *de Iſide & Oſiride*, inſcripſiſſe *Clea*, quam *p. 364* ait eſſe *Thyadum Delphicarum Principem, & a Patre ac Matre Oſiriacis conſecratam ſacris.* In eius itaque gratiam omnia undecunque conquiſivit, ſæpenumero invita veritate, unde dogmatibus & religioni Ægyptiórum aliquam ſublimitatis, ſapientiæ, & ſanctitatis, ſpeciem conciliare poſſet. Alia huius generis lubens prætereo, ut iam ad præcipuum Diſſertationis huius caput accedere poſſim.

VII. Si omnia & ſingula, quæ pro firmanda ſententia ſua *Cudworthus* in medium attulit, quæque dictis a me e diametro adverſantur, pro merito curate expendere vellem, opus ad id eſſet peculiari & prolixa ſatis Diſſertatione. Verum nunc id potius agam, ut ſententiam, quam vir egregie doctus pro virili ornavit, cum ea, quam ego hic adſtruxi, amice conciliem. Nam, etſi argumentis omni exceptione maioribus confici poſſit, Numina, quæ Ægyptus cœca magna quondam religione conſecrata adoravit, *Oſirin*, *Iſin*, *Bubaſtin*, *Horum*, *Harpocratem*, *Athor*, *Ammonem*, *Anubim*, & reliqua, fuiſſe materialia, Cœlum, Terram, Aquam, Solem, Lunam, Aſtra, horumque in mundo effectus adſpectabiles, & conſpicuas in natura rerum viciſſitudines, negari tamen quoque non poteſt, vetuſtiores gentis illius Philoſophos, materiæ, & toti rerum naturæ, præfeciſſe Mentem, ex cuius potenti nutu, operationes reliquorum Deorum,

quos vulgus adorabat, penderent, Mentem, quæ omnia decerneret, omnia ordinaret, omnia gubernaret. Qua in re convenientiam multiplicem & notabilem, inter doctrinas Ægyptiorum, & Stoicorum placita, non poſſum non agnoſcere. Doctrinam Stoicorum de origine rerum, * Vir quidam, merito ſuo celeberrimus, haud ita pridem vere & fideliter delineavit, ex qua delineatione huc transferam, quae ad inſtitutum meum facere ſentio:

I. *Antequam aliquid erat, erat Chaos, ſive ſtatus rerum confuſus & tenebricoſus. Status ille rerum exhibebat materiam, quæ eſt rerum omnium qualitatibus indutarum, ſeminaliumque rationum, receptaculum, & Eſſentia, ſive Natura, ſuo principio quaſi gravida.* Hæc eſt, ut id addam, Ægyptiorum *Athor*.

II. *Chaos illud ordinatum, inque adſpectabilem formam emergens, Mundus eſt, & Natura.*

III. *Eſt vero Natura, ſive Mundus, totum illud, ex quo conſtant, quodque comprehendit omnia.*

IV. *Totum hoc, in quo omnia continentur, & unum eſt, & partes ſunt omnia illius atque membra.*

V. *Sunt vero in hoc uno & toto Principia, quæ ab elementis diſtinguenda ſunt, duo, efficiens & patiens. Et patiens quidem, materia eſt qualitatis exſors, efficiens autem, ratio, quæ in ipſa eſt, ſive Deus.*

VI.

* *Bruckerus* in *Hiſtor. Philoſ. Tom. I p.* 921 &c.

VI. *Cauſa efficiens, ſive Deus, eſt puriſſimus ac liquidiſſimus æther, ignisque artificialis, habitans in extrema Cæli circumferentia, in qua divinum omne fixum locàtumque eſt.*

Iſta autem omnia cum placitis Ægyptiorum veterum mirifice conſonare, hæc, ut opinor, obſervatio, & antecedens de *Athor*, multis módis teſtatum fecit. Unum adhuc ſupereſt, ut luculentius & diſtinctius oſtendam, Ægyptios, quod & fecerunt Stoici, cum Materia, in ipſo adeo Chao, coniunxiſſe Principium activum, Mentem, quæ primum res omnes inter ſe commiſtas ſecrevit, deinde corpora formavit, ac poſthæc toti rerum Naturæ præeſt, ómnia decernendo, omnia ordinando, omnia gubernando. In eo igitur evolvendo nunc verſabitur opera noſtra.

VIII. Quæ veteres, ex doctrina Sacerdotum Ægypti, de Κνὴφ ingenito referunt, ad hoc meum argumentum, quod nunc perſequor, ſpectare, cenſeri jure poſſunt, & a *Cudwortho* opportune obſervata ſunt *p. 352* edit. Londin. (non, ut vitio editum eſt, *412*). Verum de eo Numine, quæ ſentio, forte alias pluribus & accurate exponam. Eodem referri poſſe videntur hæc *Horapollinis*, cui ego quidem non ſemper fidem habeo, ſed qui tamen *Lib. I Cap. 13* aliquid, de Ægyptiis memoriæ prodidit, quod certe peregrinum quid, &, uti vero diſſimile non eſt, Ægyptiorum filiis proprium ac peculiare, ſonat: Θεὸν ἐγκόσμιον σημαίνοντες - - - - - ἀσέρα ζωγραφῦσι, ἐπειδὴ πρόνοια θεῦ τὴν νίκην προστάσσει, ἧ τῶν ἀσέρων, καὶ τῦ παντὸς κόσμυ

 κινη-

κίνησις ἐκτελεῖται. Deum in mundo præſentem ſignificaturi, ſidus pingunt, quod Dei providentia victoriam decernit atque imperat, qua Siderum Orbisque univerſi motús peragitur. Ecce tibi *Horapollinem*, Deum a Mundo diſtinguentem, & Diis materialibus, qui Mundum conſtituunt, præficientem. Et iuvat omnino, verbis hiſce *Horapollinis* ſubiungere obſervationem ingenioſam viri eruditiſſimi, cuius diligentiæ poſtremam Auctoris illius editionem debemus, *Joannis Cornelii de Pauw: Hac notes; Totum hoc Univerſum Circus eſt, in quo immenſa corpora cœleſtia cūm omnibus aliis inter ſe curſu certant. Huic certamini praeſt Deus ἐγκόσμιος, qui victores declarare, & victoria præmia diſtribuere, poteſt ſolus. Illa ipſa autem ſpes victoriæ eſt, quæ facit, ut ſidera & orbis univerſus, in partibus ſuis, celerrime, & abſque ulla intermiſſione, ſe continue moveant. Hoc ſibi volunt illa, de quibus alii, quantum memoria repeto, ne hilum. Quare notandum eſt, ut dixi, hoc Ægyptiorum dogma ſingulare. Ægyptiorum quoque inſtitutioni deberi, mihi perſuadeo, quod, teſte* Cicerone de Nat. Deor. Lib. I Cap. 10, Thales Mileſius, qui *inter Græcos* primus de talibus quæſivit, aquam dixit eſſe initium rerum: Deum autem eam Mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret. Thaletem *diſciplina Ægyptiorum uſum fuiſſe, veteres omnes magno conſenſu affirmant. Sed hanc ipſam illius doctrinam, aquam eſſe initium rerum, dimanaſſe ex fontibus Ægyptiorum,*

&

& videri Thaletem *ab his eam accepiſſe*, *conceptis verbis monet* Simplicius *in* Ariſtot. de Cœlo Lib. II pag. 127. a.

IX. Sed rem altius ab origine repetamus. Exhibui §. *V* doctrinam *Orphei*, ab additamentis recentioribus Platonicorum & Pythagoræorum defæcatam, eoque, ut exiſtimo, genuinam, quæ proinde Ægyptiam habet originem, & antiquiſſimam Sacerdotum illius gentis doctrinam nobis refert. Ex ea quædam hic mihi repetenda erunt. Docuit nempe *Orpheus*, *primo fuiſſe Chaos ſempiternum*, *informe*, *unum*: aliquando vero Chaos illud, *ad ovi modum & effectum*, *peperiſſe ex ſe duplicem quandam ſpeciem*, *maſculo-fœmininam*, *& hoc eſſe Principium omnium*, *quod primum ex materia puriore proceſſerit*, *& procedens diſcretionem quatuor elementorum dederit*, *& ex duobus primis elementis fecerit cælum*, *ex aliis autem terram*. Fabulæ iſtius, rudi admodum penicillo adumbratæ, hic videtur fuiſſe ſenſus: Ab omni æternitate Mentem cum Materia coniunctam fuiſſe, in aliquo immenſo Chao, Mentem vero Chaos ſenſim in formam ovi redegiſſe, atque tum virtutem ſuam manifeſtaſſe, elementa diſcernendo, ex illis cuncta creando, habuiſſe autem Mentem naturam maſculo-fœmininam, id eſt, in ſe habuiſſe rationes totius naturæ, & qua agit, & qua patitur. Et doctis notum admodum eſt Ovum *Orphicum*. Originem vero fabulæ huius ſapientibus Ægyptiorum in acceptis ferendam eſſe, etiam ex *Euſebio* colligi recte poteſt, etſi fabulam illam, quod nemini mirum

videri debet, additamento quodam recentiori auctam, ſic nobiſcum communicaverit *Præpar. Lib. III Cap. XI p. 115: Ægyptii Opificem univerſi, quem Kneph appellant, humana ſpecie configurarunt. — Hunc porro Deum ex ore ovum edidiſſe, narrant, ex eoque alium ſatum eſſe Deum, qui ab ipſis Phtha, Vulcanus a Græcis, nominetur. Ovum autem illud Mundum interpretantur, eique Numini ovem conſecrarunt.* *Euſebius* hic, uti dixi, nobis priſcum dogma Sapientum Ægypti, ſed nova acceſſione a Pythagoræis & Platonicis Philoſophis interpolatum, obtulit. Nam ovo *Orphico*, ex quo proceſſit Principium maſculo-fœmininum, aliud ſuperaddit Principium, Ovo prius, nempe Kneph, qui fuerit verus Mundi Opifex. Alii, hac acceſſione nondum contenti, illi alias etiamnum addiderunt, ut hac ratione venerabilem tum cunctis gentibus doctrinam Ægyptiorum ſomniis ſuis accommodarent, & his canæ vetuſtatis ſpeciem conciliarent. Integram & plane novam huiusmodi Deorum, quibus originem ſuam debet mundus materialis, genealogiam contexuit *Jamblichus de Myſteriis Ægypt. Sect. VIII Cap. 3*, in quibus *Kneph*, ſive, uti in Codicibus eius ſcribitur, *Emeph*, & *Phthas*, id eſt, *Vulcanus* locum etiam invenerunt. Candide fatetur Scriptor hicce, ſe genealogiam illam depromſiſſe ex libris Hermeticis, quorum fides omnis, apud peritos huiusmodi rerum iudices, iam pridem decoxit, & qui non niſi ex Philoſophorum Pythagoræorum & Platonicorum, vel etiam Chriſtianorum Gnoſticorum, cerebro, in lucem

lucem exierunt; ſed addit tamen, Deos iſtos ſic enumerari κατ' ἄλλην τάξιν, *ſecundum alium* (non conſuetum, ſed recentius confictum,) *ordinem*. Vetus Philoſophia *Orphica*, quæ a priſca Niligenarum ſapientia non differt, Principium agnoſcit unicum ἀῤῥενόθηλυ, *maſculo-fœmininum*, a quo omnia ordinata & condita ſint. Ægyptios illud Principium, quod ex Ovo omnium primo prodiit, lingua ſua vernacula dixiſſe *Phtha*, illudque Græcos interpretari *Vulcanum*, ex *Euſebio* intelleximus. Et profecto Ægyptios de *Vulcano* ſuo, ſive *Phtha*, perhibuiſſe, quod ſit ἀῤῥενόθηλυς, *maſculo-fœmininus*, conceptis verbis teſtatur *Horapollo Lib. I Cap. 12*. Quodſi autem præterea antiqua Ægyptiorum monumenta, & linguam gentis illius, ad explicandum Numen iſtud, in conſilium adhibeamus, dubium, uti ſpero, ſupereſſe nullum amplius poterit, quin Ægyptii per *Vulcanum* ſuum Mentem illam deſignare voluerint, qui primitus Mundum condidit, cuiusque decreto, ordinatione, & gubernatione, nunc omnia in Mundo fiunt.

X. Numen illud, de quo loquimur, Ægyptios ſermone patrio ſcripſiſſe & pronuntiaſſe *Phthas*, Græcos vero interpretatos eſſe *Vulcanum*, multi ſunt, qui teſtentur. *Euſebium* id nos docere, modo intelleximus. Omnium optime *Suidas*: Φθᾶς ὁ Ἥφαιστος παρὰ Μεμφίταις. *Phthas. Hoc nomine Vulcanus colitur a Memphitis* in Ægypto. Meminit eiusdem *Cicero*

Lib.

Lib. III de Nat. Deor. Cap. 22, niſi quod corrupte illic legatur: *Secundus Vulcanus in Nilo natus, Opas, ut Ægyptii appellant, quem cuſtodem eſſe Ægypti volunt.* Quo loco tamen pro *Opas*, voce nihili, legendum eſſe *Phthas*, viri eruditi jam dudum monuerunt. De eodem Auctor *Clementinorum Homil. IX* §. 6 p. 681 edit. *Cotelerii* hæc habet: Αἰγύπτου δὲ ὁμοίως πράξαντες, καὶ τὸ πῦρ ἰδίᾳ διαλέκτῳ * φθὰς καλέσαντες, ὃ ἑρμηνεύεται ἥφαιστος. *Ægyptii idem fecerunt, atque ignem lingua ſua Phthas appellarunt, quod idem eſt ac Vulcanus.* Quando Auctor hic ſcribit, *Phthas idem eſſe ac Vulcanum*, communem Græcorum morem ſequitur. Ubi vero addit, *Phthas* Ægyptiis quoque dici *ignem*, imponi ſibi paſſus eſt. Quemadmodum enim neque Græcis Ἥφαιστος, neque Latinis *Vulcanus*, *ignem* proprie ſignificat, etſi Numen illud igni præfecerint; ita nec φθὰς Ægyptiis *ignem* ſonat, licet in Phtha naturam igneam agnoverint. *Jamblichus* etiam *de Myſt. Ægypt. Sect. VIII Cap.* 3, loquens de Opifice Mente, cui varia ab Ægyptiis nomina tributa eſſe affirmat, de *Phtha* noſtro hæc ſcribit: Συντελῶν δὲ ἀψευδῶς, ἕκαστα καὶ τεχνικῶς φθὰ λέγεται κατὰ τὴν τῶν Αἰγυπτίων γλῶσσαν. Ἕλληνες δὲ εἰς Ἥφαιστον μεταλαμβάνουσι τὸν φθὰ, τῷ τεχνικῷ μόνον προσβάλλοντες. *Quatenus vero* Opifex Mens *perficit omnia, ſumma cum veritate*

* Secutus ſum emendationem *Cotelerii*, nam in textu perperam legitur φθαέ.

tate & arte, vocavit eum Ægyptii Phtha, (dicendum fuiſſet *Phthas*,) *Græci vero hunc Phtha nominant Vulcanum, ſolam artem in eo conſiderantes.* Ægyptii, qui nomina gentis ſuæ propria a Diis frequenter deſumere ſolebant, non raro etiam ab iſto *Phtha* regibus ſuis cognomina indiderunt. In *Eratoſthenis* Catalogo regum Thebæorum *num. XXIX* occurrit *Χομαεφθὰ*, vel, uti ſcribendum ibi eſſe, * alio loco monui, *Χωμαεφθὰς*, quod *Eratoſthenes* interpretatur, *Mundum Vulcani amantem*, idque ſermone Ægyptiorum vox hæc re ipſa ſonat. Itidem *num. XXXV* legitur: *Σιφωὰς ὑὸς Ἡφαίστου*, unde legendum eſſe, iam ** olim obſervavi, *Σαφθὰς*, id Ægyptiis eſt *Vulcanides*, *ὑὸς Ἡφαίστου*.

XI. Videndum nunc, quid de hoc ſuo *Phtha*, vel *Vulcano*, Ægyptii tradiderint. Ubi tamen, cum traditiones Ægyptiorum, per Græcorum utplurimum manus, ad noſtras pervenerint, etiam atque etiam attendendum eſt, an non forte interpolatæ & adulteratæ ab ipſis fuerint, quod eos cum alias perſæpe, tum etiam in tradenda nobis doctrina Ægyptiorum de ſuo *Phtha* ſigillatim, feciſſe, ipſe *Jamblichus*, cuius verba dedi §. *X*, nos monuit. Quod ſi igitur doctrinam *Orphicorum* antiquiſſimam cum illa Ægyptiorum traditione, quam nobis *Euſebius*, etſi pauliſper incruſtatam, conſervavit, (vid. §. *IX*) inter ſe conferamus, intelligemus facile, *Phthan*

ex

* In *Annotat. ad* illum *Catalog.* in *B. Vignolii Chronol. Sac. Tom. II p. 760.*

** *Ibidem p. 763.*

ex ſententia Ægyptiorum eſſe Mentem illam Opificem, quæ Chaos tenebricoſum primo in formam ovi compegit, deinde vero ex Materia, quam Chaos complectebatur, res omnes creavit, atque ex tenebris in lucem protraxit. Ita Orientales de creatione mundi loquuntur, quod, ſi ſola tantum verba ſpectes, a dictione, qua *Paulus* utitur *Hebr. XI, 3,* non valde abludit. Accedit, quod *Orpheus* Opificem ſuum, qui ex ovo prodiit, nobis ut maſculo-fœmininum depinxerit, & quod id ipſum de ſuo *Phtha* Ægyptii pariter memoriæ prodiderint, cuius fabulæ, uti dixi §. *VIII*, non alius, quam hic, videtur eſſe ſenſus arcanus, quod Opifex in ſe rationes habuerit rerum omnium, & totius Naturæ, tum qua agit, tum qua patitur. Ænigmaticus hic & ſymbolicus, de Opifice totius Univerſi, conceptus gentibus Orientalibus cunctis mirifice placuit, eiusque luculenta veſtigia, in doctrina Brachmanum Indiæ, hodieque ſuperſunt, qua de re alias plura forte diſſerendi locus erit. Ceterum Opificis virtutem & poteſtatem, de qua nunc loquimur, *Jamblichum* quoque in Phtha Ægyptiorum agnoviſſe, obſervatum iam fuit §. *X.* Et neſcio, an non aliquo modo ex Theologia Ægyptiorum defluxerit fabula allegorica, ſed quam, ideis Platonicæ Philoſophiæ omnino auctam, *Proclus* affert *Lib. III in Timæum Platonis p. 163 fin.*: Διὸ καὶ τὸν Ἥφαιςον ἔσοπτρόν φασι ποιῆσαι τῷ Διονύσῳ εἰς ὃ ἐμβλέψας ὁ θεὸς, καὶ εἴδωλον ἑαυτȣ̃ θεασάμενος, προῆλθεν

εἰς ὅλην τὴν μεριςὴν δημιουργίαν. Ideoque Vulcanum aiunt ſpeculum confeciſſe Baccho, (ſic Græci *Oſiridem* Ægyptiorum, ubi de eo loquuntur, ſolent nuncupare,) *in quod Deus hic intuitus, atque imaginem ſuam contemplatus, ad ſpeciale & particulare rerum omnium opificium proceſſit.* Eſt in hac fabula neſcio quid Ægyptiaci, quantumvis Græci ideas, mundumque intelligibilem, *Platonis* & Platonicorum, illi aſſuerint. Quia igitur veteres Ægyptiorum Philoſophi in *Vulcano* ſuo cauſam rerum omnium primam, intelligentem, & efficientem, venerati ſunt, hinc eſt, quod eum, non ſecus atque Græci Iovem ſuum, ut patrem, non modo hominum, verum & Deorum, celebraverint. Certe in Obeliſco antiquiſſimo Heliopolitano, Romam poſtea delato, literis hieroglyphicis conſignato, cuius interpretationem Græcam, ab *Hermapione* adornatam, *Ammianus Marcellinus Hiſtoriæ* ſuæ *Lib. XVII* ex parte inſeruit, de Rameſte legebatur *p. 102* edit. *Lindenbrog.*: Ὃν Ἥφαιςος, ὁ τῶν θεῶν πατὴρ, προέκρινεν. *Quem Vulcanus* (Phthas) *Pater Deorum prætulit.* Pſeudo-*Calliſthenes* in Fragmento *hiſtoriæ de vita Alexandri M.* apud *Fabricium Bibl. Græc. Vol. XIV p. 149* Deum hunc vocat προπάτορα τῶν θεῶν, *avum & progenitorem Deorum.* Equidem non nego, *Calliſthenem* hunc ſuppoſititium, ſcriptorem eſſe fabuloſum, & fide indignum. Sed, ſi tamen ex Fragmentis pauculis, quæ viri docti nonnulli vulgarunt, tanquam ex ungue leonem, diiudicare licet,

dicere

dicere non verebor, eum ſe rerum Ægyptiacarum bene gnarum & peritum oſtendiſſe.

XII. Ad *Vulcanum* Ægyptiorum ut redeam, perhibebant de eo Sacerdotes in Annalibus ſuis ſacris, quod omnium primus in Ægypto regnum tenuiſſet. Ita *Diodorus Lib. I p. 13: Sacerdotes Vulcanum primum regem dictitant.* Sic & Auctor *Clementinorum Homil. IX §. 6.* Sed, quæ Auctores hi & alii de regno *Vulcani* in Ægypto literis prodiderunt, intelligenda ſunt de regno Deorum fabuloſo & allegorico. Hoc Deorum regnum, in Dynaſtiis *Manethonis*, conficit Dynaſtiam primam, in qua regnarunt, omnium primus *Vulcanus*, mox *Sol*, filius eius*, & ſic porro alii Dii. Diis his *Manetho* cuique ſuos aſſignavit annos; ſed qui manifeſto referendi ſunt ad Cyclos, quibus in calculis Aſtronomicis & Chronologicis utebantur Aegyptii, quod pulchre demonſtravit magnus Chronologiæ veteris, ſacræ & exoticæ, inſtaurator, *Joh. Alph. Vignolius*, in præſtantiſſimi Operis *Tomo II p. 656.* Significatur itaque Dynaſtia illa, tempori in univerſum, & Diis illis materialibus, quibus ordo temporum iuſtus, æquabilis, & conſtans, in acceptis ferendus eſt, præeſſe *Vulcanum.* Obſervatu dignum eſt, quod de regno illo Deorum, eiusque duratione, præmittit

* Etenim apud Ægyptios *Vulcanus* habebatur Pater Solis, quod hic teſtatur *Manetho*, ſed & *Cicero de Nat. Deor. Lib. III Cap. 21*, *Arnobius Lib. IV pag. 135*, & *Ampelius* in libro *Memoriali Cap. 9*, ubi tamen vitioſe legitur, *tertius Nini filius.* Lege *Nili filius.*

mittit *Manetho* apud *Syncellum p. 51*: Ἡφαίϛε χρόνος ἐκ ἔϛιν, διὰ τὸ νυκτὸς καὶ ἡμέρας αὐτὸν φαίνειν. *Vulcano tempus nullum definitum aſſignari poteſt, eo, quod ille & noctu & interdiu luceat.* Nempe reliqui Dii, qui illic enumerantur, habent ſuas periodos & viciſſitudines. *Sol* diei imperium conſecutus eſt, *Luna* noctis, & ſic porro. At *Vulcani*, Deorum ſupremi, imperium ſemper idem eſt & immutabile.

XIII. Non abs re erit, hoc loco diſquirere, quidnam cauſæ fuerit, quod Græci *Phthan* Aegyptiorum, *Vulcanum* interpretati ſint. Neque poteſt dubitari, quin ad naturam & vim ignis reſpexerint, cui *Vulcanus* Græcorum præfectus erat, & quem, in *Vulcano* ſuo, Aegyptios conſimiliter venerari intelligebant. Ait itaque *Diodorus*, de *Vulcano* Aegyptiorum loquens *p. 11*: *Ignem porro Vulcanum per interpretationem dici, & ipſum magni Dei loco venerandum, qui multa ad cunctorum generationem & exactum incrementum contribuat.* Et *p. 13*: *Sunt tamen inter Sacerdotes, qui Vulcanum primum regem dictitant, ignis inventorem, & beneficio hoc gubernacula regni conſecutum.* Addit ibidem fabulam quandam non illepidam. Paria habet Auctor *Clementinorum*, excitatus jam §. ſuperiori. Sed hi, uti & alii Græci, quod de ipſis *Jamblichus* queritur *Sect. VIII Cap. 3*, Theologiam ſuam patriam cum illa Sacerdotum Aegyptiorum nimis aperte confundunt, & ab igne naturali, quem in *Phtha* Aegyptios veneratos eſſe

conſtat, ad artificialem delabuntur, cuius in Theologia Græcorum mythica, de *Vulcano*, ratio magis habebatur. Genuinam Aegyptiorum Theologiam multo certius redolet, quod ex *Manethone* iam obſervavimus, *Vulcanum interdiu noctuque lucere*, id eſt, fulgere luce perpetua, & non interrupta. Nempe, ut paucis dicam, *Vulcanus*, Mens quippe æterna, Aegyptiis ignis erat ſubtiliſſimus, & puriſſimus æthereus, omnibus Planetarum orbibus ſuperior, ex quo animas avulſas, in terram delabi, & in quem, poſt certum definitum ſpatium, refundi, credebant. Ita Stoici docebant, quorum ſententiam §. *VII* exhibui. Ita docebant quoque Aegyptii, & in univerſum Orientales, quorum hac de re doctrinam etiam in Gnoſticorum placitis deprehendere licet.

XIV. Venio nunc tandem ad interpretationem ipſius nominis Aegyptiaci Φθάς. Eam ultimo loco non citra rationem reſervavi, quoniam ea, quæ hactenus diſputata fuere, non mediocriter confirmabit. Eſt vero interpretatio hæc adeo facilis & obvia, adeo ſe unicuique ſponte & ultro offert, ut, qui mediocres tantum in ſtudio linguæ Aegyptiacæ progreſſus fecit, aberrare hic plane nequeat. Nam Φθάς, vel Coptice ſcriptum ⲪⲐⲀϢ, ſine mutatione ullius literæ qualicunque, ſignificat *definientem, decernentem, ordinantem*. Quando vero Epiſtola ea de re B. *La Crozii* exſtat, qua ſcribens ad me, nomen Φθὰς interpretatus eſt, malo

malo verbis eius, quam meis, negotium hoc iam expedire. Sic autem ille in *Theſauro Epiſt. Tom. III p. 155: ⲪⲐⲀϢ vero, ſive Φθὰς Jamblichi, eſt ordinator, ſive conſtitutor, rerum, unde proverbium Φθᾶς σοι λελάληκε, ironice dictum puto de iis, qui futurorum ſcientiam ſibi tribuebant.* Et pluribus iterum *p. 161: Ipſum vero Φθὰς nihil aliud arbitror, quam Ægyptiacum ⲪⲐⲀϢ, conſtitutor, ſive ordinator, rerum. Vide* Lucæ *Evang.* III, 13. *Actor.* X, 33, 42, XVII, 31. *Convenit vero ea vox cum nomine צבאות Ebraico; hanc enim illius vocis ſignificationem omnes interpretes agnoſcunt in libro* Iobi XIV, 10, *&* VII, 5, *alibique, metaphoricam tamen, ut aiunt, forte vero propriam, cum exercitus tam Hebraice a voce צבא, ordine, dici potuerit, quam διατάξεις & παρατάξεις, Græce, a verbo τάσσω, ordino. Hinc intelligitur, quid ſit apud Suidam Φθάς σοι λελάληκεν, proverbium videlicet Alexandrinum in eos, qui de futuris temere pronuntiant, quaſi diceretur ironice ὁ πάντα διατάσσων σοι λελάληκεν. Qui cuncta decernit atque ordinat, tibi locutus eſt.* Ex his iam facile eſt perſpicere, quidnam hoc nomine Φθὰς Aegyptii ſubinnuere voluerint, quamque vim & poteſtatem Numini ſuo tribuerint. Admittebant quidem Fatum Aſtrologicum, eique res humanas ſubiiciebant; ſed illud ipſum tamen, ex voluntate, decreto, & ordinatione ſupremi Nu-

minis, Φθᾶς nempe, pendere volebant, qua in re doctrina eorum a doctrina Stoicorum differebat, * eaque longe melior erat. Poteſt eo non immerito referri, quod Aegyptiorum fabulæ allegoricæ *Vulcanum*, non modo ut Regem, verum etiam ut Legislatorem, nobis depingant, in *Euſebio* Chronico Græco *Scaligeriano p. 7*, tametſi fabulam illam Græci mirum in modum adulteraverint. Hinc etiam videmus, Aegyptios vetuſtiores omnium rerum eventus, *Vulcano* ſuo, ut ſupremæ cauſæ, in acceptis tuliſſe. In Obeliſco Heliopolitano, cuius mentionem feci §. *XI*, gloria geſtorum regis *Rameſtæ* refertur ad *Vulcanum*, ut qui *eum prætulerit*. Id ipſum quoque ſubindicat hiſtoria illa *Seſoſtris*, quam ex *Diodoro Lib. I p. 49* adſcribo: *Sunt etiam, qui ſcripſere, cum Seſooſis* (vel ſeſoſtris) *naſceretur, patri eius Vulcanum in ſomno viſum prædicere, puerum, iam natum, totius orbis dominium ſibi vindicaturum.* Addi hic poſſunt, quæ Auctor idem refert *p. 53*.

XV. Quamvis vero, ex conſenſu veterum in Aegypto Philoſophorum, *Vulcanus* Deorum omnium eſſet ſupremus & maximus, cuius & imperio, omnibus, ipſisque adeo reliquis Diis parendum eſſet; labentibus tamen annis, honos eius & cultus, ut videtur, frigeſcere ac etiam vileſcere coepit. Niligenæ, in neceſſitates urgentes, & præſentia commoda, intenti, Deorum illorum, a quibus bona exoptata proxime & immediate exſpectabant, *Solis*, *Lunæ*, *Nili*, & ſimi-

* Vide & *Jamblichum Sect. VIII Cap. 4.*

ſimilium, cultui ſe unice conſecrarunt, venerationem vero religioſam æternæ Mentis, in loco, cœlis omnibus ſuperiori, collocatæ, Philoſophis relinquendam eſſe putarunt. *Oſiris*, *Iſis*, *Ammon*, *Horus*, *Nilus*, aliique huius generis Dii, per univerſam Aegyptum templa conſecuti ſunt plurima, & magnificentiæ invidendæ, quorum reliquias & rudera etiam hodie nemo ſine admiratione contemplatur. *Vulcano* templum quidem conſecratum etiam legimus, ſumtuoſum & impenſe magnificum, quod *Herodotus* & *Diodorus* deſcribunt; ſed in unica tantum urbe, Memphi, unde non raro *Vulcanus κατ' ἐξοχὴν Deus Memphiticus* nuncupari ſolet. In honorem reliquorum Deorum, per totum annum, in cunctis Aegypti civitatibus, permultæ celebrabantur ſolennitates religioſæ & lætæ, quarum non paucas commemorat *Plutarchus* in libro *de Iſide & Oſiride*; at non memini, me de Feſto, in honorem *Vulcani* inſtituto, aliquid unquam literis proditum legiſſe. Idem fere dicere poſſis de *Neitha*, *Minerva* Aegyptiorum, Sai, in Aegypto inferiori culta, quam Sacerdotes & Philoſophi veteres, in Aegypto cumprimis inferiori, eodem loco habuiſſe videntur, quo apud Memphitas, & Aegypti ſuperioris incolas, *Vulcanus* fuit. Sed de ea in Obſervatione proxima pluribus differere animus eſt.

V.

IO. IACOBI REISKE LIBELLVS ANIMADVERSIONVM AD ALTERAM EDITIONEM BVRMANNIANAM PETRONII.

Pars II.

Ad p. 185: *Subinde intraverunt duo Æthiopes.*) Ut hodie quidam lautiores homines affectant ſervos Æthiopes habere, quorum vidi aliquos in Belgio, ſic etiam vetuſtis temporibus. Quod præter hunc *Petronii* probat quoque *Theophraſti* quidam locus *Cap. 21:* ἐπιμεληθῆναι ὅπως αὐτῷ ὁ ἀκόλουθος Αἰθίοψ ἔσται. Quo in loco non poſſum non mirari ſimul & deteſtari *Pauwii* impudentiam & ignorantiam, qui ex prava lectione veteris editionis αἰθιόψευται nobis novum, inauditum, & monſtroſum, procudit vocabulum αἰθιοψεύεται. Omnes tales formæ, quantum nunc memoriæ ſuccurrit, in ίζω deſinunt, ut ἑλληνίζω, ῥωμαΐζω, ἑβραΐζω, ἀραβίζω, αἰθιοπίζω. Deinde ab Αἰθίοψ non formatur αἰθιοψεύω (ponamus jam hanc formam ut legitimam), ſed αἰθιοπεύω, ut ab Ἄραψ non ἀραψεύω, ſed ἀραβεύω, non Ἀράψαρχος, ſed Ἀράβαρχος. Certe non putem fuiſſe unquam hominem, neque fore, qui maiore temeritate ad hæc ſacra tractanda illotis manibus acceſſerit, quam Traie-

ctinus

ctinus ille criticaſter. Cuius ſtupor & inſania non poſſunt ſat dignis conviciis exagitari. Adſcripſi porro hic loci in margine mei *Petronii* *Terent. Eunuch. I, 2, 85*. Meretur etiam conferri illud *Alciphronis p. 216*: ἐξ ἐκείνυ τῦ χρόνυ πάντα μοι τἀγαθὰ πέμπων ἐ διαλέλοιπεν, ἐσθῆτα, χρυσεῖα, θεραπαίνας, θεράποντας, ἰνδὰς, ἰνδάς. Indi certe ad Æthiopes pertinent.

Pag. 192: *Vita vinum eſt.*) Id eſt, procurat & prolongat vitam, ut *Apollonius Tyaneus* balnea γῆρας ἀνθρώπων vocat apud *Philoſtr. I, 16, p. 20*, quia ſenectutem accelerant. Vel ea dicuntur hominum vita, quæ vitæ inſtar cara ſunt, quibus ereptis, ad mortem usque affligantur. Ita *Euripides* liberos appellat parentum ψυχὴν *Androm. v. 418*, qui locus a *Philoſtrato* citatur *p. 66*. Comicus Poeta:

τἀργύριον ἐςὶν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς.
ὅςις δὲ μὴ ἔχει τῦτο, μηδ' ἐκτήσατο,
ἕτος τεθνηκὼς περιπατεῖ ζώντων μέτα;

Ita legendus eſt ultimus verſus. Sic etiam *Simonides Fragm. p. 151, 1*, ed. *Wechel.* nivem vino mixtam ζωὴν appellat. Scholiaſtes *Nicandri* ad *v. 53 Theriac.* ait, a quibusdam cedrum appellatam fuiſſe νεκρῶν ζωὴν, διὸ τὲς νεκρὲς ἀσήπτες τηρεῖ, τὸ νοτερὸν καὶ ῥευςικὸν ἐξωθῦσα. Poſſet hoc etiam ad vinum aliquo modo applicari. Conf. *Ariſtoph. Av. v. 587*. Sic *Thucydidi* λήθη eſt pro cauſa oblivionem inducente *II, 44*: τῶν ἐκ ὄντων (ſc. παίδων) λήθη οἱ ἐπιγι-

γινόμενοι ἔσονται, id eſt, ἐποίησουσι λήθην τῶν ὐκ ἔτ' ὄντων.

Pag. 213: *Numos modio metitur*) *Xenoph. H. Gr. III p. 491 ed. Wechel.*: βουλόμενοι οἱ περὶ Ξενίαν, τὸ λεγόμενον, (ut vulgari dicitur proverbio) μεδίμνῳ ἀπομετρήσασθαι παρὰ τοῦ πατρὸς τἀργύριον. Sic legendus ille locus. Ἀχάνας χρυσίου dixit *Ariſtophanes Acharn. v. 108, 109.* Μεδίμνους χιλίους χρυσίου ſibi optat aliquis apud *Lucianum* in *Votis*.

Ibid. *Nec quid, nec quare. In cœlum abiit.*) Id eſt, neminem curat; in ſummo felicitatis culmine ſe poſitum reputans, quo non liceat alteri accedere. Conf. *Salluſt. Catil. 47. Ariſtides T. II p. 153 c. f.* illuſtrabit: εἰ γὰρ - - - μὴ κινήσει μηδένα ἡμῶν μήτε χρεία πατρίδος, μήτε ἑστία πατρῴα - - - μήτ' ἄλλο τῶν ἀνθρωπίνων μηδὲν, ἀλλ' οὕτω φυγῇ φευξόμεθα τὰ πράγματα, καὶ καθεδούμεθα ὥσπερ ἐν μέσῳ τῷ ἀέρι, τῆς γῆς μηδὲν προσαπτόμενοι, οὐδὲ φροντίζοντες οὐδενὸς πράγματος &c.

Pag. 215: *Hac eupatria.*) *Theophr. Charact. ult.* ἡ μήτηρ αὐτοῦ εὐγενὴς Θρᾷττα.

Ibid. *Ubi non putes eſt.*) Ubique eſſe dicuntur οἱ περίεργοι. *Plutarch. II, 439, E.* ed. Francof. πανταχοῦ σὺ ἄρα εἶ; οὐκοῦν παραπόλλυμι τὸ ναῦλον, εἴγε πανταχοῦ εἰμί. Videris mihi tu homo ubique eſſe. Atqui, reſpondet alter, ſi ubique ſum, nullibi debeo dare mercedem incolatus.

Pag.

Pag. 219 debueram *babaeculis* ſervaſſe. Βαίκυλος & βάκηλος idem ſunt. Ex Βαίκυλος factum βαβαίκυλος, ut ex βάζειν factum βαβάζειν. Forte reſtituenda hæc vox *Heſychio* pro βαιὸς in v. ἐνεός. Cogitavi quoque, num *Baeculus* apud *Apuleium IV Metam. p. 327* ſit ſcribendum pro *Babulus*. Sed non urgeo. Poteſt enim a cognato *Babei* derivari, quod eſt nomen ſervile Phrygium, aut Ionicum. Potuiſſet quoque *rutæ* pro *urticæ* retineri, ut ſenſus ſit, rediget eum in anguſtias, quaſi ruta ſymbolum curtæ cuiusque rei ſit. Sed hoc longe petitum. In urticas aliquem coniicere, eſt aliquem tribulare, vexare, affligere, angere. *Theocrit. VII, 110:*

δακνόμενος κνάσσοιο, καὶ ἐν κνίδαισι καθεύδοις.

Item urticis aliquem coronare. *Pherecrates* in *Automolis* apud Scholiaſt. *Ariſtoph. Equit. v. 420:*

νὴ τὴν Δήμητρ' ἀνιαρὸν ἦν τὸ κακῶς ᾄδοντος ἀκούειν.

Βυλοίμην γὰρ κἂν ἀκαλήφαις τὸν ἴσον χρόνον ἐςεφανῶσθαι.

Pag. 220: *a. c. f. in rutæ folium coniiceret, i. e. ſteriles faceret medicamentis.*) Subtilem hercle ἐπίνοιαν, *Burmanniano* dignam ingenio. Sed opponam aliud non minus ſubtile. Urtica ſtimulat ad venerem. Phraſeos itaque, in urticæ folium aliquem coniicere, (ſi *urticæ* admitteres pro *rutæ*,) ſenſus foret, poſſe illum herum facere ſervos ſuos in venerem ἐπιμανεῖς, & ita

familiam augere, quod laudi erat & commodo rei domeſticæ. *Ælian: IX Animal. 48.* Uter iam noſtrum magis *ληρεῖ καὶ ἀδολεσχεῖ*, egone, an *Burmannus*? hic ſerio, ego ridiculi gratia.

Pag. 223: *Valde ſucceſi ſunt*) *παχεῖς*, opulenti. *Imus in imo recubans* forte fuit ultimi ſubſellii paraſitus, quos *Plautus Capt. III, 1, 11, imi ſubſellii viros* appellat.

Pag. 226 pro *impropero*, (quod verbum eſt ſequioris ætatis pro *obiecto, exprobro,*) forte ſcribetur rectius *improbero*, ex quo deinceps *improbro* ut *exprobro*; quemadmodum ex *αἰσχερὸς* & *αἰσχηρὸς* fit *αἰσχρὸς*. *Vacillare* de rebus dicitur exitum minantibus; ut *Apuleius p. 426* id adhibuit de lucerna *θανατώσῃ*. *Olla fervens* eſt ſymbolum opulentiæ, præſertim apud Arabes, ut *Hariri* عشارهم تخور واعشارهم تفور *eorum gravidæ mugiunt cameli, & ollæ fervent:* Proverbium, quod *Burmannus* e *Montfauconio* citat, eſt *ζεῖ χύτρα, ζεῖ φιλία.*

Pag. 229: *Phantaſia, non homo.*) Forte cogitaret aliquis, Germanus cumprimis, *Phantaſta* hic legendum eſſe. Genti enim noſtræ in more poſitum eſt, ut hominem inepte & ſtolide ſuperbum *Phantaſtam* appellent. Sed *Phantaſia* hic bene habet. Græci dixerint, *τῦφος, οὐκ ἄνθρωπος.* Ita *κάπνος, οὐκ ἄνθρωπος, Athen. I p. 5 c. f.* Vid. *Gatak. p. 6* ad *M. Anton. Phil. I, 4*, ubi *φαντασιόπληκτοι* dicuntur ſophiſtæ, qui cum intolerabili *τύφῳ* & *ἀλαζονείᾳ* auſteritatem & caſtimoniam vitæ ſuæ iactant.

Pag.

Pag. 232: *Mihi nihil novi poteſt afferri.*) *Plaut. Perſ. II, 3, 19: Va illi. Mihi iam nihil novi poteſt offerri, quin ſim peritus.* Ita *Gorgias* apud *Platon. p. 306 B:* ὀυδεὶς μέ πω ἠρώτηκε καινὸν πολλῶν ἐτῶν. Quod imitatus fuit *Æneas Gazæus p. 9, 3.* edit. *Barth.*

Pag. 233: *Cælus*) Sic *collus Plaut. Capt. II, 2, 107, raſtros tres Mercat. II, 3, 6.* Noſter *Cap. 40: Hi apophoreti fuerunt, & ſtatim pueri ad ſportellos. Cap. 41: vinus. Corius* apud *Feſt.*

Pag. 235: *Caput habent durum, frontem expudoratam, cornum acutum. Plurimi hoc ſigno ſcholaſtici naſcuntur & aretalogi.*) Elegans imago prædicatorum hypocritarum palliatorum, ad quos bene poſſent illa *Demoſthenis* traduci; σπερμολόγοι, περιτρίμματα ἀγορᾶς, ὥσπερ ἐν τραγῳδίαις βοῶντες, ὦ γῆ καὶ ἥλιε, καὶ ἀρετὴ, καὶ τὰ τοιαῦτα, καὶ πάλιν σύνεσιν καὶ ἐπίνοιαν ἐπικαλούμενοι, ἧ τε καλὰ καὶ αἰσχρὰ διαγιγνώσκεται ὑμῖν δ' ἀρετῆς, ὦ καθάρματα, τίς μετουσία, ἢ μὴ τοιούτων τίς διάγνωσις; πόθεν λαβοῦσιν, ἢ πῶς ἀξιωθεῖσιν; Ab hac virtutis garrula iactatione appellati ſunt *aretalogi* illi Philoſophi Sophiſtæ, quos tam acriter *Dio Chryſoſtomus* & *Lucianus* perſtringunt, publice Curios, domi & apud reges ſuos Saturnalia viventes paraſitos, pingui offa & carnium nidore quacunque facile ductitandos. Conf. *Luciani Sympoſ.* & *Alciphron. Epiſt. 55 Lib. III,* ubi εὐρυκλῆς leg. pro εὐοκλῆς, non ἐτεοκλῆς, quod coniecit *Berglerus. Scaliger Lect. Auſon. &* ad

Feſt.

Feſt. p. 13, *Caſaub.* ad *Perſium* in *Prologo* p. 7, *Salmaſ.* ad *Tertull.* Vox hæc reddenda *Heſychio*, voce λαλίςατον, ubi pro κατάλογον legendum ἀρεταλόγον.

Pag. 236, 4: *Catapbagæ*) *Ariſtoph. Avib.* 290: ἐςὶ γὰρ κατωφαγᾶς τις ἄλλος ἢ Κλεώνυμος. Ubi κατωφαγᾶς dixit pro καταφαγᾶς metri gratia.

Pag. 238: *In Capricorno aſperi, imperioſi, quibus præ mala ſetæ & cornua naſcuntur.*) Conf. *Feſtus* in *Cornua*: Κυρίττοντες ἀλλήλους σιδηροῖς κέρασι καὶ ὅπλαις, ut *Plato* ait p. 738, 4. *Lib. IX de Republica. Imperioſi* ſunt omnes ὀργίλοι, πικρέχολοι. *Plautus Pœn. IV*, 2, 38:

Neceſſe eſt hodie Sicyoni me eſſe, aut cras mortem ex ſequi.
Ita herus meus eſt imperioſus.

Setæ notant longas barbas; nam *duræ* non tantum *per brachia*, ſed etiam per genas, *ſetæ promittunt atrocem animum. Juven. Sat. II.*

Pag. 239. a. ad not. *Burmanni*: *Cauſam non video, cur piſces vulgo muti habeantur, rhetores vero loquaces.* Rhetores piſcibus comparantur ob frigus, mollitiem, & inconſtantiam, ob ſtuporem & ignorantiam. Gloſſæ, *Baſilicarius*, μαλακὸς. ἀγοραῖος. *Plutarch.* I, p. 114, D. δημαγωγὸν nominat δεινὸν μὲν εἰπεῖν, μαλακὸν δὲ τὴν ψυχὴν, καὶ χρημάτων ἥττονα. Idem p. 849 A. *Ciceronem* & *Demoſthenem* vocat

ἀτόλ-

ἀτόλμως, & *p. 855 F. Æſchinem ἀγεννῆ καὶ μαλακὸν. Pag. 864 C.* ait, *Ciceroni* a *Verre* exprobratam *μαλακίαν*. Et *μαλακία* proprio ſenſu eſt, quando quis negat & non audet in bellum ire, *ἀποστρατεία*. Idem *p. 863 D.* Atqui hoc erat Rhetorum privilegium. Eodem ex capite Philoſophos appellabant *μαλακὰς*, unde *Thucydides II, 40, p. 121:* Φιλοσοφοῦμεν ἄνευ μαλακίας. Ideo quoque *Cyrus* Lydos piſcibus, ad tibiam ſalientibus, comparat apud *Herodot. I, 141, p. 58.* Rhetores quoque piſcibus comparantur ob ſtuporem & ignorantiam. ἰχθῦς enim, ut ait *Plutarchus p. 1795, 1, ed. H. Steph.* τοὺς ἀμαθεῖς καὶ ἀνοήτους λοιδοροῦντες ἢ σκώπτοντες ὀνομάζομεν. Conf. idem *II, p. 975, B.* ed. Francof. (Quid iſto in loco legatur, nunc quidem reſcire mihi non licet; quoniam iſta editione nunc careo. Sed exſcribo tantum ex *Petronio* meo, quæ ante ſeptem fere annos ibi ſcripſi, cum aliam editionem præter Francofurtenſem non haberem.) *Lucianus* de arte paraſitica certe ait, Rhetorem & ſtultum eundem eſſe poſſe. καὶ μὴν ῥήτορα - - - τὴν ἑαυτοῦ τέχνην ἐργάζεσθαι, ἐάν τε πονηρὸς, ἐάν τε καὶ μῶρος ᾖ. Forte etiam, quod donis ſint *εὐάλωτοι*, & facile obiecta eſca qualibet ductitandi Rhetores, appellati ſunt piſces.

Pag. 246: *Babazuſias*) Sic feci ex *bacaluſias*. Forte damnabunt aliqui meum facinus, quoniam vocem neque in Lexicis, neque forte uſpiam alibi librorum, reperient. Sed, cum certum ſit, fuiſſe

fuiſſe verbum apud Græcos βαβάζειν, quod idem notavit atque *garrire*, (vid. *Heſych.* in βαβάζειν, in βάβακα, τὸν λάλον, (ſic legendum, in ἐκβαβάξαι, ubi ἐκσαλεῦσαι fruſtra tentatur.) pronum fuit, vocem βαβαζουσία formare, quemadmodum ab ξουσα, ξουσία, ab ἐξοῦσα, ἐξουσία, &c. formatur.

Pag. 248: *Puer ſpecioſus* &c.) Conf. *Plutarchi Nicias p. 959* ed. *H. Steph. lin. 1.*

Pag. 250: *Satie*) Sic reſcripſi pro *ſane*. Id eſt, ad ſatiem, ad ſatietatem, ut infra: *ad ſatietatem baſiis frui.* Eſt ablativus a *ſaties*, *ſatiei*. *Plinius* eundem adhibet *H. N. VIII*, *51*: *fico Carica ſaginatis*, & *ſatie necatis*. *Satia*, *ſatia*, habet *Apuleius p. 757.*

Pag. 251: *Priamus*) Sic ſcripſi pro *primus*. Potuiſſem minore motu & forte rectius *Primus*, prima litera maiore, ſcribere, quod nomen Romanum eſt ſat frequens. Quia tamen plura occurrunt apud *Petronium* nomina *Homerica*, loci cauſa ficta, forte non peccavi mutans.

Ibid. *Cum pateram calda popoſciſſet.*) Sic dabam tunc temporis per trepidationem, quod optimum ſe mihi offerebat, arripiens. Tempore procedente, cum deprehendi bene multa in *Petronio* Græca, & præſertim in fragmento Tragurino. ubi homines Græculi, e magna Græcia ſic dicta, loquuntur, cogitavi de Græcis, hic latentibus, & fere auſim contendere, *Petronium* ſic ſcripſiſſe: *Clamat itaque Priamus* (aut *Primus*) *cum* παῖ *ἀράκην ἄπο dixiſſet*. Ex vetere profecto ſcriptura

ra *pataracinapo poſciſſet* absque ulla violentia elicias παῖ ἀράκην ἄπα, *puer tolle camellam vinariam.* Ἄπα idem eſſe, quod Germanicum & Belgicum *weg*, (*weg mit der Weinkanne*, *die Weinkanne weg*,) non eget probatione, cum triviale ſit. Quod ἀράκη Græcis camellam, vel pateram, notarit, &, ut coniicio, vinariam maxime, aliunde non novi, quam ex *Heſychio*, qui ἀράκην, τὴν φίαλην, καὶ ἀράκτην, tradit. Ultima docent, in aliis exemplaribus eius Auctoris, ex quo hanc gloſſam, quam interpretatur, deſumſit, ἀράκτην (forte male) pro ἀράκην exſtitiſſe. Ad ſenſum quod attinet, nihil poteſt aptius & magis neceſſarium excogitari. Sed iudicent hac de re pro ſua quisque ſapientia. Calda uſos fuiſſe veteres poſt vini potum, probat *Dio Caſſius p. 701 E.* ed. *Steph.* & noſtra quoque non ignorat ætas, quam cito diſcutiat calda (Thea) vini vapores.

Pag. 253: *Amyſtidas duxi.*) Idem mihi contigit in hac mutatione, quod in ſuperiore. Per trepidationem arripui nubem pro Iunone, quod aiunt. Lectio antiqua erat: *Calda potio veſtiarius eſt. Staminatas duxi.* Vera lectio eſt *Aminaeas duxi.* Adhæſit *ſt* ex antecedente *eſt*; & AMINAIAS ab AMINATAS vix differt. Dictio eſt elliptica. Subintelligitur *potiones*. *Aminaeas vites* laudat *Virgilius* poſt Falernum. *Heſychius*: Ἀμιναῖον δι' ἑνὸς ν̄ τὸν οἶνον λέγει· ἡ γὰρ Πευκετία Ἀμιναῖα λέγεται. *Celſus* Aminæi vini frequenter meminit. Conf. *Vopiſc.* in *Florian.*

Cap.

Cap. IV, *Salmaſ.* in *H. A. p. 422* ed. Pariſ. & *Freher.* ad *Hieroclis Facet.* edit. *P. Needhami p. 463*, ubi tamen fruſtra *Plinium* ſollicitat, & pro *myrrha Minaa & Adramitica* legit *myrrha Aminaa* & *Aramitica.* Bene habet *Adramitica* Eſt enim ab *Adramit*, Hadhramaut, حضرموت חצר מות. Neque putem, *Minaa* malum eſſe. Urbs enim Arabiæ fuit *Mina* dicta, quæ vox proprie *portum* notat. Si quid tamen innovandum, quod non exiſtimem, rectius *Jaminaa* reponetur. Jaman, Jamin, Jemen, idem eſt atque Arabia felix.

Pag. 255 *Baliſcus* mutavi in *Faliſcus*, non quod illud male eſſet, ſed quod hoc frequentius. Et forte ſatius fuerat, Baliſcus reliquiſſe, quod idem eſt atque Faliſcus. Sæpe *b* & *f* permutantur, ut *φάλαινα* & *balana*, *pedor* & *fædor*, *pedus* (unde ſupra *pedidiſſimi ſervi*,) & *fædus*, *fligo* (unde affligo) & antiquum *πλήγω*, *Saſinius* & *Sabinius*, *βρέμω* & *premo*, *βρενδύειν* & *frendere.* *Βάλακρος* (pro *Φάλακρος*) eſt nomen Macedonicum apud *Diodor. Sicul. XVIII p. 223* ed. Baſil.

Ibid. *Aqua dentes habet.*) Conf. *Plaut. Pœn. III, 3, 87*, & ibi *Lipſius.*

Pag. 256: *Lacaſim*) *Burmannus m* in fine amabat. Ergo reliqui. Sed præſtiterat *Lacaſin.* Ridicule derivatur a *λείχειν.* Eſt a *λαι.* *Heſych.* *λαὶ. ἐπὶ τῆς αἰσχρουργίας.* Idem quod *laide* Gallorum. Inde *λαῖος*, *lævus*, ſiniſter, malus. Senſus eſt: *Dico frigori abire*, (vel *ut abeat*) *in malam rem.*

Pag.

Pag. 258: *Minores quam muſca ſumus*) Conf. *Simonidis Fragm. p. 130* edit. *Wechel.*: Ἄνθρωπος ἐὼν μή ποτε φήσῃς ὅ τι γίνεται, μηδ᾽ ἄνδρα ἰδὼν ὅσσον χρόνον ἔσσεται. ὠκεῖα γὰρ, ὐδὲ τανυπτερύγυ μυίας ὕτως, ἁ μετάστασις.

Pag. 260: *Medicus nihil aliud* &c.) Vid. *Menagiana p. 333.*

Pag. 261: *Milvinum genus*) *Plautus* meretrices vulturiis comparat *Trucul. II, 3, 16*, & *Euripides Androm. 74 Hermionen* vulturi.

Pag. 262. *Phileros*, *Philerotis*, dicitur, & *Phileros*, *Phileri*, ut ἔρως ἔρωτος, & ἔρος ἔρυ, γέλος, γέλυ. Sic *Hermeros*, *Hermerotis*, infra. *Petavius Rat. Temp. Tom. I Lib. VIII Cap. 19 p. 444 Hermerus*, *Hermeri*. Ita *Pericli*, in genitivo, apud *Perſium* initio *Satyræ IV*. Ita Οἰδίποδος & Οἰδίπυ. *Ulyſſis*, & *Ulyſſi*, Αἰθιώψ, οπος, & Αἰθίοπος, Αἰθιόπυ, quod poſterius exſtat apud *Lucilium p. 30* ed. *Duſæ*. *Plautus Rud. I, 1, Alomenam Euripidi*. Ita *pavo*, *pavonis*, & *pavus*, *pavi*, quod poſterius apud *Tertull. de Pallio*: *Hortenſius Orator primus pavum cibi cauſa potuit occidere.*

Pag. 264 ad verba notæ *Burmannianæ* ✡. *lin. 21*: *Plebem ſapit* &c. adſcripſi: Conf. *Ovid. Ibis v. 229 ſeq.*

Pag. 268: *Otacuſtarios*) Sic reſtitui pro *oracularios*, ab ὠτακυςής, ut a πεταυριςὴς fit *petauriſtarius* (*Cap. 53*), quæ vox reſtituenda

Salviano p. 107, 6, pro *petaminariis*, ubi *Ritterſhuſius* non ſatis confidenter notat.

Pag. 270, 3, debueram ſic perſonas diſtinxiſſe: tuliſſe? *Alia perſona* ſeptuaginta. *Phileros*. Et ſupra.

Pag. 271: *Molitorem*) Eo ſenſu, quo *Lucilius p. 41*:

Hunc molere, illam autem ut frumentum vannere cunnis.

Pag. 273 *fui* idem eſt, quod *phui*, apud *Plautum Pſeudol. V, 2, 5: phui! in malum crucem.* Ad ſequentia conferendus *Apuleiūs p. 113, Perſius I, 130, Juvenal. X, 102.*

Pag. 274: *Maiores maxillæ*) *Heſych.* ὄνυ γνάθος. Εὔπολις παίζει εἰς ἀδδηφαγίαν. Inde & guloſi dicti *genua*, id eſt, *gena*, ſeu, *maxilla*, auctore *Nonno* apud *Lucilium, p. 82: Quid veniunt illæ genuæ.* Sic legendum. *Genua* eſt Æolica formatio a γένυς, γένυα. Γένυς autem ab *Heſychio* exponitur per σιαγών. *Scaliger Caſſandr. v. 214 vaſtos molares, mattiasque querqueras* appellat.

Pag. 275: *Similia in Sicilia. Terrores & larvas ſic iſtos percolaptabant.*) Sic reſtitui ex vetere lectione: *Similia Sicilia interiores & larvas ſic iſtos peridopabant.* Similia in Sicilia ſcil. fiebant. Græca locutione. *Ariſtid. T. I p. 84, 14*: παραπλήσια δ' ἐν τοῖς βασιλικοῖς πράγμασι. Scilicet ἦν, vel ἐγένετο. Per *terrores* & *larvas* intelligit illos civium, qui ſibi ſumunt a principe non conſtituti ceteros cives ſua ex auctoritate

tate vexare, terrere, expilare, opprimere, interea tamen reprehenſionem & poenas a ſuperioribus exſpectare ſemper debent, quorum ergo metus veniente aut principe, aut legato principis, tanquam ſpectra veniente die, diſparet. Terrores nihil aliud ſunt, quam ſpectra, *φάσματα*, &, quæ vox eſt prorſus eadem, *δείματα*. *Lucian. Philopſ.*: *οἶκος ἦν ἀοίκητος ὑπὸ δειμάτων.* *Plautus Mercat. V, 4, 22, larvam* appellat ſenem decrepitum & amore ſtolidum. Conf. *Caſin. III, 4, 2. Don Quichotte* ſæpius a Gallo interprete *un fantome* appellatur. *Liban. II, 4*, falſos rhetores & ſophiſtas appellat *εἴδωλα σοφιστῶν.* Idem in Oratione de patrociniis, a *Jac. Gothofredo* edita Genev. 1631, *p. 12, c. f.* imbecilles, flocci factos, qui cauſam ſuam perorare cum effectu nequeunt, *σκιὰς* appellat: *ἔλεγον κεκρίσθαι μοι, καὶ τὸ κράτος ἔσεσθαι τῶν ἀντιδίκων, καὶ ὡς τοῦθ' οὕτως εἶχεν; ἐδείχθη τῆς ἐπιούσης. οἱ μὲν γὰρ μεθ' ἡμῶν ὄντες ῥήτορες ἤκουσαν ὅτι δεῖ σιωπᾶν ἐν ἀφθονίᾳ τῶν ἰσχυρῶν. τῶν δὲ σὺν ἐκείνοις οὐδὲν ἦν ἀσθενὲς* (ſic leg.) *ἐν σκιαῖς τοῖς ἅπασι.* Parum in his vidit *Jac. Gothofredus*. Senſus eſt: *Dicebant mihi, dictam iam eſſe mea in cauſa ſententiam, & victoriam parti adverſæ fore adiudicandam. Idque ſic eſſe, monſtravit altera dies. Nam cauſæ noſtræ patroni rhetores audiebant ſibi tacendum eſſe, utut cauſſa iuſticia & eloquentia prævalerent. Eorum vero, qui adverſæ cauſæ patrocinabantur, nihil*

erat debile, quamvis de cetero umbra, id eſt, muti, infantes, *καταπλῆγες*, *eſſent*. Potuiſſem porro *percolapabant* ſcripſiſſe, propius ad vetuſtam lectionem, a vetuſto *κολάπω*. (Unde colaphus, & Colaphus, nomen ſervile, *Plaut. III, 4, 114*.) Sed *κολάπτω* eſt frequentius, & *κολαφίζω* quoque reperitur. *Heſych.* ἐκκεκολαπτημένον, ἐκπεπονημένον, ut ibi leg. Prorſus ut Latini dicunt *exaſciare*. Conf. *Plutarch. II, 350, D.* ed. Francof. de *Iſocrate* periodos ſuas ornante. Item *I, 162, B, II, 290, B*, ubi ἐγκολάπτειν & ἐγχαράσσειν ex parallelo dicuntur. Κολάπτειν proprie eſt cavare, a κόλος, unde κοῖλος, inde ἐγκολάπτειν eſt κολαπτῆρι, caelo, inſculpere literas aeri, ſaxo, &c. Et forte *ſculpo* ab ἐσκολάπτω, vel ἐσκολάπω, venit. Conf. *Dio Caſſ. p. 316 D. 2.* Haud abſimili ſenſu *Plautus Captiv. III, 4, 108: Deruncinatus ſum: ich bin abgehobelt worden.*

Pag. 276: *Piper, non homo,*) *Plaut. Bacch.*: *Sitne acetum tibi cor acre in pectore.* Ubi ſic conſtruendum, Sitne cor, quod geris in pectore tuo, acre acetum.

Pag. 277: *Terram adurebat*) Urere terram dicitur victor & tyrannus, omnia, tanquam fulmen, auctoritate ſua pervadens, percellens, proſternens, ad voluntatem ſuam contorquens. Ita de Græcis, Troiam obſidentibus, angentibus, & armorum fulgore collustrantibus, *Lycophron v. 249*: κατaίθει γαῖαν ὀρχηστὴς ἄρης.

Ibid.

Ibid. *Certus.*) Ita Græci *βέβαιος* & *ἀσφαλεῖς* de amicis. Sic accipio locum illum *Thucydidis l. 69, p. 45 e. f. καί τοι λέγεσθε ἀσφαλεῖς εἶναι.* *Amici fidi, certi, conſtantes, ſpem non fallentes.* *Philoſtrati* locum *V. A. T. II, 13, p. 64: τοὺς δὲ ἐκ τῶν ὀρῶν κακοήθεις τε καὶ ἐπιβουλευτὰς, καὶ, ἢν μὴ δέωνταί τινος, οὐ βεβαίους τοῖς ἀνθρώποις*, interpretor conſtanti fide & *προσοχῇ* non adhæreſcentes hominibus, ſed *δραπετεύοντας*, niſi aureis vinculis; aut, ut ait *Plautus Menaechmo*, apud menſam eſca & potione roſtrum iis deligetur.

Pag. 279: *Puto eum neſcio quid Afrodiſium habuiſſe.*) Sic reſtitui pro vulgato *neſcio quid Aſia Dis habuiſſe.* Certe facile poteſt ex *Aſia dis, Afrodis* fingi. Neque loci contextus & cohærentia ſenſum alium patitur, quam qui ex mea emendatione emergit. In omnibus rebus dicitur elegantia, vel *τὸ* elegans, placens, *ἐπαγωγὸν*, *Venus, unde venuſtas. Philoſtrat. p. 204* de tibiis: *πλεῖστον ἀφροδίτης ἔχων ἐν τῷ αὐλῷ.* Et *Alciphron p. 436: καταυλούμενος ᾄδεται, καὶ τὴν διατριβὴν ποιεῖται Χαρίτων καὶ Ἀφροδίτης μέμεστον.* De operibus mechanicorum *Lucian. Amor.: τὸ τῆς Πραξιτέλους εὐχερείας ἄντικρυς ἐπαφρόδιτον.* Idem paulo poſt de auris: *καὶ πῶς εὐθὺς ἡμῖν ἀπὸ τοῦ τεμένους ἀφροδίσιοι προσέπνευσαν αὖραι.* In ſpecie adhibetur de ſermonibus. Ita apud *Syneſium* in *Dione p. 3: διάθεσις λαμυρῶς ἀπηγγελμένη καὶ δεξιῶς,*

καὶ πολλὴν τὴν ἀφροδίτην ἐπαγομένην. Et ipſe *Dio Chryſoſt. p. 463 D.*: τὴν δ' ἀφορμὴν ἔλαβον ἐκ τῆς περὶ τὰς λόγους εἴτ' ἐπαφροδισίαν αὐτὴν, εἴθ' ὅτι δήποτε χρὴ καλεῖν. Conf. *Upton* ad *Dion. Halic. p. 17.*

Pag. 282: *Si coleos haberemus*) Conf. *Ariſtoph. Lyſiſtr. 662*: ἀλλ' ἀμυντέον τὸ πρᾶγμ', ὅστις γ' ἐνόρχης ἔσ' ἀνήρ. Credidi aliquando, latere aliquid obſcœni & ſceleſti. (*Si poſſemus nos æque peculiatos approbare.*) Sed nunc non urgeo.

Pag. 283: *Domi leones, foras vulpes*) Sumſerunt a *Pindaro Olymp. 278 f.* ed. *Schmid.* aut a *Solone* potius. Conf. *Plutarch. I, 95, 2, & p. 122.* ult. & in *Lyſandr. p. 799* ed. *H. Steph.* & *Ariſtoph. Equit. 1072.* Vulpes ſunt ſymbolum timiditatis. *Longus p. 20 Paſtoral.*: ὦ λύκων, ἀλωπέκων δειλοτέρων, οἱ τούτους οὐχ ἥρπασαν. *O lupi, vulpibus timidiores.* Inde neſcio, quid cogitem de illo *Pindari*: ὄπισθεν δὲ κεῖμαι θρασειᾶν ἀλωπέκων ξανθὸς λέων. An δειλειᾶν legendum? Conf. *Bergler.* ad *Alciphr. p. 206.*

Pag. 284: *Illa ædilibus fieri*) Pro *ab ædilibus.* Græciſmus. *Lucianus Aſin.*: τῆς σωθείσης ἐμοὶ (id eſt, ὑπ' ἐμοῦ,) κόρης.

Ibid. *Nemo cœlum cœlum putat.*) Imitatio *Lucilii p. 8*:

Nemo hic vindicias, (id eſt, vindictam divinam,) *numen, neque ſacra, veretur.*

Pag.

Pag. 285: *Opertis oculis bona ſua computant*) Senſus eſt, ædiles illi avari & rapaces atque iniuſti domi ſuæ computant & numerant ſuas rapinas, quibus miſeros & pauperes cives ſpoliarunt, opertis oculis & capitibus, ſic putantes, a Deo non poſſe conſpici atque deprehendi, ut fures & latrones operto capite & prætenſa larva interdum agnoſci ab hominibus non poſſunt,

Quos (fures) *ſemper videas bibentes eſſe in thermopolio.*
Ubi quid ſurripuere, operto capitulo calidum bibunt,

ut ait *Plautus Curcul. I, 3*; aut, ut facere fingitur *Prometheus* ab *Ariſtophane* in *Avibus*, (*v. 1495*) credere, quod poſſit prætenſo & obiecto σκιαδίῳ Jovis Olympii adſpectum effugere, vel ut fecit *Scipio Naſicas*, narrante *Appiano Lib. I Civil. p. 613, 614, Tom. II* ed. *Toll*: τὸ κράσπεδον τȣ̃ ἱματίȣ ἐς τὴν κεφαλὴν περιεσύρατο, εἴτε τῷ ἐπισήμῳ τȣ̃ σχήματος πλεῖνάς οἱ συντρέχειν ἐπισπώμενος, εἴτε πολέμȣ τὶ σύμβολον τοῖς ὁρῶσιν ὡς κέλευσμα ποιούμενος, εἴτε θεȣ̀ς ἐγκαλυπτόμενος, ὧν ἔμελλε δράσειν. (Sic lego hunc locum.) *Laciniam togæ reiecit in caput, ſive - - - ſive quaſi putaret poſſe ſic ſe ſuumque, quod meditabatur, facinus vultum Deorum effugere.*

Pag. 291: *Ubique medius cælus eſt*) *Plutarch: de fuga*, vel *exilio, p. 1067, 14*, ed. *Steph.*:) τί ȣ̓̃ν τῆς οἰκȣμένης μέρος ἢ τῆς γῆς ἁπάσης

ἕτερον ἑτέρου μακράν ἐςιν, ἣν ὑποδεικνῦσιν οἱ μαθηματικοὶ σημείου λόγον ἔχουσαν ἀδιαςάτου πρὸς τὸν οὐρανόν. &c.

Ibid. *Excellente impendio)* Sic feci ex vetuſto *excellente interduo.* An exſtet in Latinis Lexicis *impendium,* neſcio, cum ad manus mihi non ſint. Exſtare tamen, non dubito. Alias poſſim exempla huius vocis plura proferre, quæ in parato habeo. Vereor quoque, id ſi facerem, in crimen, quod aliis exprobro, μικροταλαιπωρίας incurrere.

Pag. 294: *Illius pater Maleius. Quadraginta* &c.) Sic ſcripſi pro *illius pater male ut quadraginta. Maleius* eſt nomen ſatis notum, ſed hac ſub larva haud facile agnoſcendum. Inveni illud ſemel in Inſcriptionibus *Gruteri.* Re vera autem aliud nihil eſt, quam notum illud nomen *Manlius.* Μάλιος, (id eſt, Μάλλιος,) & Μάλειος idem ſunt. Vid. *Cort.* ad *Salluſt. Cap. 24 p. 161. Plutarchus p. 326* ed. *H. Steph.* in *Fabio Maximo* habet Μάλιον Τορκουάτον, & *p. 147,* 6, habet Iuntina Μαλίου, ubi *Stephaniana* Μαλλίου; & ſæpiſſime in vetuſtis monumentis ει & ι ſimplex promiſcue habentur. Sic *Plutarch. I, 29, B.* Ῥήγειαν, *Regiam,* in *Mario p. 778* Ὄςιαν, *Oſtiam.* Apud *Agath. p. 17 med.* ed. *B. Vulc.* Αἰμίλεια, *Æmilia. Appian. I, p. 535.* Δείδιος, *Didius. Velleius* nihil aliud eſt, quam *Velius,* & certe in MStis quibuſdam *Vellius* appellatur. *Luceius* idem, quod *Lucius, Spart. Commod. Cap. VII.*

Dio

Dio Caſſius p. 621 *D. Apuleium* appellat Ἀπὐλιον. Et certe *Apuleius* nihil aliud eſt, quam *Apulius*. Terminatio in *eius* magis Apulis, & ceteris magnæ Græciæ gentibus, placebat, terminatio in *ius* magis Romanis. *Inſteius* eſt *Inſtius*; *Arunculeius, Arunculeus, Aruncul eius*. *Proculeius* eſt *Proculius* (*Dio Caſſius p.* 516 *B.*) *Pompeius* eſt *Pompius* (*Plutarch.* ed. Fr. *II, p.* 200 *C*). Veteres *olei* pro *olli*, vel *illi*, *deiveis*, *ſei*, *leiber*, pro *divis*, *ſi*, *liber*, &c. ſcribebant. Conf. inſignis locus *Lucilii p.* 44 ed. *Duſian.* & quæ ibi *Duſa*. *Salmaſ.* ad *H. A. p.* 52, ubi *muſium* pro *muſeum* μυσεῖον. Omnibus paginis plura huius rei dant exempla inſcriptiones *Caſſoniana*, *Wheleri* in *Miſc. Obſerv.* & Palmyrenæ. Infra *Cap.* 55 *ridiclei* pro *ridiculi*. Inde eſt, quod *Ammonius* λεῖαν & λίαν diſtinguit, quia apud *Platon. p.* 124, *B*, & alibi ſæpe permutantur. *Clupea* & *Clupeia*, urbs Libyæ. Ἡράκλειον, *Herculaneum* & *Herculanium*. Conf. *Caſaub.* ad *Inſcript. Herod. p.* 350 ed. *Clerici*. Poterat quoque Maleius, Μαλεῖος, pro voce pure Græca accipi, pro homine placido, manſueto, humano, ſermone blando. Apud *Heſych.* Μαλεῖαν, εὔφημον, ἥσυχον, πρᾳεῖαν. A μάλος, Unde μάλλος, & μαλακός. Sed prius verius eſt, & procul dubio veriſſimum.

Pag. 295: *Deprehenſus eſt* &c.) Mœchorum pœnam fuiſſe, ut obiicerentur beſtiis colluctatores, patet ex *Philoſtr. IV*, 22, *V. A. T. Auri*, vel *uri*, autem quod non fuerint illo tempore Romæ in-

cogniti, aut in Italia, (Capuæ,) patet ex *Salmaſ.* ad *Hiſt. Aug.* Poteſt etiam *tauri* legi.

Pag. 296; *Matella*) Quare ſic fœmina, non obſcure indicant illa faceti *Ariſtophanis Acharn.* v. 1062:

ὕπεχ' ὧδε δεῦρο τὐξάλειπτρον, ὦ γύναι.

Et *Pac.* 893: ἐνταῦθα (monſtrat digito infimum ventrem *Theoria* meretricis) πρὸ τῦ πολέμυ τὰ λάσανα τῇ βυλῇ ποτ' ἦν.

Pag. 297: *Milvo volanti ungues reſecare*) Simile eſt illud *Lucilii p. 8: Eſurienti ex ore leoni exſculpere prædam*, & *Plaut. Trinum. IV; 3, 16*, de furace, *ſurripere currenti curſori ſolum.*

Ibid. *Colubra reſtim non parit*) Dracones cum reſtibus comparat *Heliodorus p. 133, 20,* ed. *Comm.* Hinc elegans eſt illud *Philoſtrati p. 99, 4,* ed. *Olear.*: δρακόντων ἀπείροις μήκεσι κατέζωςαι πᾶσα ἡ ἰνδικὴ χώρα.

Ibid. *Dedit dicas*) Sic ſcripſi pro *dedit ſuas.* Apud *Herodot. I Cap. 3* fere decies occurrit διδόναι δίκας.

Pag. 299: *Plenis velis*) Bene *Burmannus*, a navigatione ad theatralem plauſum translatam eſſe vocem *aura*, notat. Sic *Ariſtophanes Equit. 543* comœdiam ſuam ut navem pingit, ſe gubernatorem, ſpectatores præſentes & lectores futuros ut vaſtum mare, fauſtas eorum acclamationes ut auram propellentem, & plauſum manuum ut remorum agitatorum ſtrepitum. Etiam *Euripidi* πνεῦμα pro favore ponitur *Herc. Fur. v. 216*:

Ἕκατον ἡμέας φυγάδας ἐξελθεῖν χθονός.
Βίᾳ δὲ δράσης μηδὲν, ἢ πείσῃ βίαν (ſic leg.)
Ὅταν θεῦ σοι πνεῦμα μεταβαλὸν τύχῃ.

Pag. 300: *Alter maſturbatus*) Olim erat *burdubaſta.* Quod forte melius fuerat non attingere. Forte nomen latet Phrygium, aut Cappadox, aut Syrum. Haud multum abſimile eſt illud Archigalli Βαταβάκης apud *Plutarch.* in *Mario p.* 758 ed. *Steph.* Meam tamen mutationem egregie confirmat Epigramma, quod docte *Cl. Salmaſius* explicat *H. A. p.* 129 ed. *Pariſ.* Liber ad manum nunc non eſt. Id adhuc memini, me ad illud Epigramma de δρῖλος quædam habuiſſe notanda. Sed liber mihi periit.

Pag. 302: *Secti ſunt*) Flagellis nempe. Conf. *Plutarch. II,* 554 *B. Juven. X,* 316, *Martial. III,* 64, *Mavis cocum ſcindere, quam leporem.* Καταχορδεύειν ἐν ταῖς βασάνοις *Themiſt. Or. XXI p.* 261 *D.*

Ibid. *Ephebi*) Apud Græcos pueri quoque certabant. Vid. *Pindar. Olymp. X inſcript. Plutarch. Sympoſ. II,* 5, *p.* 639 *A.* Ad id, quod in notula dixi de *oe* pro *i*, conf. *Scalig.* ad *Feſt. p. IV*, ubi leg. *edeatroe.* Sic apud *Plaut. Caſin. Prol. v.* 31 *clerumenoe.*

Plani) τὰς διὰ τὴν τροφὴν ἀγύρτας. *Heliod. II p.* 89, 30. *Athenaus p.* 50 πλάνυς καὶ θαυματοποιὰς eosdem dicit.

Fuga mera) τὄνομα τῶν ἔργων αὐτῶν ὀνομαζόμενοι, ut ait *Lucianus* ἐν τῇ ἀποφρᾶδι.

Quam-

Quamvis ibi alio ſenſu, quam quo nunc applico. *Ariſtides I, p. 486, 2,* τὴν φυγὴν ponit pro τὰς φυγάδας. Sed & hoc alienum.

Pag. 303: *Faſcia.* Conf. *Heſych.* in μονοζόλους. Quod mutandum in μονοζώνους. Et *Caſaub. de Poeſ. Satyr.* ed. *Cren. p.* 72 de faſciis Circenſibus.

Pag. 305: *Autumnus hoc anno tempeſtus diſpare pullavit*) Melius nihil potui, quam hoc, e vulgata extundere. *Pullavit* pro *pullulavit*; & *diſpare* idem, quod διαφερόντως, excellenter, egregie; a *diſparo*, ut a *celero*, *celere*, ab *hilaro*, *hilare*.

Pag. 306: *Bono filo*) *Demades Antipatrum* appellat σαπρὸν καὶ παλαιὸν στήμονα. *Plutarch.* in *Phocione p.* 1386 med. Verbum ὑφαίνειν admodum lati ſenſus eſt apud Græcos. Ita πόλιν ὑφαίνειν, *urbem texere*, id eſt, urbis fundamenta ponere. *Ariſtides Tom. I p. 262, 10;* βωμὸν ὑφῆναι *Callimach. H. in Apoll. v.* 57. Corrigendus hac occaſione *Sophocles Aiac. v.* 381 κακοπηνέστατον (non κακοπινέστατον) ἄλημα στρατοῦ. *O tu erro peſſima in toto exercitu tela inſtructe*, id eſt, qui vel veſtes corpore geris peſſimas, laceras, ſordidas, vel animum peſſimi ſtaminis. Ut εὔπηνος, vel εὐπηνής, dicitur & occurrit, ſic etiam bene κακοπηνὴς poteſt dici. Non autem κακοπινὴς *male ſordidus*; quia neque εὐπινὴς *bene ſordidus* poteſt per naturam rerum dici. Legi aliquando Dialogum *Platonis*, in quem to-

tam

tam fere textrinam transtulerat, & applicuerat animo. Sed excidit e memoria, quisnam ille ſit.

Pag. 307: *& merulas*) *Longus p. 71 f. Horat. Art. Poet.: Si veluti merulis intentus decidit auceps in puteum foveamve. Philoſtrat. V. A. T. VI, 36:* μειράκιον ἑαυτῷ μὲν ἀπαιδεύτως εἶχε, τοὺς δὲ ὄρνις ἐπαίδευε, καὶ ξυνοίκους ἐπὶ σοφίᾳ ἐποιεῖτο. ἐδίδασκε δὲ αὐτοὺς λαλεῖν τε ὅσα οἱ ἄνθρωποι, καὶ τερετίζειν, ὅσα οἱ αὐλοί. τούτῳ περιτυχὼν, τί, ἔφη, ἐπιτηδεύεις. ἐπεὶ δὲ τάς τε ἀηδόνας αὐτῷ διῄει, καὶ τοὺς κοψίχους, καὶ ὅσα εὐγλωττίζει τοὺς χαραδριοὺς &c.

Ibid. *Graculis*) *Plutarch. I, 863, B, II, 199, E. Caſaub. in Athen. II p. 63, Perſ. I, 70. Dio Caſſius p. 345 (1):* ὦ Κικέρων, ἢ Κικέρκουλε, ἢ Κικεράκιε, ἢ Κικέρικε, ἢ Γραίκουλε, ἢ ὅ τι ποτὲ καὶ χαίρεις ὀνομαζόμενος.

Pag. 308: *Nec uno loco conſiſtit*) Ἄνθρωπος ὄρνις, ἀστάθμητος πετόμενος, ut *Ariſtophanes ait Avib. v. 169. Senec. Epiſt. 2 ad Lucil.: Bonam ſpem de te capio. Non diſcurris, nec locorum mutationibus inquietaris. Ægri animi iſta iactatio eſt.* Conf. *Menag. p. 169, 170.*

Pag. 310: *Ad domus uſionem*) Id eſt, *uſum*. Exciderat olim prima ſyllaba in *uſionem* ob præcedentis *us* in *domus* ſimilitudinem. Poſſem hic ampliſſimo modio admetiri correctiones locorum, in Auctoribus corruptorum a defectu, vel exceſſu, literarum, vel ſyllabarum, aut vocum ſimilium. Et adſcripſi multa meo *Petronio*.

mio. Sed hic locus non eſt. De voce *uſo* tantum moneo, quod eam offenderim apud *Varronem* ταφῇ *Μενίππου*. *Diogenem literas ſciſſe, uſioni quod ſatis eſſet.* Quo loco non poſſet alter accommodatior huic præſenti excogitari. Conf. *Lauremberg Antiqu.* & *Feſtus* in *Catachreſis*, ubi eſt *abuſio*.

Pag. 313: *Circumferebat onera venalia*) Neſcio, quæ mihi tum fuerit mens, quod a *Scheffero* & *Heinſio* paſſus fuerim mihi de excogitanda mutatione perſuaderi. Onera venalia circumferentes ſunt inſtitores, *qui in tergo peculium geſtant, neque domos cum Scythis, ſed fortunas ac vitam, oſtiatim circumferre ſolent*, ut eleganter ait *Joſ. Scaliger* in *Munſtero Hypobolimæo p. 171.*

Ibid. *Litera theſaurum eſt*) Græciſmus & quidem ex delicatis. Schema *Pindaricum*. Vid. *Lesbonax*, a Cl. *Valckenario* editus, & *Olearius* ad init. *Lib. VII Philoſtrati de V. A. T.* Οἶδα τὰς τυραννίδας, ὡς ἐςὶ βάσανος ἀρίςη ἀνδρῶν φιλοσοφούντων. *Ariſtoph. Lyſiſtr.* 1262: ἦν γὰρ τὤνδρες οὐκ ἐλάσσως τᾶς ψάμμω τοὶ Πέρσαι. Ἦν pro ἦσαν. *Apollon. Rhod. Arg. II*, 65: οὐδέ τι ᾔδειν νήπιοι. Schol. τὸ ᾔδειν ἀντὶ τοῦ πληθυντικοῦ ᾔδεσαν κεῖται. (ſic leg.) ὡς καὶ τὸ, τῆς δ' ἦν τρεῖς κεφαλαί.

Pag. 315: *Spero tamen iam ventrem, pudorem ſibi imponit*) Si ſervare velis, erit Græciſmus, pro *ſpero de ventre*, quod ſibi iam pudorem

rem imponat, ut illud *Cap. 135: Hunc adoleſcentem quem vides, malo aſtro natus eſt*, id eſt, quantum ad hunc adoleſcentem attinet.

Ibid. *Putes taurum*) Pro *ut putes taurum. Herodotus* pariter *III*, 12: αἱ τῶν Αἰγυπτίων κεφαλαὶ ὕτω τι ἰσχυραὶ, μόγις ἂν λίθῳ παίσας διαῤῥάξῃς. Pro ὡς μόγις ἂν &c.

Pag. 318, 3, debuerat aut *nam*, aut *cum*, deleri.

Pag. 323: *In diviſione.*) Tantum diviſionem mutavi cum *Scheffero*. Cetera non movenda. Διαιρετικῶς. Conf. *Plutarch. II*, 802, *F*, & 534 *pen.* qui locus capitalis eſt in hanc rem. Rhetores ſummum cultum ſuis prooemiis adhibebant. *Cunæus Sard. venal. p. m.* 49: *Initio anxie admodum totam rem diviſit.*

Pag. 330: *Vera corinthea*) *Theoph. Charact.* ἀλαζόνος. Conf. *Plutarch. II*, 467, *D*.

Pag. 336: *Habeo capidem, quam reliquit Patroclo Prometheus*) Sic ſcripſi pro vulgato *patronorum meus*. Faceti ſunt Auctores Latini in deſcribendis rebus vetuſtis, (ut ſenibus, vetulis &c.) nominibus ex hiſtoria Troiana & mythica deſumtis. Facit ad hanc meam emendationem aſſerendam illud apud *Salmaſ.* ad *H. A.* (*Ael. Spart.*) *p.* 60: *Ungellam Idippi, ſycotum pono Promethei. Lucil. Sat. VI*: *tres a Deucalione grabati reſtibus tenti.* Pariter *Plautus Trinum. IV*, 2, 83, ſenem, cui gloriabatur illuſiſſe ſycophanta, ſe *reliquiſſe*, ait, *apud Rhadamantem in inſula Cecropia*. In prima voce forte, ſi licet argutari, reſpexit ad ſenum τὸ ῥαδαλὸν, καὶ

εὐδό-

εὐδύνητον, καὶ ἀσθενές. In poſteriore ad Κέκρωπας, id eſt, impoſtores, *Heſych.* εὐρυβάτης. πανȣ̃ργος. ἀπατεών. κέκρωψ. Item κέκρωψ. ἀπατεών. Forte quidam obiicient, eo ſenſu non κέκρωψ, ſed κέρκωψ, dici; quemadmodum *Darnaud Alciphronem Ep. 28 Lib. I p. 118* ex hoc capite potuit emendare in *Miſcell. Obſ. Vol. V p. 55.* Ego tamen in iſto quidem *Alciphronis* loco κέκροψ tueor, cum *Berglero*, qui ibi videndus. Conf. *Lucian. Pſeudomant. p. 860* ed. *Salmur.*) In deſcribendis hoc modo vetulis felix eſt *Martialis.* Conf. *VIII, 6. Lucianus* ſenem ἀρχαῖον & ſimplicem Μίνωος ἡλικιώτην appellat in *Philopſeude*, & Νέρεως ἡλικιώτην, imperitum nauclerum. Aes antiquum deſcripturus *Horatius Sat. II, 4,*

Quo vafer ille pedes, ait, *laviſſet Siſyphus aere.*

Poſſet talium magna ſeges comportari, ſi quis id ſtuderet. Quod autem poſſit aliquis obiicere, me par male congruum componere, dum *Prometheum*, antiquiſſimum hominem, recentiori *Patroclo* addo, id fruſtra eſt. In illa ipſa veteris hiſtoriæ ignorantia conſiſtit lepos & venuſtas huius loci, cuius & præcedit inſigne exemplum, quo *Caſſandram* virginem prædicat ſuos liberos occidiſſe, quod melius in *Medeam* quadrat, & ſequitur aliud, quo *Dædalum*, *Nioben*, & Equum Troianum, res temporibus & locis maxime diverſas, commiſcet. Ita *Plautus* ridiculi cauſa in *Sticho*, ſi bene memini, ſycophantam graphicum introducit. Stuporis hiſtorici

exem-

exempla dant *Plutarch. l, 28, C, Heſychius* in *Voc.* Ῥινόκερως, quod animal appellat ὄρνιν ἐν Αἰθιοπίᾳ. *Dio Chryſoſtomus Or. XXXVII p. 466* elegante loco, ſed valde corrupto: Τὸν ἰσθμιὸν - - - Μόμμιος ἐκ βάθρων ἀνασπάσας ἀνέθηκε τῷ Διΐ, φεῦ τῆς ἀμαθίας, τὸν ἀδελφὸν, ὡς ἀνάθημα· ἄνθρωπος ἀπαίδευτος, καὶ μηδενὸς τῶν καλῶν πεπειραμένος, ὃς καὶ Φίλιππον μὲν, τὸν Ἀμύντου, ὃν ἐκ Θεσπειῶν ἔλαβεν, (Αἰνείαν) ἐπέγραψε, καὶ τοὺς ἐκ Φενεοῦ νεανίσκους, τὸν μὲν Νέστορα, τὸν δὲ Πρίαμον. ὁ δὲ δῆμος τῶν Ῥωμαίων τοῦτ' ἐκεῖνο αὐτοὺς ἐξ ἐκείνου ὁρᾶν ᾤετο, ὁρῶν Ἀρκάδας ἐκ Φενεοῦ. Sic aliqualiter putem poſſe reſtitui hunc locum: *Mummius*,* (qui Corinthum evertit) *Iſthmium* (Neptunum) *evulſum e ſuis fundamentis* (crepidine ſua) *D. Jovi dedicavit, tanquam donarium, fratrem. O ſtultitia!* (Eſt ſane ſtultitia, alicui fratrem eius dedicare.) *Homo ſtolidus, & rudis omnis elegantia! Qui etiam ſtatua Philippi, Amynta filii, quam Theſpiis abſtulerat,* (*Ænea*, aut, ſi malis, ſuum proprium, nomen,) *inſcripſit; & iuvenes Phenei* (urbis Arcadicæ) *cives unum quidem Neſtorem, alterum Priamum, eſſe ſanxit.* (Ingens ſtupor, homines vetuſtiſſimos, illum trium ſeculorum ætatem emenſum, hunc quinquaginta liberorum patrem, in iuvenes imberbes commutare.) *Populus quoque Romanus id ipſum* (paſſus, quod *Mummius*, & nihilo doctior,) *illos ipſos ex eo tempore credidit videre* (nempe *Neſtorem* &

Priamum) *cum tamen Arcades ex Phœneo viderct.* Quid dicemus de illo *Apuleii Flor. II p. 18* ed. *Ber.* ubi *Pythagoras* dicitur *Platonis* diſcipulus; & corrigendum ſimul eſt *commeantibus*, pro *comitibus*. Infra *p. 646* Gloſſæ *Petroniana* faciunt *Helenam*, uxorem *Menelai*, filiam *Agamemnonis*. Miſerabilis & abſurdi centonis conſarcinator *Salmuth.* ad *Panciroll. Nov. Rep. Cap. VIII p. 374* dicit, *Apollonium Tyaneum* a *Cyrillo* & *Pindaro* deſcribi. Idem *Cap. XIX p. 695* ſcribit, *Archimedem* ardentibus ſuis ſpeculis vires Syracuſanorum fruſtratum. Legi aliquando in publico quodam ſcripto, in Belgio edito, *Tiberium*, poſt acceptam a Germanis cladem, exclamaſſe: *Varro, Varro, redde mihi legiones meas*, quod quidem de *Auguſto* & *Varo* novi, at non item de *Tiberio* & *Varrone*. Confer lepidum & apprime huc faciens Caput *Ampelii XXXII.*

Pag. 337: *Hermerotis pugnas & Petronatis in poculis habeo*) Sic feci ex vulgata corruptiſſima lectione: *Nam hamerotes pugnaſſent petraitis in poculis habeo.* *Hermerotis* mutuatus fui ab interpretibus. *Petronas* nomen ſeriori ætati frequens, ut patet ex *Jo. Cameniata* libello *de excidio Theſſalonicæ*, apud *Allatium* in *Symmictis T. II p. 207, 1, 209, 6*, unde forte poſſet præter alia hoc quoque argumentum pro novitate huius fragmenti Traguriensis duci. *Allatius* quidem genitivum huius nominis format *Petrona*, ut ab *Æneas*, *Ænea*; & occurrit quoque

in

in Græco accuſativus *πετρωνᾶν p. 209, 6*, ut a *Θωμᾶς, Θωμᾶν*. Sed poteſt procul dubio quoque *Petronatis* formari, ut *ætas, ætatis, ſatias, ſatiatis:* (*Lucret. V, Hæc animos ollis mulcebant, atque iuvabant Cum ſatiate cibi,*) *Lænas, Arpinas, Capenas, Fidenas, Aſprenas, Caninas. Callidamas, Callidamatis*, apud *Plautum. Moſtellar. Flor. IV, 2, 37: Exſtat ad gubernatorem Amiclatem.* Ubi vid. *Salmaſ.* Quod autem alibi *Petranctis* ſcribitur, id indicat, genitivum formari quoque poſſe *Petronactis* a nominativo *Petronax.* Sæpe *ξ* mutatur in *σ*, ut *Hylas* pro *Hylax.* Conf. *Heinſ. not. p. 499. a. lin. 14 ſeq. Zeuſis* & *Zeuxis, Zaras* & *Zarax.* (Vid. *Caſaub.* apud *Scip. Gentil. ad Apuleii Apolog. p. 143.*) *Heſych.* ἴβυξ & ἶβις, μάςις, μάςιξ, *follis* & *follix*, (*Salmaſ. ad Tertull. Pall. p. 200*) unde *follicare.*

Pag. 339: *Μάλ' εἶα, πάρειθι, μάλ' εἶα.*) Sic ſcripſi pro vulgata *madeia perite madeia*, quæ crucem olim poſuit eruditis. Non poenitet facti, ſed eius tantummodo me poenitet, quod iſti pravæ omnium editionum lectioni *perite* nimis ſollicite inhærens, non ſcripſerim *πάρει* pro *πάριθι*. Nam, quamvis ſenſus idem ſit utriusque formæ, abeſt tamen *πάρει* propius a lectione Codicis Tragurienſis. Sanctiſſimus *Burmannus*, adeo, ut celebratur, religioſus & cautus in admittendis mutationibus, a Codicum auctoritate non approbatis, quare hic diſceſſerit a ſua norma ſcilicet, non video. Eſt enim in Codice

Trag. *peri*, non *perite*. Πάρει imperativus antiquus a *πάρειμι*, *prodeo in conſpectum*, ut novus eſt *πάριθι*. Olim erat verbum *ἔω*, *eo*, unde fiebat imperativus *ἔε*, contracte *εἶ*, idem cum Latino *i*, *ito*. Huius imperativi haud rara in ſcriptis veterum proſtant veſtigia. Ut *εἶ ἐς Ἀφάννας*, apud *Stephan*. Vid. *Scalig*. ad *Feſt*. *p*. *XXXV*. *Heſych*. *εἶ*, *πορεύȣ*, & *ἔξει*, *ἔξω*, ſcil. *ito*. *Ariſtoph*. *Acharn*. 165:

Ου μὴ πρόσει τȣ̃τοισιν ἐσκοροδισμένοις.

Hinc etiam corrigendus *Euripides Phœn*. *v*. 88:

Ὦ κλεινὸν οἴκοις Ἀντιγόνη θάλος, πάρει,
(non πατρὶ)
Ἐπεί σε μήτηρ παρθενῶνας ἐκλιπεῖν μεθῆκε.

Verbum *παριέναι* & *παρελθεῖν* proprie de illis dici, qui *ἐπιδείξεως* gratia prodeunt in publicum, notum eſt. *Alciphron*. *III*, 18, *p*. 317: *ὅςις ἐπιτήδειος κορδακίζειν*, *εἰς μέσȣς παρελθὼν*, *τὸ κοινὸν ψυχαγωγήσει*. *Heliodor*. *IV* *p*. 160, 22: *πρὸς δὲ τὴν κλῆσιν τȣ̃ κήρυκος παρίη* (ſic leg.) *τις*. *Philoſtr*. *V*. *A*. *T*. *IV*, 36, *p*. 177, 1: *τί δ' εἶπε* - - - *τὸν αὐτοκράτορα σπȣδάζειν φασίν*; *ἡνιοχεῖ*, *ἔφη*, *καὶ ᾄδει παριὼν εἰς τὰ Ῥωμαίων θέατρα*. Hinc emendandus *Dio Chryſoſt*. *p*. 421, *A*. 4, & *παριόντα* legendum, pro *παρόντα*. Tantum de *πάρει*. De *μάλ' εἶα* nunc paucis monendum. Memini, Celeberrimum quendam Leidæ Profeſſorem aliquando in privato mecum colloquio

hanc phraſin μάλ' εἶα tanquam non Græcam improbaſſe & proſcripſiſſe. Sed nihilo minus bene Græca eſt, & manebit. Eſt particula & dictio ἐγκελευςική. Conf. *Ariſtoph. Pac. v. 486.* Forte obiiciat quis, ibi εἶα μάλα legi, hic μάλ' εἶα. Sed hæc obiectio nullius eſt momenti. Sic enim ἀδιαφόρως tam μάλ' αὐτίκα, quam αὐτίκα μάλα dicitur. Porro patet ex μαλ' εἶα Δ & Λ & Α frequenter poſſe permutari; quæ res eſt quidem notiſſima in Græcis, & magna, quam comportavi, copia exemplorum poſſet demonſtrari. Unum tamen atque alterum e Latinis exemplum afferam, in quibus hæ literæ permutatæ errorem pepererunt. Apud *Varronem* in Ὄνος λύρας *Equi colore diſpares item nati: hic balius* (βάλιος, ſic legend.) *ille gilvus, ille murrhinus.* Apud *Florum III, 11, 7, Mazdara* leg. pro *Mazara* مزدرا.

Supereſt adhuc, ut moneam, per errorem factum eſſe, ut *Trimalchionem* loqui notaretur ad verba *& prodiſſet in medium*, cum *Encolpii* ea verba ſint.

Pag. 340, lin. 1. Non adeo eleganter dixit hic loci *Petronius*. Rectius fuerat: *modo Fortunatam ſuam reverebatur, modo ad naturam propendebat* (vel *defluebat*, vel ſimile quid,). Quem *Burmannus* allegat *Ariſtaneti* locum, ad confirmandam *Schefferi* emendationem μὰ δία, is aperte monſtrat, hunc tantum virum, Batavi cœli Atlantem, vix primis quidem labris degu-

ſtaſſe Græcas literas, vix earum cepiſſe elementa. Quid enim? Debebat, vel potius volebat, (nam a *Burmanno* certe nemo unquam diſcere Græcas abſtruſiores elegantias exſpectaverit,) volebat itaque docere, μὰ δία non ſemper negare, ſed etiam affirmare, ut hic loci *ma dia* (*per Iovem*) *perite*, *ma dia* (*per Jovem*), & in eam rem affert exemplum ex *Ariſtæneto*, ubi μὰ δία negat. Τῆς ἐκτοπίας. Debuerat ſuis Latinis alligatus manſiſſe, ut e quibus ſuam theſin ſufficienter probare poterat. Exemplum perhibet *Plautus Cap. IV, 2, 100:*

Ita me amet ſancta ſaturitas,
Hegio, itaque ſuo me ſemper condecoret cognomine, ut ego vidi. HEG. Meum gnatum? ERG. Tuum gnatum & genium meum.
HEG. Et captivum illum Alidenſem? ERG. μὰ τὸν Ἀπόλλω. *HEG. Et ſervolum*
Meum, Stalagmum meum, qui gnatum ſurripuit. ERG. νὴ τὰν Κόραν. &c.

Vid. *Donat.* ad *Hecyr. I, 2, 10.* Liber nunc ad manus non eſt. Poſſet etiam ex *Ariſtophanis Lyſiſtr. v. 466* probari. Sed ibi mutavit *Kuſterus* ex Cod. quod per ſe quidem parvi momenti foret, eo tamen valet, quod metrum νὴ requirat pro μά. Poſſet quoque probari ex illo *Xenophontis Conviv. p. 882, A:* ὑμῖν αὐτίκα μὰ δί' ἔξεστι πειρᾶσθαι. Sed ibi procul dubio legendum eſt αὐτίκα μάλ' ἔξεστι.

Pag.

Pag. 342: *Naſſa*) Nomen *Homericum Il. B. 867, 870*, qui ἔνασσον opes, cellas, frumenta, carnes, vina, &c. & erant œconomi. Ut hic in aliis Codicibus, præter Tragur. exſtabat *Nocte*; ſic etiam male apud *Apulei. p. 805* ed. *Beroald. Nactam* pro *Naſtam* exſtat.

Pag. 344: *Petauriſtarii*) A πεταύρῳ, *laqueo. Pindar.* in Fragm. apud *Clem. Alex.* ἐπὶ πέταυρον Ἄδυ συναντᾷ. Forte ille nodus eſt, cui ſolebant per ludum Thraces caput inſerere, & quem falce reſcindere. Vid. *Herodot.* & *Philoſtrat. p. 80, 81.*

Pag. 345: *Coturnices*) *Plato p. 502, C*: βυλοίμην ἄν μοι Φίλον ἀγαθὸν γενέσθαι μᾶλλον ἢ τὸν ἄριςον ἐν ἀνθρώποις ὄρτυγα ἢ ἀλεκτρυόνα. *Plutarch.* de fratrum amore *p. 866* ed. *Steph.*: ἀρξάμενοι γὰρ ἐπὶ παιδιαῖς διαΦέρεσθαι, περὶ τροΦὰς ζώων καὶ ἀγῶνας, οἷον ὀρτύγων ἢ ἀλεκτρυόνων. Conf. eiusdem *Alcibiades p. 356* de eius coturnice, quam in ſinu ſecum circumferebat.

Anemolia) Sic ſcripſi pro *animalia*; & adſcripſi meo *Petronio*, corrigendum eſſe hinc Epigramma apud *Salmaſ. H. A. p. 185 A.* ed. Pariſ.: ἀνεμώλιον ἦτρον Ὄρνειαν. Sed, quia librum iſtum ad manus nunc non habeo, nihil præterea poſſum dicere & cenſere.

Pag. 346 init. *Cap. 54* deeſt aliquid procul dubio in verbis *puer Trimalchionis*. Forte *puer in ſinum* (vel *latus*, vel *lectum*,) *Trimalchionis*. Intelligitur puer, qui in ſcalas eſcenderat.

Pag. 348: *Lividatum*) Sic ſcripſi pro *liberatum*. Forte olim fuit *libetatum*. *Libedo* pro *livedo*; ut, teſte *Salmaſio* ad *H. A. p. 129* ult. in Cod. Palatino apud *Spartian.* in *Pertinace Cap. VIII libigandis* fuit pro *lavigandis*. Non mihi quidem hactenus niſi ſemel occurrit verbum *lividare*, in nota *Bourdeloti* ad Voc. *Sugillare* infra *p. 792* quaſi ex *Ulpiano*. Nihil tamen aliud ferre poteſt huius loci ſenſus; & formandi ratio quoque approbat. Nam, ut a *rutilus*, formatur *rutilare* (vid. *p. 722*, ubi ex *Livio* & *Tacito rutilatus crinis*,) ab *acidus*, *inacidare*, (ſic reſtituendum *Apuleio p. 698 inacidatis* pro *macidatis*, aut *madidatis Beroaldi*,) a *vanus*, *vanare*, (*Attius* in Fragm. *Delrii p. 126*) ab *amicus*, *amicare*, (vid. infra *p. 472*, *b*, nota *Reineſii*,) a *ſingultus*, *ſingultare*, (*Ovid. Triſt. III, 14*, *ſingultatis oſcula mixta ſonis*,) a *nudus*, *nudare*, a *viduus*, *viduare*, a *elucidus*, (dulcis, γλυκὺς, γλυκερὸς, γλυκιδὸς,) *elucidare*, (dulcificare,) *ſimus*, *ſimare*, (*Lucil. p. 41*, ubi forte legend. *Simas myſtaxim ad nares*,) *fœdus*, *fœdare*, *gravidus*, *gravidare*, *ſordidus*, *ſordidare*, & alia talia numero vix comprehendenda, ſic etiam formari commode poteſt a *lividus*, *lividare*. Occurrunt alia multo, quam hoc, inſolentiora. *Rarare*, *ſamiare*, *corporare*, *baccare*, *cacabare*, *altiare*, *dapinare*, &c. Ut itaque huic verbo *lividare* controverſia iure fieri nequeat.

Pag. 361: *Ventum textilem*) Frigidum. Conf. *Philoſtr. p. 160 Cap. 21*: ἀκούω δὲ ὑμᾶς ἀνέμου γενέσθαι &c.

Pag.

Pag. 362: *Nudam in nebulâ linea*) *Alciphron. p. 188:* πρώτη Μυῤῥίνη τὸ ζώνιον λύσασα, βόμβυξ δ' ἦν τὸ χιτώνιον, δι' αὐτῦ τρέμυσαν, οἷον τι μελίπηκτον γάλα, τὴν ὀσφὺν ἀνεσάλευσεν. Vid. *Bergler. ibid.*

Pag. 365: *Deiiciebat*) Proprie de gladiatoribus. Corrigatur *Heſych.* in ἐκνεύμυκτεν, κατέβαλεν. Leg. ἐκπύκτευεν (pro ἐξεπύκτευεν).

Pittacia) Male *Urſinus* ad *Excerpt. Polyb. p. 90* hanc vocem bis in πινάκια mutat.

Pag. 366: *Sceleratum*) Alludit ad σκέλος. Igitur allata fuit *perna.*

Pag. 367: *Æcrophagia*) An *aſchrophagia*, ut ἀναγκοφαγίαι, πικροφαγίαι. (Conf. *Heſychius* in Ὄνειδος - - - εἶδος πόματος.) An *xerophagia*? Adſcripſi quoque meo *Petronio Artemidori p. 214* ed. *Rigalt.*

Pag. 369: *Sublatis manibus eluderet.*) Huc facit *Heſychii* corruptus ille locus in Μασχάλην αἴρειν, qui forte ſic reſtituendus: Μασχάλην αἴρειν. κωθωνίζεσθαι καὶ πίνειν. ἐν τῷ μεθύειν αἴρειν ἄνω τὴν μασχάλην εἰώθεσαν καὶ λέγειν. ὡς ἄνω τὴν μασχάλην Αἴρομεν, ἐμπεπωκότες. † Μασχάλην αἴρειν. ἀντὶ τῦ κωθωνίζειν καὶ καταμωκᾶσθαι ταῖς χερσίν. οἷόν ἐςι καὶ τὸ παρ' Ὁμήρῳ. χεῖρας ἀνασχόμενοι.

Pag 370: *Bellum pomum*) Germani quoque ſic: *Du ſchœner Apfel aus des Teuffels Luſtgarten.* Miſeret me doctorum hominum, qui hic tricantur.

VI.

FRID. OTTONIS MENCKENII LIBRORVM, HAVD ITA DIV AB INVENTA ARTE TYPOGRAPHICA EDITORVM, QVIBVS SVPPLERI POSSINT ANNALES TYPOGRAPHICI MAITTAIRIANI, DECAS ALTERA.

Quæ ſint inſtituti huius rationes, & qua ex parte, ſi non utile, at iucundum, futurum Lectoribus, noſtrum hoc de libris vetuſtioribus commemorandi conſilium putem, nuper, cum primam talium librorum Decada proferrem, pluribus expoſui. Nihil itaque præfandum novæ huic laboris, haud ita pridem coepti, particulæ habeo, niſi hoc unum, non maiorem mihi de munuſculo hoc levi gratiam haberi poſſe, quam ſi eodem, quo dedimus, id animo accipias, & in tota hac re noſtrum in te ſtudium, &, quicquid nobis literatæ ſupellectilis fortuna dedit, in tuum, ſi fieri poſſit, uſum convertendi voluntatem, agnoſcas.

I. *Marci Valerii Martialis Hiſpani Xenia, & Apophoreta.* 4.

Titulus libri, quæ poſuimus, verba, nihil præterea, habet. In extrema autem pagina hæc leguntur: *Marci Valerii Martialis Poetæ Xenia & Apophoreta impreſſa Francphordio per honeſtos viros Nicolaum Lamperter & Baccalau-*

laureum Balthaſar Murrer, Anno Domini MDVIII. *Lamperterum* hunc & *Murrerum* nemo novit eorum, qui Typographorum illa ætate clariorum hiſtoriam ſcriptis tradiderunt. Itaque, cum primum liber iſte incideret in manus meas, gaudebam poſſeſſione talis monumenti, ex quo ſatis fieri manifeſtum poſſet, non, quæ communis eſt Scriptorum omnium ſententia, anno demum 1532 ab *Egenolpho* primum in urbe Francofurtana, ad Mœnum ſita, typographiam inſtitutam, aut illa ætate inter primos hunc fuiſſe, qui de libris prelo excudendis in urbe illa cogitarint, ſed diu ante, anno nempe 1508, artis typographicæ, felici ſatis ſucceſſu hic tractatæ, ſpecimina oſtendi. At vidi poſtea, inane aliqua ex parte meum gaudium fuiſſe, cum in *Jo. Chriſtoph. Becmanni Notitia Univerſitatis Francofurtanæ pag. 271* annotatum legerem, hoc ipſo anno 1508, atque adeo biennio poſt inſtitutam Academiam, Francofurti ad Viadrum prodiiſſe librum hunc, forma maiori impreſſum: *Epitome Problematum & opinationum doctorum circa Libr. I Sententiarum pro Proceſſu diſputatorio theologico circulari florentiſſimi Studii Francofordiani, curante Conr. Wimpina, per artis impreſſoriæ Magiſtros Nicolaum Lamperter & Balthaſar Murrher, Kal. Oct.. A. MDIIX.* Tunc ſcilicet, cognitis *Lamperteri* & *Murrheri* nominibus, nulla amplius dubitandi cauſa fuit, Viadrini hos, non illius ad Mœnum ſiti, Francofurti cives fuiſſe, iamque libri, de quo ſermo nobis, natalem urbem certius indicare, quam

ante,

ante, ſcivi. Nec difficile tunc intellexi, quid ſibi velit nomen *Baccalaurei, Murrbcro* additum; quippe quam ſatis uſitatam in Academiis dignitatem eſſe, hisque tribui ſolere, qui prima philoſophici curriculi ſpatia emenſi ſunt, inter omnes conſtat. Diſci igitur hoc etiam argumento poteſt, arti typographicæ plurimum olim honoris tributum, nec homines literarum rudes & ignobiles, quales noſtri fere ſunt typographi, ſed Muſis toto animo deditos, & publicis quaſi ſtudiorum inſignibus donatos, ei operam dediſſe. De libro, cuius titulum appoſui, etſi non affirmare mihi licet, primum fuiſſe eorum, quos Francofordia exire officinis ſuis vidit: ſunt enim nonnulli, quibus A. 1506 & 1507 lucem videre in hac urbe contigit, a *Becmanno l. c.* nominatim indicati; tamen ſic etiam ſatis antiquus eſt, & in rarioribus memoratuque dignis numerandus, quod ipſam typographiæ Francofordianæ velut infantiam & prima incunabula illuſtret, ipſique *Becmanno*, rem illius urbis literariam ſatis diligenter perſequenti, &, quicquid ſub primis inſtitutæ Academiæ temporibus ſcriptorum prodiit, tanquam in numerato habenti, fuerit incognitus. Nam, quod nihil huius libri in *Maittairii Annalibus* invenias, id minus mirum videri ei debet, qui meminerit, in veſtigandis libris, ſub naſcentis typographiæ tempora Francofordiæ excuſis, adeo a fortuna deſtitutum *Maittairium* fuiſſe, ut ex his, quorum a *Becmanno* facta mentio, ne unum quidem ſibi obvium habuerit, nec ante annum 1519, quo editas Franckofurdiæ *in*

electio-

electionem Caroli V Imp. Orationes tres notavit in *Indicis Annal. typ. T. II pag. 105*, urbis huius in *Annalibus* ſuis nomen memoraverit. Sufficere vel unum hoc ſpecimen refutandis iis poteſt, quibus *Maittairianum* illud opus plenum adeo omnibusque numeris abſolutum dicitur, ut vix invenire liceat, quod addi ei poſſit; nec difficile hinc iudicare licet, ſi vel una Germania, in qua, non dicam plane hoſpitem, at certe nec ita verſatum, ſicut decebat, fuiſſe *Maittairium* apparet, recludat theſauros ſuos, hosque utendos permittat novo eiusmodi *Annalium* ſcriptori, nihil eſſe dubitandum, quin huius demum opera tale exædificari opus poſſit, cui, ſi collectorum copia librorum ſpectetur, *Maittairianum* illud comparari nullo modo poſſit. Ad augendum huius *Epigrammatum* aliquot veterum editionis (vix enim docendus eſt Lector, non integrum hic *Martialem*, ſed eius tantum *Librum XIII* & *XIV*, legi, quorum alterum *Xenia*, alterum *Apophoreta*, inſcribi, nemo neſcit,) pretium, eandemque Lectoribus noſtris commendandam, illud inprimis facit, quod nihil de ea cognitum ipſi fuerit *Fabricio*, in cuius *Bibliotheca Latina*, ditiſſimo alioqui & prorſus inſtructo opere, hanc veteris Poetæ editionem fruſtra quæras. Itaque, ne rei ſtudioſis literariæ ignota hæc deinde ſit, omnem eius formam pauciſſimis deſcribemus. Edendi iſta *Martialis* Carmina typographis autor præcipuus fuiſſe videtur *Joannes Honorius Criſpus Cubitenſis*, quippe cuius & *Epi-*

gram-

gramma ad Lectorem, & Commemoratio vitæ *Marci Valerii Martialis*, his *Epigrammatum* Libris Præfationis loco ſunt præmiſſa. Cuius quidem *Criſpi* quæ aut fata, aut in literas merita, fuerint, vix, tacentibus, quicunque mihi ſunt inſpecti, illius ætatis typographis, aliquis a me poſcat, ut divinando aſſequar. In illa certe, quam ſæpius dixi, *Univerſitatis Francofurtanæ Notitia Becmanniana*, accuratum nobis eorum, qui inde a Seculi XVI initiis ad recentiſſima usque tempora in illa Academia publicam docentium cathedram ornarunt, indicem exhibente, *Criſpi* huius nomen nusquam apparet. Ipſe ſibi *Magiſter* dicitur ſub initium eorum, quæ de *Martialis*, ut paulo ante dixi, vita ſcripſit; unde colligere liceat, aut doctorem privatum fuiſſe, aut typographos, ne libri maculis fœdatis prodirent, conſilio & opera iuviſſe. *Cubitenſis* ſine dubio a patria dictus eſt, natus, ut ego puto, *Cubiti*, Bohemiæ oppidulo, Germanis *Elnbogen* vocari ſolito. Quisquis fuerit, humanioribus literis non leviter eruditum fuiſſe, ea, quæ libro huic a ſe compoſita præmiſit, haud obſcure docent. Et *Epigramma* quidem, laudibus non *Martialis* tantum, ſed ipſius etiam typographi, dedicatum, tantum, meo iudicio, venerum & ſuavitatis habet, ut, gratiam initurum me a Lectoribus, ſperare poſſim, ſi ex libro rarius obvio hic legendum offeram, memoriæ ita conſulturus optimi Poetæ, quem ipſa mori Muſa vetat. En igitur integrum:

Si

Si quis ades, lepidum vatem Latiasque Camenas
Noſcere qui cupias; Diſticha culta lege.
Ite procul nimium rigidi miſerique Catones,
Ingenioſa cohors, dogmata docta lege.
Ingenioſus erat, qui Diſticha finxit amæna;
Verſibus inſeruit munera cara ſuis.
Candida libertas Romana conſtitit urbe.
Nexus amicitiæ munera larga dedit.
Tempore brumali mittebat munera dives,
Hoſpitibusque dedit muſta Falerna ſuis.
Nectareum dives donabat ſæpe Falernum
Et captos cervos, Cecropiosque favos.
Nil aliud potuit, quam carmina mittere, Marcus;
Non mulſum, lepidos ſed dedit ipſe ſales.
Non miſit fulvi, quia pauper, dona metalli,
Sed dulci affinxit carmina culta ſono.
Aurea dona ſuis cupiebat reddere amicis,
Cecropiosque favos ambroſiasque dapes.
Nec potuit cervos, nec Maſſica mittere vates;
Sed potuit ſenis nectere quinque pedes.
Si te ſcire iuvat, quæ Saturnalia feſta
Munera contineant, Diſticha pulchra lege.
Quod bene preſſit opus dulci novitate refertum,
Exigua vendit bibliopola ſtipe.
Læta fronte, precor, gemmas in carmine Marci
Adſpice, & exorna laudibus immodicis.
Neſtoream vincat tua laus, dic, Marce, ſenectam;
Tithoni exuperet ſecula longa ſenis.
Nomen inexſtinctum tibi ſit, quia dulcia donas
Carmina, Mæoniis æquiparanda ſenis.
Laudis honos maneat, dum ſtabunt aer & ignis,
Dum mare, dum tellus. Lector amice, vale.

Eadem

Eadem elegantia eſt *Vita Martialis*, brevioris quidem, nec niſi duas inplentis paginas, at terſa & ſuccincta oratione ea omnia, quæ de Poeta iſto dicta ſunt ab Auctoribus antiquis, complectentis, & illis Poetarum deſcriptionibus, quas favente Minerva *Petrus Crinitus* dedit, ſimillimæ. Huic *Criſpi* narrationi adiecta ſunt, quæ de *Martialis* vita & operibus *Georgius Alexandrinus* memoravit, pauca illa & nuda, ex huius *Georgii* editione *Martialis* huc translata. Tum ipſa Poetæ Epigrammata leguntur, ſatis pro illa ætate nitide, ſatis etiam accurate, excuſa, ſed quibus nihil præterea ornamenti, nihil Notarum, nihil, quo uti ad explicandum, aut illuſtrandum, Poetam poſſis, additum. Hæc dicere habeo de libro, ſi non aliam, at certe antiquitatis, commendationem habente, hocque nomine inter rariora rei literariæ cimelia ponendo.

II. *Pauli Oroſii, Hiſtoriographi clariſſimi, opus præſtantiſſimum. Venundatur in vico divi Jacobi ſub ſigno divi Martini.* 4.

Brevior, ut vides, titulus eſt, ſed cui, ornatus cauſa, inſigne ſuum, integram fere paginam implens, typographus addidit, cum ſcriptis in circulo verbis: *A laventure tout vient à point, qui peut atendre*, & ſubſcripto nomine: *Denis Roce.* Alia, quæ fortaſſis in titulo debebant, ex more illius ætatis ſub finem libri ſunt notata, ubi hæc lego: *Pauli Oroſii, viri percelebris, hiſto-*

hiſtoriarum opus abſolutum eſt, quam diligentiſſime emendatum. Impreſſum Parhiſiis per Johannem Barbier, impreſſorem, nec non librarium, iuratum, in vico ſancti Jacobi commorantem ſub enſis interſignio, pro Dioniſio Roce, in eodem vico commorante ſub divi Martini interſignio, nec non pro eodem Johanne Barbier, Anno ab incarnatione Domini MCCCCCX, die XIII Menſis Novembris. Inter rariſſimas, & paucis viſas, *Oroſii* editiones hanc ipſam numerari debere, non eſt dubium. Ut taceam enim, nihil de ea cognitum *Maittairio* fuiſſe, nec a *Dan. Guil. Mollero* in Diſſ. *de Paulo Oroſio*, A. 1689 Altorfii edita, & ſatis diligenter ſcripta, ullum eius indicium factum, ipſe etiam *Fabricius*, cum editionis huius mentionem facit in *Biblioth. Lat. Vol. III pag. 536*, & in *Bibl. Lat. med. & inf. ætatis pag. 517*, nihil, quod de ea doceret lectores ſuos, habuit, niſi hoc unum, ex legato *Perizoniano* ſervari eam in Bibliotheca Leidenſi. Unde, nec inſpectam ei unquam, nec in vulgo obviis habitam, facile colligas. Deberi hanc editionem curæ & conſilio *Ludovici Thibouſt*, Pariſienſis, huius, docet *epiſtola*, operi præmiſſa, *ad clariſſimos Ludovicum & Andream Guillardum, ſpectatiſſimæ indolis adoleſcentes patricios. Thibouſti* huius quæ aut in patriam ſuam, aut in literas, fuerint merita, ſi quis ſit lectorum, qui dicere mihi, amice rogatus, poſſit, huic eo nomine multum gratiæ habebo; ego certe, fruſtra excuſſis Bibliothecæ meæ forulis, quod doceam

eius rei curioſos, nihil habeo. Ignorat certe hunc *Thibouſtum Bullæi Hiſtoria Academiæ Pariſienſis*, verus hiſtoriæ Gallorum literariæ theſaurus; quod mihi argumento eſt, mediocrem huius hominis ſua ætate famam fuiſſe, nec ſingularem adeo literis ab eo operam navatam. Si quid coniectura aſſequor, *Guillardorum* iuvenum moderandis & ſtudiis, & moribus, præfectus fuit, &, ut liber illis ad manum eſſet, ex quo veterem hiſtoriam haurire commode & cum fructu poſſent, ideo potiſſimum edendi *Oroſii*, a quo res tot retro actas ſeculis ſatis diligenter deſcribi, recte iudicabat, conſilium cepit. Utitur enim compellandi hos adoleſcentes tali prorſus, qualis deceat magiſtrum, ratione, nec auctoritate hæc monentis & hortantis verba carent: *Enimvero ego ipſe, multis rebus ſubinvitatus, adoleſcentes ſpectatiſſimi, vos moneo, & hortor, ut præſtantiſſimum hoc opus, vobis nominatim dedicatum, hilaro vultu & ſerena fronte ſuſcipiatis, multum inde iucunditatis, multum emolumenti, nec minus beatitudinis, reportaturi.* Ex ipſa hac epiſtola ſi iudicium facere de ingenio & doctrina Auctoris liceat, vix ei putem inter primi ordinis viros doctos locum tribuendum. Valde enim tritum epiſtolæ argumentum eſt, vulgarem & hiſtoriarum, & harum ſcriptoris, *Oroſii*, commendationem continentis, in ſermone autem durum aliquid, & aſperum, & a veterum ingenio longiſſime remotum, affectantis. Ceterum, quam ipſe in edendo rationem ſit ſecutus, quo aut duce, aut adiutore, uſus; ad libros

bros manu ſcriptos, an ad vetuſtiores editiones, exſcribendum hunc ſuum Auctorem curaverit, hæc, & his ſimilia, ſi quis ſcire cupiat, is nihil tale ex hac, quam dixi, epiſtola diſcet. Quod vero in eadem *annotatiuncularum* mentionem facit *Thibouſtus*, quas ipſe *chartatim in marginibus adſcripſerit*, id ità accipiendum, narrationum *Oroſii* ſumma argumenta, quæ commodam facere lectionem poſſint, ad oram libri notata. In his, fateor, laudanda eſt induſtria Auctoris, qui ex magna illa rerum ab *Oroſio* deſcriptarum copia nihil facile prætermiſit, quod non breviori formula complexus ſit, ut, ſi argumenta hæc in unum velut corpus cogantur, eundem *Thibouſtus* dediſſe nobis *Oroſium*, ſed multo contractiorem, videatur. Quo vero iure, quicquid eſt laboris huius, *annotationum* titulo ſuperbiat, non intelligo, annotatum hic, quod aut ad explicandum, aut ad illuſtrandum, faciat *Oroſium*, nihil videns; niſi forte illud in aliquo numero habendum putetur, quod, ſi quia *Oroſius* Scripturæ ſacræ verba proferat, ipſa, ubi verba hæc leguntur, loca in margine notentur. At eiusdem opera *Thibouſti* acceſſit huic editioni rerum notatu digniorum (*literarium* Autor dixit) Index plenus, & ad uſum maxime accommodatus, vetuſtiorum librorum dos rariſſima. In hoc, ipſe ait Auctor, *caſtigata eſſe nonnulla offendicula*, ſeu errata, quæ incuria librariorum in annotatiunculas irrepſerint. Hæc, cum nominatim non ſint indicata, non aliter, quam conferendo indicem

cum annotatiunculis, hoc eſt, ipſo uſu, cognoſcet lector. Quod ad contextum *Oroſii*, is ad antiquiores editiones, quarum complures *Fabricius* collegit, ex parte caſtigatiſſimas, expreſſus videtur. Nam conferenti mihi hanc editionem in loco uno & altero cum illa omnium emendatiſſima, quam A. 1738 *Sigeb. Havercampus* curavit, vix in vocula una & altera obſervatum harum editionum diſſenſum memini. Si quid eſt, quod parum hic laudari mereatur, corrupta illa ſcribendi ratio, quam orthographiam vocant, & literarum ſunt compendia, barbaris *abbreviaturæ* dici ſolita; quorum alterum editorem parum in re critica verſatum prodit, alterum, ſi non difficilem, at ingratam valde, lectionem reddit.

III. *In Præfationem naturalis Hiſtoriæ Plinii Commentationes.* 4.

Sub finem libri hæc notata ſunt: *Impreſſum Romæ per Jacobum Mazochium, Romanæ Academiæ Bibliopolam, Anno Salutis MDX, die XI Octobris.* Vel ipſum typographi nomen commendatiſſimum efficere lectoribus hunc librum poteſt. Fuit enim ex eorum numero *Mazochius*, qui cum ſingulari in excudendis libris ſolertia haud vulgarem doctrinam coniunxerunt; & inter rariora illius ævi monumenta iure ſuo refertur liber eius, A. 1521 Romæ editus, & ipſius prelo excuſus, quo *Epigrammata antiqua urbis* complexus eſt, & eam ſibi laudem

acqui-

acquiſivit, ut nunc etiam inter primos numeretur, qui ſuam ad colligendas Inſcriptiones antiquas induſtriam converterunt. Is igitur *Mazochius* ſub initium Seculi XVI artem typographicam in Urbe exercuit, & inter alia, quæ paſſim *Maittairius* adduxit, ſed quæ inſpecta ſunt hoc tempore pauciſſimis, illas etiam *in Præfationem naturalis Hiſtoriæ Plinii Commentationes* exire officina ſua iuſſit. Huius libri Auctorem loquitur præmiſſa ei Præfatio, cui nomen ſuum *Antonius Faber*, Ferrarienſis, inſcripſit. Cuius, docti ſane, & immortali memoria digni, hominis adeo, quod dolendum eſt, in obſcuro latet fama, ut in magno eorum numero, qui vitas nobis doctorum hominum diligentiſſime deſcriptas dederunt, vix unum, aut alterum, ſciam, cui *Antonii* huius vel ipſum nomen fuerit cognitum. In *Conradi Geſneri Bibliotheca*, per *Joſiam Simlerum* & *Jo. Jac. Friſium* aucta, quæ prodiit Tiguri A. 1583, *pag. 56* pauca hæc legas: *Antonius Faber Ferrarienſis ſcripſit in Præfationem Plinii.* Eadem verba, ne mutata quidem litera, invenio in *Bibliotheca Alphonſi Ciaconii*, A. 1730 Pariſiis edita, *pag. 190*; cui ſcriptori in more hoc eſt poſitum, ut ex fontibus *Geſnerianis* hauſta non aliter nobis, ac ſi eſſent ſua, propinet. His aliquanto meliora ſunt, quæ de *Fabro* hoc nos docet *Ferrantes Borſetti Ferranti Bolani* in *Hiſtoria almi Ferrariæ Gymnaſii*, Ferrariæ A. 1735 editæ, *P. II Lib. IV pag. 358*, ſed qui, neſcio qua de cauſa,

Antonium Fabro, non *Fabrum*, dicit. Is, Iuris utriusque Doctorem, Philoſophum, multæque eruditionis virum, fuiſſe, ac, præter *Obſervationes in Plinium*, ſcripſiſſe, refert, *Hiſtoriam*, & alia, quæ nunquam prelo ſint mandata. Quæ brevius, ut vidimus, a *Ferrante* narrata ſunt, copioſius, & tali oratione, quæ Oratorem magis, quam Hiſtoricum, deceat, expoſuit *Antonius Libanori* in libri, *Ferrara d'oro imbrunito* inſcripti, *Parte III pag. 41*, ingenium excellens & ſublime, rerum philoſophicarum incomparabilem peritiam, politiſſimumque ſcribendi genus, ei tribuens; ac, præter alia, hoc etiam de eo ſingulare docens, quod ſua ipſe manu ſtatuam ſciverit pulcherrimam, &, quæ in Capitolium inferretur, prorſus digniſſimam, effingere. Retulit hæc, quæcunque de *Fabro* attulit, *Libanorus* fide duorum Ferrarienſium Scriptorum, *Superbi* in *Apparatu p. 89*, & *Guarini* in *Chieſe di Ferrara Lib. II pag. 52*, ſed quos inſpicere mihi, utpote rariſſime obvios, adhuc non licuit. De gentilitio huius *Fabri* inſigni, duas coronas aureas, quales Ducibus conveniant, ſpectandas exhibente, idem *Libanorus* in *Appendice Partis tertiæ pag. 276* varia commemorat. Quas diximus ab eo editas *in Præfationem Plinii Commentationes*, cum ita ornatæ ſint rarioris doctrinæ floribus pulcherrimis, ut & lectori voluptatem inſignem, & plurimum lucis ipſi *Plinio*, afferre poſſint, dolendum eſt, eruditorum hominum huc usque cognitas pauciſſimis fuiſſe, & tanquam craſſis occul-

occultatas tenebris latuiſſe, unde ſi protractæ aliquando, a cuiuscunque demum, literis bene cupientis, hominis cura novum nitorem accipiant, non dubito, egregie hoc ipſo bonis literis, & harum amatoribus, conſultum iri. In *Annalibus Maittairianis*, horumque *Indice*, largiſſima *Supplementa* continente, librum hunc fruſtra quæras. Nec ipſi illi talium librorum diligentiſſimo inveſtigatori, *Fabricio*, quidquam aliud de hoc opere, cuius Auctorem nunc *Antonium Ferrarienſem*, nunc *Antonium Fabrum*, dixit, compertum fuit, quam non viſum *Harduino* eſſe, & laudari eum in *Catalogo Bibliothecæ Seilerianæ pag. 124.* Vide huius *Fabricii Biblioth. Lat. Vol. I Lib. II Cap. 13 pag. 411*, & *Vol. III Lib. II Cap. 13 pag. 620.* Quod vero inprimis mirandum, etiam *Joannes Harduinus*, quo nemo aut melius de *Plinio* promeritus, aut maiore ſtudio in his, quæ ante ipſum alii in opus *Plinianum* ſcripſerant, verſatus eſt, non in manus ſuas perveniſſe *Fabrianas* has *Commentationes*, nec niſi indicio *Pictorii*, laudantis eas in *Scholiis ad Marbodei librum de gemmis fol. 38*, ſibi cognitas, queritur in Præfatione, *Plinio*, a ſe edito, præmiſſa. Quid igitur hinc, Lector, aliud conficias, quam in numero librorum, non raro, ſed rariſſime, obviorum, reponi *Fabrum* hunc debere, & cauſam me, cur de eius poſſeſſione gaudeam, non omnino nullam habere? Factum autem hoc malo quodam libri fato, & præter eius meritum, putari debet, quod de conſervando

eo, & ad poſteros tranſmittendo, tam parum cogitatum eſt; & ſexcentos ego alios, quos maiori literarum detrimento, quam commodo, & traditos ætati noſtræ, & commendatos, ſcimus, manibus hominum excuſſos, quam unum hunc *Fabrum*, malim. Verum eſt *Pictorii* de eo iudicium, *in Præfationem Plinii non minus recte, quam eleganter, commentatum*, *l. c.* ſcribentis. Etſi enim non deſunt in hoc opere, quæ alius quisque noſtrorum hominum fortaſſe melius & accuratius ſcripſiſſet: qualia, ſi obveniant legentibus, condonanda ſunt ætati illi, non ita, ſicut hæc noſtra, excultæ, nec, quibus nunc utimur, literarum præſidiis inſtructæ; tamen minime neganda Auctori laus induſtriæ videtur, quam ſive in enodandis rerum philoſophicarum & naturalium argumentis, ſive in illuſtrandis, & ex omni genere ſcriptorum veterum eruendis, antiquitatibus, ſive denique in explicandis, quæ ſunt paſſim obviæ in *Plinio*, obſcurioribus, & intellectu difficilioribus, formulis, præclare poſuit. Ceterum de genere dicendi *Fabriano*, etſi floſculis, undecunque collectis, & acutis ſententiolis, nimium abundat, hoc tamen affirmare licet, elegantiæ & ſuavitatis plurimum habere, & hinc etiam intelligi, in lectione veterum Auctorum, ſi quem alium, hunc *Fabrum* verſatiſſimum fuiſſe. Fuit ſane *Faber*, ſi iudicium de eo facere ex libro hoc *Commentationum* liceat, excellenti vir ingenio, &, ſi longiorem ei vitam fata conceſſiſſent, ad iuvanda

de literarum commoda aptiſſimus. In ipſo enim ætatis flore mortuum, inde colligo, quod librum hunc ipſe in Præfatione *ſuorum libamenta ſtudiorum* vocet, &, brevi ſe daturum ſimiles *in Martianum Capellam Commentationes, maiorum*, ut ibidem ait, *vigiliarum munus*, promittat; cuius quidem operis cum nihil unquam luce conſtet publica donatum, nec, quod ſciam, aliud quidquam ſcriptorum *Fabri* poſtea prodierit, id ipſum mihi, quoad certiorem cauſam ignoramus, immaturæ *Fabri* morti liceat tribuere.

IV. *Mirabilia Romæ. 8.*

Breviſſimus, ut vides, libri titulus; ſed quem comitatur in lignum inciſa, integramque ferme paginam occupans, figura lupæ, ſua *Romulo* & *Remo*, Urbis conditoribus, ubera præbentis. Quem liber iſte, octo implens plagulas, locum habuerit natalem, cuius item typographi cura ſit excuſus, hæc, ſub eius finem notata, docent: *Impreſſum Romæ per Marcellum Silber, alias Franck, Anno Domini MDXIII, die V Octobris.* Satis nobile inter Romanæ urbis typographos huius *Silberi* nomen eſt, ex cuius officina, ut libros conſtat prodiiſſe plures alios, ita hoc ipſo anno 1513 emiſſum hunc: *Pſalterium & Canticum Canticorum, & alia Cantica Biblica Æthiopice, & Syllabarium, ſeu de legendi ratione, ingenio & impenſis Joannis Potken, Præpoſiti Eccleſiæ Sancti Georgii Colonienſis, Maittai-*

rius in *Annalium* ſuorum *Indice T. I pag.* 156 profert, ſed cui ignota hæc, quæ ante oculos habemus, *Mirabilia* fuerunt. De Auctore libri, quod dicam, nihil habeo. Nusquam enim is per totum librum ſui nobis indicium fecit, nec, tacentibus de hoc opere, quicunque Hiſtoriæ, aut Antiquitatum, Urbis ſcriptores non indiligenter commemorarunt, quidquam de eo mihi aliunde licuit cognoſcere. Si coniecturam facere me velis ex argumento libri, qui, ieiunus in ceteris, copioſe & de Urbis templis agit, & horum indulgentias enumerat, & aſſervatas hic Reliquias Sanctorum deſcribit, Monachum fuiſſe putem, ſi non prorſus indoctum, at certe maiora & literis utiliora conandi facultate deſtitutum. Eſt enim talis hic liber, qui nec ingenii, nec doctrinæ, laudem acquirere auctori ſuo poteſt, ad id, ut videtur, compoſitus, ne, qui forte peregrinantur Romæ, his liber deeſſet, unde, quid ſpectatu inprimis dignum eſſet, diſcere nullo negotio poſſent. Decebat Auctorem de inſtituto ſuo certiores nos facere in limine libelli; ſed huic aliter viſum, nec is operi ſuo Præfationem, aut aliud quidquam ornamenti, addidit, niſi hoc in ornamentis habendum ſit, quod paſſim imagines Sanctorum, quibus templa dedicata ſunt, aut aliæ rerum religioſarum formæ, in ligno expreſſæ, acceſſerunt. Duæ autem libri quaſi partes ſunt: quarum alteram Auctor *Mirabilia Romæ*, alteram *Indulgentias Eccleſiarum urbis Romæ*, inſcripſit. Harum prior, quæ

multo

multo brevior poſteriori eſt, externam Urbis faciem, portus infra urbem & trans Tyberim, montes infra urbem, pontes urbis, palatia Imperatorum, arcus triumphales, & non triumphales, thermas, theatra, Anguleam S. *Petri*, Coemeteria, loca, ubi Sancti paſſi ſunt, templa, Capitolium, equos marmoreos, ruſticum ſedentem ſuper equum, Coliſeum, templum S. *Mariæ rotundæ*, & aliud S. *Mariæ* in Capitolio, paucis verbis, ſed admixtis ubique fabulis, deſcribit; poſterioris quæ ſint argumenta, ipſis, quæ præmiſſa ei ſunt, Autoris verbis dicemus; quibus lectis, neminem facile futurum putamus, qui librum ipſum legendi ſe ſentiat cupiditate inflammatum. Ita nempe Autor: *In iſto opuſculo dicitur, quomodo Romulus & Remus nati ſunt & educati. Et poſtea quomodo Romulus factus eſt primus Rex Romanorum, & conditor Urbis Romanæ; quomodo & quamdiu ipſe & ſucceſſores ſui rexerunt. Et etiam de Imperatoribus Romani imperii; qualiter imperaverunt; a primo Julio Cæſare usque ad tempus Conſtantini magni Imperatoris. Et quomodo Conſtantinus lepra eſt curatus; a beato Sylveſtro baptizatus. Quomodo ſanctus Conſtantinus Eccleſiam Romanam dotavit, ac beato Silveſtro omnibusque ſuis ſucceſſoribus, Romanis Pontificibus, totam Italiam, omnes provincias occidentales, regiones, loca, civitates, & inſulas, quæ circa Italiam ſunt, pio affectu dedit. De Indulgentiis omnium eccleſiarum, & Reliquiis, quæ Romæ exiſtunt. Item de ſtationibus*

nibus in eisdem ecclesiis per circulum anni. Audire tibi videaris fabulatorem aliquem noſtri temporis circumforaneum; adeo res etiam ſcitu & narratu digniſſimæ pueriliter & nugatorie narrantur. Sed, ut verum fatear, ſatis hæc ratio dicendi rebus, quæ dicuntur, reſpondet. Maxima enim libri pars indulgentiis, & laudibus Sanctorum, dicata eſt; ubi quid aliud, quam aniles fabulas, & delirantis ſomnia plebeculæ, exſpectes? His, ne quid ineptiarum deſit, admixtæ ſunt paſſim religioſæ ad Sanctos primi ordinis orationes, tales ſane, quas, valde ſtolidi ſint illi Sancti, ſi libenter audiant. Nec verſiculorum hic parum invenias, de quorum ut elegantia iudicare poſſis, vel unum hoc ex *Oratione devotiſſima de Sudario ſacratiſſimi vultus domini noſtri Jeſu Chriſti, vel Veronica*, ſpecimen damus:

Salve, ſancta facies noſtri redemtoris,
In qua nitet ſpecies divini ſplendoris,
Impreſſa panniculo nivei candoris,
Dataque Veronicæ ſignum ob amoris,

— — — — — — — —

Eſto nobis, quæſumus, tutum adiuvamen,
Dulce refrigerium atque conſolamen,
Ut nobis non noceat hoſtile gravamen,
Sed fruamur requie cum beatis. Amen.

Meliora fortaſſe, certe ab homine veri amante compoſita, illa putentur, quæ olim in atrio *Tabernæ meritoriæ* legebantur:

Ro-

Roma valuit, veteres cum te rexere Quirites,
Nec bonus immunis, nec malus ullus erat.
Defunctis patribus ſucceſſit prava iuventus,
Quorum conſilio praecipitata ruis.

V. *Concordata Principum nationis Germanicae, cum argumentis, ſive ſummariis, iamiam additis. 4.*

Sub finem libelli hæc notata invenio: *Excuſſum Argentinae per Renatum Beck, Civem Argentinenſem, Anno MDXIII.* Qui in Hiſtoria Juris publici literaria non ſunt hoſpites, in eo mecum conſentient, antiquæ huic *Concordatorum* editioni, quam non *Maittairius* tantum, ſed ii etiam ipſi, qui *Bibliothecas Juris*, tam cuiuscunque, quam inprimis publici, diligentiſſime inſtructas dederunt, *Struvius, Buderus, & Hoffmannus*, ignorarunt, pretii non parum tribuendum. Satis conſtat, *Concordata nationis Germanicae*, quæ iure ſuo inter leges imperii publicas numerantur, ſæpiſſime ab his, qui iura Germaniæ in unum quaſi corpus collegerunt, cum aliis imperii Conſtitutionibus coniunctim publicata. Illorum, quod ſciam, primus, *Melchior Goldaſtus*, locum dedit his *Concordatis* in *Tomo primo Collectionis Conſtitutionum imperialium*, Francofordiæ ad Mœnum A. 1613 editæ, non addito, unde hæc deſumſerit, indicio. Nam, quod, dediſſe hæc *Goldaſtum* ex editione anni 1597 Colonienſi, nos docet *Franc. Frid. ab Andlern* in *Corporis Conſtitutionum Imperialium T. I pag. 605*, id, undecunque ei fue-

rit

rit compertum, ab ipſo certe *Goldaſto* non accepit. Tales nempe editiones, quæ ſola nobis *Concordata*, nihil præterea aliarum legum, exhibent, ſunt rariſſimæ, nec, quam nominaret, niſi unam hanc Argentinenſem, habuit *Jenichius* in *Supplementis Bibliothecæ Lipenio-Jenichianæ*, ceteris vero, ut dixi, Scriptoribus, *Hoffmanno*, *Struvio*, *Budero*, ne hæc quidem ipſa fuit cognita. Jam vero, cum Argentinenſis hæc editio opere illo *Goldaſti* integro ſeculo ſit antiquior, nec ſcriptorem ſciam, qui hac ipſa vetuſtiorem nominet, hinc vitio fortaſſis mihi nemo verterit, ſi, quæ prodierunt, omnium hanc primam, atque adeo præcipuo quodam habendam in honore, dixero. Sed, ne quid diſſimulem, ab hac coniectura, non pauca ſunt, quæ me abſterreant. Primum enim nihil huius rei, quæ notatu utique digniſſima videri poterat, is, qui huius curam editionis geſſit, in Præfatione docuit; deinde minime putarim, legem, A. 1447 publice ſancitam, atque talem prorſus, quam nemo Germanorum ignotam ſibi vellet, ad annum usque 1513, atque adeo annos ſexaginta continuos, preli caruiſſe beneficio, quo digna iudicari poterat iis omnibus, qui, tranquillitati Germaniæ hoc ipſo bene proſpectum, ex animo gaudebant; denique, quod in Argentinenſis huius editionis fronte *ſummariorum iamiam additorum* mentio fiat, id ipſum mihi certo ſatis argumento eſt, non defuiſſe alias editiones, quæ textum legis nudum, nec eiusmodi *ſummariis* ornatum, de-

de-

derint. Quicquid huius rei ſit, ſi non omnium prima, at certe antiquiorum una, fuit hæc editio, quippe quæ haud diu a publicata lege prodiit, atque adeo ad melioris notæ manuſcripta, aut certe ad tales editiones, quæ emendatæ ſunt ex manuſcriptis, expreſſa videtur. Non igitur inutilis labor fuerit, ſi quis conferre hanc voluerit cum ceteris, inprimis vero his, quas recentiſſime *Schmauſſius* in *Corpore Juris publici Academico*, & *Kochius* in *Corpore Receſſuum imperii*, curarunt; unde hoc commodi exſpectari poteſt, ut, ſi qua ſe momenti nonnullius diverſitas obtulerit, hac, qui in emendandis, aut illuſtrandis, patriæ noſtræ legibus occupantur, in rem ſuam, aut potius publicam, utantur. Cuius rei ut lectoribus aliquod ſpecimen darem, non abs re mihi viſum eſt, noſtram hanc cum *Goldaſtina* contendere; nec parum hic mihi licuit varietatis animadvertere, quæ, etſi interdum in rebus minutiſſimis appareat, tamen, cum nihil in his rebus tam minutum ſit, quod non aliquando præſtare uſum poſſit, digna iudicari poteſt, quam mecum alii cognoſcant. Id ſtatim efficiam, ſimul ac, quæ dicenda reſtant de editione noſtra, paucis dixero. Nomen editoris nusquam invenio notatum; nec facile in re tali locus eſſe coniecturæ poteſt. Quisquis fuerit, cum ſuum hunc libellum *Concordata Principum nationis Germanicæ* inſcripſit, plus daturum ſe in rubro promiſit, quam videmus in nigro datum. Nihil enim hic legis, niſi

Bul-

Bullam Nicolai V, Pontif. Max. ad confirmanda & illuſtranda *Concordata* A. 1447 publicatam, cui accedere debebant partim *Concordata* ipſa, eodem anno in comitiis Schaffnaburgenſibus promulgata; & a *Friderico* Imperatore ac *Joanne* Cardinale ſubnotata, partim Bullæ tres *Eugenii IV*, præcipua *Concordatorum* argumenta explicantes, partim alia, a *Gregorio XIII* A. 1576 approbandi & confirmandi cauſa ſcripta. His, inquam, carere nos iuſſit Editor incognitus, qui, cúm parum diſcrepare a *Concordatis* ipſis Bullam *Nicolai V* videret, fortaſſe, ſatis futurum lectoribus, iudicavit, ſi legenda ipſis Bulla hæc daretur, quæ, quicquid in ipſis conſtitutum *Concordatis* eſſet, diligenter repetitum exhiberet, nec minorem, quam *Eugenii* & *Gregorii* Bullæ, confirmandi vim haberet. Huic Bullæ præmiſſum eſt compoſitiſſimum *Nicolai* Pontificis Elogium, quo ea omnia, quæ de virtutibus eius, & in literas meritis, nuper in *Vita Nicolai quinti, Pont. Max. Dominicus Georgius*, Vir doctiſſimus, copioſe, pluribusque verbis, dixit, breviter, & quaſi contracta in nervum, exhibentur. Occupat hoc *Elogium* Præfationis locum, quam quidem Editor nullam præmiſit. Neque adeo is verbum addidit, unde, ſitne ex manuſcriptis exemplaribus, an ex aliis éditionibus, Bulla hæc vulgata, intelligere nobis liceat. Argumenta, ſeu *Summaria*, Bullæ addita, diligentem ac peritum eius rei artificem produnt, &, ut ſine offenſione legi poſſit epiſtola Pontificis, efficiunt.

Finita

Finita Bulla, vehementer ſcripta Editoris *ad nationem Germanicam Oratio* legitur, qua iuſtæ & graves de Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & univerſi cleri, avaritia, horumque crudeli, expilandi cives ſuos, ratione, querelæ continentur, quam parum mores horum & vivendi ratio *Concordatis* illis reſpondeant, exemplis variis oſtenditur, &, ut iniquitatibus illis remedium adhibeant, Summus æque Pontifex, *Julius II*, ac Imperator *Maximilianus*, ſubmiſſis precibus implorantur. Hanc, Clero Germaniæ parum honorificam, Orationem, quæ legi ab omnibus meretur, lubenter huc transſcriberem, niſi dandum aliquid iis eſſet, quibus ita ſacroſanctus habetur ordo ille, ut nolint de eo tale quidquam proferri. Nihil igitur reſtat, niſi ut, memor promiſſi, paulo ante dati, varietatem lectionum, in editionibus *Goldaſti* & hac Argentinenſi a me obſervatam, ob oculos Lectorum ponam, ne his quidem neglectis, quæ levia putari & minuta poſſint.

Ed. *Goldaſti.*	Ed. *Argentin.*
Profutura conſpicimus.	*Profutura fore conſpicimus.*
Sollicitudinem.	*Sollicitudine.*
Ad felicem illorum.	*Ad felicem ipſorum.*
Federicus.	*Fridericus.*
Et ſeculares.	*Ac ſeculares.*
Ac dilectus.	*Et dilectus.*
In partibus illis.	*In illis partibus.*
Dictæ nationis nomine.	*Dictæ nationis nominibus.*

Unione, pace.	*Unione ac pace.*
Eccleſiam & nationem prædictam.	*Eccleſiam & nationem prædictas.*
Solidandis & conſervandis.	*Solidandis & confovendis.*
Ac ediderunt.	*Et ediderunt.*
Concordata prædicta.	*Concordata prædictas.*
Maturitatis, auctoritatis.	*Auctoritatis, maturitatis.*
Tam eccleſiæ, quam nationi præfatæ.	*Tam eccleſiæ, quam nationi prædictis.*
Laudamus & acceptamus.	*Laudamus, acceptamus.*
Super proviſione.	*Super proviſionibus.*
Eccleſiaſticorum quorumcunque, iuris ſcripti reſervatione.	*Eccleſiaſticorum quorumcunque proviſionibus, ut iuris ſcripti reſervationibus.*
Ac ad Regimen.	*Et ad Regimen.*
Conſtitutionum.	*Conſtitutionibus.*
Ad quarumlibet eccleſiarum.	*Ad quorumlibet eccleſiarum.*
Et alia beneficia.	*Ac alia beneficia.*
Præſint & proſint committendis.	*Præſint ac proſint in committendis.*
Et beneficiis.	*Ac beneficiis.*
Archiepiſcopales & Epiſcopales eccleſias, & etiam monaſteria.	*Archiepiſcopales eccleſias, monaſteria.*
Canonicatus, Præbendas.	*Canonicatus & Præbendas.*

Secu-

Seuclaria & regularia.	*Secularia, vel regularia.*
Seu quemvis alium modum.	*Seu per quemvis alium modum.*
Vel privationem.	*Seu privationem.*
Nec non ad quæ aliqui.	*Nec non quæ aliqui.*
Sive poſtulati.	*Seu poſtulati.*
Seu poſtulandorum.	*Vel poſtulandorum.*
Officialium dictæ ſedis.	*Officiatorum dictæ ſedis.*
Auditoris, literarum contradictarum.	*Auditorum literarum contradictarum.*
Pœnitentiaria præfatæ ſedis.	*Pœnitentiarii prædictæ ſedis.*
Viginti quinque Abbreviatorum.	*Viginti quatuor Abbreviatorum.*
Viginti quatuor Capellanorum.	*Viginti quinque Capellanorum.*
Ac Theſaurariorum.	*Et Theſaurariorum.*
Nunc vacantia.	*Vacantia.*
Seu Rectores, & Theſaurarios.	*Vel Rectores, aut Theſaurarios.*
Rebus eximi contigerit.	*Rebus exigi obtigerit.*
Et etiam ſimili modo.	*Etiam ſimili modo.*
Ut promittitur.	*Ut præmittitur.*
Jam forſan deceſſerint.	*Qui forſan deceſſerunt.*
Etiam nunc per obitum huiusmodi vacantia, vel in poſterum vacatura.	*Et nunc per obitum huiusmodi vacantibus, vel in poſterum vacaturis.*
Prioratus, dignitates, perſonatus.	*Prioratus & dignitates, decanatus, perſonatus.*

Canonicatus, præbendas.	*Canonicatus & præbendas.*
Et Epiſcopalium.	*Epiſcopalium.*
Nunc quocunque modo vacantia, aut in poſterum vacatura.	*Nunc quocunque modo vacantibus, vel in poſterum vacaturis.*
Etiam per aſſecutionem.	*Etiam qui per aſſecutionem.*
Noſtrarum literarum.	*Literarum noſtrarum.*
Fratrum conſilio.	*Fratrum noſtrorum conſilio.*
Scienter, vel ignoranter, contigerit.	*Scienter contigerit.*
Immediate non ſubiectis eccleſiis, & monaſteriis immediate ſubiectis ſedi Apoſtolicæ.	*Immediate non ſubiectis ſedi Apoſtolicæ, & in monaſteriis immediate ſubiectis.*
Ad tempus conſtitut. ſerec.	*Ad tempus conſtitutum in conſtitutionibus ſere.*
Elapſo dicto tempore.	*Hæ lapſo dicto tempore.*
Ac de dictorum fratrum.	*De dictorum fratrum.*
Per eos proviſi.	*Per nos proviſi.*
Etiam in monaſteriis.	*Et in monaſteriis.*
Et aliis.	*Ac aliis.*
Mittere conſueverint.	*Mittere conſueverunt.*
De cathedralibus eccleſiis eſt.	*De cathedralibus eſt.*
Dignitatibus & beneficiis.	*Beneficiis & dignitatibus.*

Ex-

Exceptis, de quibus iure ordinario.	*Exceptis iure ordinario.*
Aut quamvis.	*Vel quamvis.*
Februarii, Aprilis, Junii, Auguſti, Octobris, & Decembris.	*Februario, Aprili, Junio, Auguſto, Octobri, Decembri.*
Pertinebat: reſervatione, aliave quavis diſpoſitione.	*Pertinebit reſervationibus aliis a præmiſſis, ac diſpoſitionibus.*
In Januarii.	*De Januarii.*
Junii.	*Julii.*
Dictæ ſedis.	*Dictæ ſedi.*
Non apparuerint.	*Non apparuerit.*
A die notæ vacationis.	*A die vacationis.*
Fuerit, ex nunc.	*Fuit ex tunc.*
Ordinatio collationum beneficiorum.	*Ordinarius, vel alius, ad quem illius diſpoſitio pertinebit, de illo libere diſponere poterit. Et ad finem ut hæc ordinatio collationis beneficiorum.*
A Kalendis.	*In Kalendis.*
Futuris ipſa.	*Futuris ipſis.*
Currere incipiet.	*Currere incipiat.*
Circa proviſionem.	*Citra proviſionem.*
Et vacaturis.	*Vel vacaturis.*
De fructibus.	*Pro fructibus.*
Taxatæ ſint, quod provideatur.	*Taxatæ ſint, retaxentur, & quod provideatur.*

Qualitatem, rerum, temporum.	*Qualitatem eorum temporum.*
Ne nimium prægraventur.	*Ne nimium graventur.*
Ad quod petentibus dabimus commiſſionem.	*Ad quod faciendum dabimus commiſſarios.*
Pro alia media parte.	*Pro alia medietate.*
Vacaverint.	*Vacaverit.*
Solvantur.	*Solvatur.*
Ac regularibus.	*Et regularibus.*
Seu medii fructus.	*Seu diminuti fructus.*
Intra annum.	*Infra annum.*
In beneficio.	*In beneficiis.*
Duretque hæc obſervantia.	*Curratque hæc obſervantia.*
Confirmata fuerunt.	*Confirmata fuerint.*
Non obvient.	*Non obviant.*
Volumus eſſe immutatum.	*Volumus immutatum.*
Propter compendioſiorem deſcriptionem.	*Propter competentiorem deſcriptionem.*
Alamania.	*Alemania.*
Non debet.	*Non debeat.*
Et præterea quia.	*Præterea quia.*
De eis forſitan fides facienda fuerit, loca deferri, eadem Apoſt. auctoritate decernimus.	*De eis fides forſan facienda foret loca deferre. Eadem auctoritate decernimus.*
Dictæ præſentes literæ.	*Dictæ præſentis literæ.*

Irri-

Quoque irritum & inane.	*Irritum quoque & inane decernentes.*
Commutationis.	*Communitionis.*

VI. *Franciſci Barbari, Patricii Veneti, Oratoriſque clariſſimi, de re uxoria Libelli duo. Venundantur in ædibus Aſcenſianis.* 4.

Adiecta eſt primæ libri paginæ figura, in ligno expreſſa, prelum *Aſcenſianum* cum omni, huc pertinente, ſupellectile, ſpectandum exhibens. Extremo libri hææ leguntur: *Ex Chalcographia Aſcenſiana Nonis Octobribus MDXIII.* Cuius Chalcographiæ, unde tot præclara opera Lutetiæ prodierunt, vel nomine audito, ignorare non potes urbem, quæ libro huic natales dedit. De libro ipſo, cuius ideo iucundum valde argumentum eſt, quod exquiſitis rationibus homines ad ineundum matrimonium hic invitentur, ne nota & latis vulgata proferam, nihil dicam. Paucis enim non lectum, aut inſpectum, putare librum liceat, quem ſæpius conſtat prelo repetitum. Nec de Auctore eius, quisquam eſt, qui nunc demum doceri a me cupiat. Et præclara omni tempore *Franciſci Barbari* fama fuit, & nuper demum a doctiſſimo S. R. E. Purpurato, *Angelo Maria Quirinio*, editis eius *Epiſtolis*, & *ad eas Diatriba*, vitam & merita *Barbari* pleniſſime commemorante, feliciter inſtaurata. Hoc igitur nunc unum faciendum

mihi video, ut libri *de re uxoria* Pariſienſem hanc, qua utor ipſe, editionem, omnium, quæ vulgatæ unquam ſunt, primam, paucis deſcribam, & viris doctis, quam huc usque fuit, notiorem efficiam. His ſatis notæ ſunt, quas nominatim indicant *Geſnerus* in *Biblioth. univ. pag. m. 246, Chriſtoph. Hendreichius* in *Pandect. Brandenb. pag.* 410, & *Jo. Alb. Fabricius* in *Bibl. Lat. med. & inf. æt. Lib. I pag. 456*, editiones huius libri Antverpienſis & Haganoënſis anni 1533, Argentinenſis anni 1612, & Amſtelodamenſis anni 1639; de noſtra hac Pariſienſi, ad quam ceteræ omnes expreſſæ ſunt, & qua antiquior non prodiit; altum ubique eſt ſilentium, nec ipſi hæc cognita *Quirinio* fuit, qui, ad manus ſibi eſſe, ſcribit, Haganoenſem & Amſtelodamenſem editiones, de Pariſienſi prorſus tacet, in *Diatriba ad Epiſtolas Franc. Barbari pag. 146.* Curavit hanc editionem, atque adeo opus illud *Barbari* primus in lucem protraxit, *Andreas Tiraquellus*, clariſſimus ille Gallorum Jureconſultus, cuius in fronte operis ad *Arturum Caillerum, Fontiniaci Comitis primarium iudicem, ſocerum ſuum, epiſtola* legitur. In hac primum de ſe nonnulla, deinde varia de ſua edendi cura, & auctore libri, *Barbaro*, commemorat. Et ſibi quidem, annos quatuor & viginti nato, collocatam, docet, filiam *Cailleri* primogenitam, nondum annorum undecim, illam ipſam nempe, ex qua conſtat *Tiraquello* liberos triginta procreatos. Hoc igitur ut auſpi-

catum.

catum omni ex parte matrimonium eſſet, & *ut non gratos modo, ſed & bonos & legitimos & honeſtos, mores, & eos præſertim, qui ad rem uxoriam peculiariter ſpectarent, uxorem hanc ſuam, ſeque ipſum, edoceret, diu ſe,* ait, *cura diligentiaque ſumma perquiſiviſſe, ſicubi de ea re aut veteres ſcriptores, aut etiam recentiores, præcepta in unum veluti corpus congeſſiſſent.* Inter has curas oportune incidiſſe ſe, pergit, in hunc *Franciſci Barbari* libellum, *in quo omnia, quæ ad illam rem pertinerent, adeo diſtincte, apte, & ornate, pertractata ſint, ut nihil illi addi, nihil item adimi, poſſit.* Hunc igitur libellum, ex pervetuſto exemplari, quippe A. 1428, die 29 Novembris, Veronæ, in domo *Guarini Veronenſis,* exſcripto, ſua ipſius manu transſcriptum, cum plurima continere intelligeret *Tiraquellus,* quæ ſcitu non ſolum iucunda, ſed & utilia, futura multis eſſent, ſtatuit hunc prelo *Badii Aſcenſii,* quem vocat *in omni doctrina virum præſtantiſſimum,* committere, atque ſic, luce donatum publica, iis omnnibus, qui matrimonii recte ineundi præcepta cuperent cognoſcere, legendum tradere. Ceterum de Auctore *Barbaro* ita iudicat *Tiraquellus,* fuiſſe eum *Virum & Græcis & Latinis literis apprime eruditum vel omnium iudicio, qui eius tempeſtate doctrina & eruditione floruerint.* Addit teſtimonium *Pii II,* Pont. Max. ex eius *Coſmographia, quo loco Europam deſcribat, Capite quinquageſimo.* Id, cum breve ſit, commode hic repetemus:

Franciſcus Barbarus, ſtudiis humanitatis excellens, editis non-paucis, neque illaudatis, opuſculis, ſenio confectus, non ſine celebri nomine vita deceſſit. Hæc, unde de præſtantia & ipſius libri, & editionis huius, iudicari poteſt, ex Præfatione *Tiraquelli* excerpta dediſſe, ſufficiat. Libro ipſo nihil a *Tiraquello* additum Notarum eſt, nec is alia in hunc ſua eſſe merita voluit, niſi quod integro pæne ſeculo indignis occultatum tenebris, in hanc, qua nunc etiam, magno doctorum hominum gaudio, fruitur, lucem revocavit. De ipſa vero editione lectores, etiam non moniti, intelligent, multum eam præferri ceteris, quæcunque noſtram ſecutæ ſunt, debere, &, quod ad exemplar, ipſius, ut videtur, ſcriptum manu *Barbari*, expreſſa ſit, ideo, quin accuratiſſima omnium ſit, vix poſſe dubitari.

VII. *F. A. F. Poetæ Regii, Libellus de obitu Julii, Pontificis Maximi. Anno Domini MDXIII. 8.*

Nec loci, nec typographi, additum indicium. Ex literarum autem figura, quæ parum habet elegantiæ, facile coniicias, in Germania excuſum libellum. Sed fallax eſt coniectura talis, cui nec ipſe multum tribuo. Pleniſſima veneni Satira eſt in *Julium II*, P. M. haud ita pridem defunctum. Quæ ſimul ac in lucem exiit, magnos motus excitavit, & animos eorum, qui famæ Pontificis favebant, in Auctorem, ſed nemini cognitum, irritavit. Sitne cum hac,

hac, quam dedi, inſcriptione primum edita, an præceſſerit hanc editionem alia, quam ita inſcriptam nobis exhibet *Vinc. Placcius* in *Theatro Anon. & Pſeud. P. I pag. 372*, & *Herm. von der Hardt* in *Autograph. Lutheri & coætan. Tomo III pag. 348*: *Julius, Dialogus Viri cuiusdam eruditiſſimi, feſtivus ſane ac elegans, quomodo Julius II, P. M. poſt mortem cæli fores pulſando ab Ianitore illo D. Petro, intromitti nequiverit, quanquam, dum viveret, ſanctiſſimi, atque adeo ſanctitatis, nomine appellatus, totque bellis feliciter geſtis præclarus, dominum cæli ſe eſſe futurum ſperavit. Interlocutores: Julius, Genius, D. Petrus. Lector, riſum cobibe*, vix auſim certo definire. *Placcio*, qui editionis a me indicatæ nullam habuit notitiam, non miror, hanc, quæ ipſi fuit cognita, *primum editam* vocari. Multum ille coniecturæ hic dedit, editionis venerabili antiquitate adductus, non rem certo explicatam retulit, nec, unde id ipſum ſibi fuerit compertum, nos verbo docuit. Certe, cum editionem illam *anni locive indicio deſtitutam* dicit, hoc ipſo, de eius natalibus nihil proferri certi poſſe, agnoſcit. Mihi eodem, aut forte maiori, iure hanc, quam ante oculos lectorum poſui, dicere primam omnium licebit, quippe quæ eodem, quem *Julius II* vitæ ultimum habuit, anno prodiit, & in ipſa inſcriptione, quæ ſimplicitate ſua commendatur, tale quid habet, quod, altera vetuſtiorem eſſe, nobis perſuadere poſſit. Vix enim adduci aliquis ad credendum poſſit, Au-

ctorem,

ctorem, quiſquis fuerit, libellum ſuum editurum fuiſſe cum hac inſcriptione: *Dialogus Viri cuiusdam eruditiſſimi, feſtivus ſane ac elegans.* Alteri, aut tertiæ, editioni, quæ neſcio Auctore curatur, talis conveniat titulus, non primæ, quæ ipſi Auctori debetur. Fuiſſe autem hanc, de qua nunc ſermo nobis, ab ipſo Auctore adornatam, hoc minus dubitare nobis licet, quod ſit modeſtiſſime, & omni ſine verborum ornatu, inſcripta, nec diu a morte *Julii* Pontificis prodierit. Bene igitur, meo iudicio, factum à *Joanne Wolfio*, qui integro libello huic locum dedit in *Lectionum memorabilium Tomo II pag.* 58 *ſeq.* quod hanc ipſam, quæ in noſtra legitur editione, ei inſctiptionem præfixit; poteritque hoc *Wolfii*, qui non videtur in edendo aliud, quam primum, exemplar ſecutus, tanquam teſtimonio noſtra de antiquitate editionis huius coniectura roboris non parum accipere. *Balio* autem, qui, cum datam hanc libello a *Wolfio* inſcriptionem videret, ab ipſo, perſuaſit ſibi, *Wolfio* effictum, (vid. eius *Diction. hiſt. & crit. T. II pag.* 1574 *not. N,*) non id, puto, in mentem veniſſet, ſi propius inſpiciendæ editionis noſtræ copiam habuiſſet. Ipſum Satiræ, ſeu Dialogi, in quo *Julius II*, *Genius Julii*, & *Petrus Apoſtolus*, inter ſe colloquuntur, argumentum hoc eſt: Intromitti a *Petro* in caeleſtes ſedes cupit *Julius*, quem ille negat admitti poſſe ob indigniſſime geſtos imperii ſacri faſces, ob nefaria tot pace belloque patrata facinora, ob crudeliſſi-

liſſime trucidata tot millia hominum, ob effuſas in omni intemperantia libidines, quarum tot genera hic memorantur, ut, ſi talis fuerit, qualis hic deſcribitur, *Julius*, vix homo inveniri iſto *Julio* ſceleſtior, digniorque odiis poſteritatis, poſſit. Singula hæc *Julio* graviter a *Petro* exprobrantur, cui ubique ipſe *Julii genius* aſſentitur, teſtis eorum omnium, quæ contra divinas humanasque leges *Julius* commiſerat. Ipſa criminum *Julianorum* nomina ſcire cupienti, abunde ſatisfaciet *Jo. Zuingerus* in libro *de Feſto corporis Chriſti pag. 140*, ubi ita: *Paulo poſt ipſius mortem Vir quidam doctus in lucem emiſit dialogum, quem inſcripſit Julius, in quo Pontificem hunc horrendorum criminum inſimulat, nimirum quod fuerit homo palam ſceleroſus, temulentus, homicida, ſimoniacus, veneficus, periurus, rapax, portentoſus, libidinum generibus undique conſpurcatus, denique ſcabie, quam vocant Gallicam, totus coopertus.* Huius quis ſit Auctor Satiræ, variæ variorum ſunt coniecturæ, ſed nemo adhuc dicere certo potuit. Præ ceteris in compoſiti libelli huius ſuſpicionem venit *Eraſmus*, hoſtis ille Romanorum ſacrorum clandeſtinus; & fatendum utique, genus dicendi in hac Satira ab illo, quo uſus eſt *Eraſmus*, parum diſcrepare. Obiecit id *Eraſmo*, præter alios, *Leo Judæ* in libro quodam, cuius mentionem fecit *Lavaterus* in *Hiſtoria Sacramentaria*, & ex eo *Melch. Adami* in *Vitis Theologorum Germanorum pag. 45.* Aperte is in illo libro: *Eraſmus*

ſe-

ſeditioſum Dialogum, Julii nomine inſcriptum, non appoſito veri Auctoris nomine, publicavit. Eodem nomine accuſatus eſt *Eraſmus* a *Luthero* in libro Germanico, *Tiſchreden* inſcripto, *pag. m. 299.* His ad ipſius *Eraſmi* aures delatis rumoribus, ipſe commotus eſt vehementer, aut commotum ſe ſimulavit ſaltem, in epiſtola ad *Laurentium Campegium Cardinalem*, quæ inter editas *Eraſmi* numero *416* legitur. Graviter hic indignatur illis, quicunque fuerint, inſidiatoribus famæ ſuæ, modisque omnibus hanc a ſe removere ſuſpicionem ſtudet. *Dialogi cuiusdam*, inquit, *ſuſpicionem mihi moliuntur impingere. Is, ut ex argumento ſatis conſtat, ſcriptus eſt in odium divi Julii, Pontificis maximi, ſchiſmatis tempore, ſed a quo, incertum, ante quinque annos* (ſcripta eſt epiſtola A. 1519). *Deguſtavi verius, quam legi. Poſt reperi in Germania apud quosdam deſcriptum, ſed variis titulis. Quidam teſtabantur, Hiſpani cuiuſpiam eſſe, ſed ſuppreſſo nomine, rurſus alii Fauſto Poetæ tribuebant, alii Hieronymo Balbo. Ego, quid de his coniectem, non habeo; ſubodoratus ſum, quoad licuit, verum nondum perveſtigavi, quod animo meo faceret ſatis. Ineptiit, quisquis ſcripſit, at maiore ſupplicio dignus, quisquis evulgavit. Ac miror eſſe, qui ſolo ſtili argumento mihi obtrudere parent, cum nec mea ſit phraſis, niſi prorſus ipſe mihi ſum ignotus, nec mirum ſit futurum, etiamſi qui in oratione nonnihil referrent Eraſmicum, cum verſer in manibus* omni-

omnium, & referimus fere, in quorum aſſidua lectione verſamur. Neque deſunt hic, qui iactitent, tuam quoque Celſitudinem propemodum in eam ſuſpicionem adductum eſſe. Quod mihi certe nunquam perſuadebitur, donec perſuaſum erit, non eſſe vana, quæ de doctrina prudentiaque eius admirabili paſſim a ſummis viris prædicantur. Neque quidquam addubito, quin, etiamſi quid ſuſpicionis occupaſſet animum tuum, facile ſim excuſſurus, ſi coram detur colloqui, id quod aliquando licebit favente Chriſto. Interim obſecro pietatem tuam, ut hoc ſibi perſuadeat, Eraſmum huiusmodi libellos, ab aliis conſcriptos, & edendos, ſuppreſſiſſe, tantum abeſt, ut huiusmodi quiddam ipſe vel ediderit, vel editurus ſit unquam. Ex his, quam graviter ſe defenderit *Eraſmus*, intelligitur; non item, quam vere. Verborum maiora, quam rationum, pondera ſunt; nec aliter ſe defendit, ac, qui nolunt, quæ vera ſunt, haberi vera, omnes ſolent. Nos haud in accuſando pertinaces erimus, inprimis cum, fuiſſe alios, qui Hiſpani cuiusdam, alios, qui *Hieronymi Balbi*, alios denique, qui *Fauſti* Poetæ, foetum hunc eſſe, dixerint, ipſe nos *Eraſmus* doceat. Et *Fauſto* quidem, qui integro nomine *Fauſtus Andrelinus, Forolivienſis*, dicitur, &, quod ipſe *Eraſmus Adag. LXVIII, Cent. II, Chiliad. II*, teſtatur, *Poeta non ſolum laureatus, verum etiam regius*, fuit, atque in Pariſienſi Academia annos plus quam

quam triginta Poeticen docuit, præ aliis omnibus convenit illa Satiræ inſcriptio, quam præ ſe ferre vidimus editionem noſtram vetuſtiſſimam. Cumque is A. 1513, quo noſtra hæc editio in lucem exiit, adhuc in vivis fuerit, atque ipſius Satiræ tale ſit argumentum, ut, ſcribi eam ab homine inter Gallos vivente potuiſſe, qua cum gente longa *Julium* & cruenta geſſiſſe bella conſtat, minime ſit dubitandum; non ſane veri ſpeciem nullam habet, ab hoc ipſo compoſitum Dialogum, & ſub literis *F. A. F.* hunc occultaſſe nomen ſuum. Nam, ſi illud etiam ſuſpicari velis, ſub nomine *Andrelini*, quem ipſe *l. c.* veterem congerronem ſuum vocat, tutius latere voluiſſe *Eraſmum*, aut alios etiam, conjecturis adductos, libello nomen *Andrelini* inſcripſiſſe, ideo tamen a veri ſimilitudine id longius abhorret, quod, quo prodiit editio, anno, Seculi nempe XVI tertio decimo, adhuc vixerit *Andrelinus*, nec tantum temeritatis ſive ab *Eraſmo*, ſive ab aliis, exſpectari potuerit, ut neſcium hunc & invitum publice haberi Satiræ tam nefandæ Auctorem voluerint. De *Andrelino* hoc, legi merentur, quæ *Balius* nos docuit in *Dict. hiſt. & crit. T. I p. 229 ſeq.* Id addo, libellum hunc, teſte *Riveto* in *Remarques ſur la reponſe au myſtere d' iniquité P. II pag. 634*, Pariſiis A. 1612, privilegio Regio munitum, acceſſiſſe *Actis Concilii Piſani*, eodem anno publicatis.

VIII.

VIII. *Eraſmi Roterodami Libellus de Conſtructione octo partium orationis, ex Britannia nuper huc perlatus: ut ex eo pueri bonis in literis optimo compendio bonum profectum faciant.*

De conſtructionis figuris Joannes Sulpitius.

Joannes Murmellius puero literarum ſtudioſo:

Hæc ediſce libens: hæc ſunt compendia vera,
Judicio in manibus ſemper habenda meo.
Cetera, quæ noſtro faciunt tibi nomine fucum,
Reiice: nec titulis decipiare, cave.
Quæ compilavit variis cornicula libris,
Grammatices, quæſo, quis ſtudioſus amet.
Plena ſupervacuis averſor opuſcula nugis,
Sæpe recocta mihi braſſica nulla ſapit.

Fauſtus, patrem introducens, admonentem filium, ne antea vel moralem, vel naturalem, Philoſophiam aggrediatur, quam ſolida Grammatices fundamenta iecerit:

Si loca celſa potes firmato ſcandere greſſu,
Maxima felicis gloria patris erit.
Sed puer, infirmis volitans ſuper æthera pennis,
Flebilis æquoreis piſcibus eſca fuit.

In 4.

Poſtremæ paginæ adſcripta ſunt hæc: *Impreſſum Coloniæ apud Magiſtrum Cornelium Zyrickzee Anno 1414, ultima Maii.* De libro

hoc quæ dicam, pauca habeo. Ignorat hunc certe, aut hanc potius libri editionem, *Maittairius*, a quo nec ullum alium afferri librum video, in officina Magiſtri *Zyrickzee* Coloniæ excuſam. Itaque *Zyrickzee* huius nomen tantum novi, non item, quæ eius aut in literas, aut rem typographicam, merita fuerint. *Eraſmi* autem & *Sulpitii* de conſtructione orationis libellos nemo fortaſſe neſcit lectorum, nec mihi animus eſt, trita hic & vulgaria proferre. *Sulpiciana* illa diu ante cum *Grammatica* Autoris variis in locis ſunt edita, atque adeo hic repetita tantum. *Eraſmiani* autem libelli editionem hanc primam puto, ideo potiſſimum, quod, ex Britannia Coloniam perlatum, ipſe libri index doceat. Hoc enim ita accipio, ex Britannia libellum ab *Eraſmo* ideo Coloniam transmiſſum, ut in illa urbe, tunc ſatis nobili, typis exſcriberetur, Nec mihi cognita eſt ulla libelli huius ſive ex *Maittairio*, ſive aliunde, hac ipſa antiquior editio. Præfationis ei nihil additum, nec usquam apparet editoris nomen. Facile autem crediderim, eam curam a *Murmelio*, quem nominat index libri, ſuſceptam, quippe quem conſtat tot aliis bonæ frugis plenis operibus de iuventute optime promeritum. Huic literarum nomine ſibi commendatiſſimo homini demandatam ab *Eraſmo* edendi curam puto, ut ſic recte & accurate excuderetur liber, qui ne vitiis operarum corruptus prodiret, intereſſe inprimis iuventutis, libello hoc uſuræ, videbatur. Sed, ſi fallor coniectura, rectiora me doceri ab iis, qui id poſſunt, patiar.

IX.

IX. *M. Tullii Ciceronis Quæſtionum Tuſculanarum Libri quinque, nuper recogniti, & typis diligenter excuſi.* 8.

Sub finem libri hæc ſunt notata: *Impreſſum Florentiæ, ſumtibus Philippi Giuntæ, Florentini, Anno a Chriſtiana ſalute DXIIII ſupra mille, menſe Octobri, Leone X Pontifice.* Incognita *Maittairio* & *Fabricio*, ſed, ut *Iuntarum* omnia, elegantiſſima, editio. Curavit eam *Lucas Robia*, *Iuntinæ* officinæ, ut videtur, præfectus, nec aliis, quod ſciam, in literas meritis nobilitatus, cuius nomen ſilentio prætermittunt ii omnes, qui de urbis Florentinæ viris doctis ex inſtituto commemorarunt. Is libro epiſtolam, *Hieronymo Benivenio* inſcriptam, præmiſit, multum ſuavitatis & leporis Attici habentem, ſed, ſi argumentum ſpectes, nihil niſi conſolationem ægrotantis *Benivenii*, & ipſius laudes libri *Ciceroniani*, continentem. Ceterum, quam ipſe in edendo rationem, quos aut editos, aut manu ſcriptos, libros, ſit ſecutus, id ignorare nos iubet *Robia*, *ſtudiorum ſuorum prægustatiunculam*, quicquid eſt huius editionis, vocans. Fortaſſe hæc & talia iam olim docuerat lectores in aliis *Præfationibus*, quæ reliquis *Ciceronis* libris philoſophicis ab eo ſunt præmiſſæ. Fuiſſe enim *iam pridem plura Ciceronis opera in ea Philoſophia, quæ eſt de vita & moribus*, a *Iuntis* impreſſa, ex ipſa hac Præfatione diſcimus. Id ſatis inter viros doctos conſtat, editiones *Iuntinas* iure ſuo inter

emendatiſſimas numerari, & in his Auctorum veterum contextum ad Codices optimos & antiquiſſimos expreſſum. Quæ cum ſit de omnibus communis & confirmata opinio, non eſt dubium, quin huic *Quæſtionum Tuſculanarum* editioni idem honor ſit habendus.

X. *Encomium Moriæ Eraſmi Roterodami. 8.*

Extremum libri hæc habet: *Venetiis, in ædibus Aldi, & Andreæ Soceri, menſe Auguſto MDXV.* Libri notiſſimi parum notam editionem vides. Nec enim a *Maittairio*, nec uſquam alibi, eius factam mentionem memini. Libelli id præſtantiam teſtatur, quod ei excudendo manum ipſe *Aldus* admovit, ex cuius officina veteres tantum Græci & Latini Auctores, recentiorum autem Scriptorum tales libri, qui cum antiquis comparari poſſent, exierunt. Sed nulla præterea, niſi quod edidit, & elegantiſſime edidit, *Aldi* in hunc libellum merita ſunt. Nam, quæ ad marginem notata ſunt argumenta libri, neſcio, an ab *Aldo* primum addita, an ex ſuperioribus editionibus (exſtat enim *Argentinenſis* anni 1511, a *Maittairio* indicata, & eam forte plures ſecutæ,) huc ſint translata. Præter morem ſuum Præfationem libro *Aldus* nullam addidit; & in eadem pagina titulum libri, eiusdemque libri initium, habes. Non ita *Aldus* in libris ceteris, ſuo prelo emiſſis; ut hinc ſupicari liceat, mutilum, quo utor, exemplar eſſe, & conferre id cum aliis, ſi qua ſunt in manibus lectorum, valde cupiam,

VII.

VII.

LYCOIDIS PROSELYTI

SPECIMEN LIBERTATIS PHILOSOPHANDI RESTITVTÆ, SIVE CONSILIVM, QVOMODO OBSOLETÆ ET ANTIQVATÆ VETERVM PHILOSOPHORVM LOCVTIONES PERMVTARI CVM HODIERNIS, ET MORE SECVLI RECEPTIS, INDEQVE ITA CORRIGI AVCTORES AVREÆ ET ARGENTEÆ ÆTATIS POSSINT, VT AD LECTIONEM EORVM, ETIAM QVI VSITATAM ILLIS PHRASIN NON INTELLIGVNT, INVITENTVR.

APVLEIVS Metamorph. Lib. XI p. 225 ed. *Pricæi*:

Senex de opertis adyti profert quosdam libros, literis ignorabilibus prænotatos, nodoſisque, & in modum rotæ tortuoſis, capreolatimque condenſis, apicibus, a curioſitate profanorum lectione munita.

Nemo eſt Hiſtoriæ, quam literariam vocant, ſtudioſus, qui, controverſiam inter *Picum Mirandulanum* & *Hermolaum*, illum Barbarum, an Antibarbarum dicam, avorum noſtrorum memoria commotam, hodie ſæpius recaluiſſe, ſed ita ſemper, ut pro Philoſophis hodiernis pronuntiaretur, fuiſſe compoſitam, ignoret. Ut tamen & rudiores capiant, quid intelligam, loqui

me profiteor de lite, tantumne obliviſci maieſtatis ſuæ deceat Philoſophos noſtros, ut de cura rerum tantiſper remittant, quo de verbis quoque ſint ſolliciti, quibus ad res explicandas utantur, an vero præſtet, ut de rebus humana prope conditione ſuperioribus, tanquam venerabilius & μυςικώτερον, linguam ab uſu communi remotam, hoc eſt, ſuam, uſurpent ſapientiæ magiſtri. Hæc qui perpenderem, cum non poſſem refragari tantis auctoritatibus, mearumque eſſe partium crederem, parere uſquequaque ſententiæ, a tam reverendis iudicibus, penes quos ſolos ius arbitriumque veri atque certi eſt, latæ, cœpit me ſubinde miſereri veterum, qui male ſedula ſua diligentia hoc aſſecuti ſint, ut propter curam nitoremque ſermonis ad æternas hac tempeſtate tenebras ablegentur, & bis quaſi mori cogantur. Quomodo ſcilicet illorum miſeriæ conſuli poſſit? Eone quis audaciæ proceſſerit, ut Philoſophiam rerum divinarum humanarumque dominam atque arbitram addicendam] in ſervitutem turpiſſimæ pediſſequæ grammaticæ, rei inter homines proiectiſſimæ, cui quæcunque horula impenditur, male periit, dictitet? Abſit certe a noſtræ ætatis hac clariſſima luce tantum dedecus, ut ſplendida illa veritatis lumina, viros, philoſopha non magis ſententia, quam lingua, hac tanquam defectione, grammaticarum nubium obiectu, debilitari obſcurarique velimus! Bene ſit manibus illorum, & terra levior oſſa premat, & e fortunata favilla

ſtores naſcantur, qui primi nobis otium ab umbratili ſqualore logodædalorum & nugivendulorum terriculamentorum, Grammaticorum, Criticorum, Oratorum, &, quod abominandum quoque fuit, Poetarum, fecerunt, ut ſapientia, noſtræ ætatis poſt tantam reformationem iam prope legitimus fœtus, ex ſacro ſuó & horribili ſecreto poſt longam oblivionem venerabilius auguſtiusque caput tolleret, & ab Scholaſticis illis præcento carmine inſtituta initia noſtro quoque ævo rite & more maiorum celebrarentur! Etiam illis volentes præſentibus divinos largimur honores, qui adhuc hæc tempora ſuperſtites vita, voce, ſcriptis, ornant, neque patiuntur iuvenes, ſuis ſcholis feriatos, iſto genere furiarum grammaticarum inquietari, & in verbis conſeneſcere, niſi in ſecretis & abditis illis, quibus diſciplinæ ſuæ arcana pandunt, & quæ naturam, myſteria amantem, ipſó ſono vocum imitantur, & nonnunquam, quæ illorum eſt felicitas, vincunt. Apage iam & remove illos *Pythagoræ* numeros, ideas *Platonis*, dæmonium *Socratis*, *Ariſtotelis* entelechiam, an endelechiam? Quaſi nos non antiquitatem præclare repertis vincamus, quorum auditoria & pulpita, quid? quod officinæ fabrorum & tabernæ, perſonant *influxum phyſicum*, *ſyſtema cauſarum occaſionalium*, *harmóniam præſtabilitam*, *nexum hypotheticum & abſolutum*, *neceſſario con ing ntia*, *rationes ſufficientes*, *apperceptionem*: etſi hoc poſtremum vocabulum non-

dum omnibus abſtruſis & involutis ſufficit, niſi quis *redapperceptiones* & *corredapperceptiones* addiderit! Sed habet hoc ante omnia Philoſophia inſtaurata, &, ut μυςηριώδει verbo utar, *realis*, hoc vero eſt noſtra *muſtea*, *bella*, *recens*, *verbis fœcunda repertis*, *horridula*, *& ſtrepero glomerans e gutture bombos*; ut, quemadmodum in opinionibus inveteratis & præiudicatis, atque in perturbationibus animi commotionibusque, ſic in ſermone ac lingua, hominem nos exuere iubeat, dedoceatque nos uti vocibus vulgi profani conſuetudine receptis. Nam hoc quidem noſtræ ætati, ut videremus, non Deus, ſed Philoſophi, dederunt, ut ſapientia, a grammatico contubernio ſegregata, tanquam manu emitteretur, pluresque hodie reperiantur philoſophice, quam humane, loquentes. Verum ego iam dudum vereor, ne, dum laudare hanc felicitatem Philoſophiæ liberæ conor, profanem; quatenus neque ipſe his ſacris innutritus, alienum plane ſpuriumque ſermonem uſurpo, nec, cuius rei præcepta extollo, eam ipſe ad exercitationem accommodo, ſive, ut nunc ſaltem philoſophice loquar, *quod in theoria teneo, non in praxi adhibeo.* Sed non antea hoc mihi faciendum putavi, (etſi ſatis ipſa quoque conſuetudine excuſari poſſem, quatenus vetera & in ipſum ſanguinem verſa vitia non æque facile corriguntur, atque imbibuntur, præſertim a plagoſis quondam Orbiliis propinata,) quam abſoluta ea cura,

ia, qua efficere conſtitui, ut ſecuri in poſterum etiam veteres legere poſſimus, quorum ſedulitatem moleſtam in quodam ſtrepitu verborum & ludibriis excitandis ſolo adhuc contemtu ſtrenui noſtri magiſtri vindicare conſueverunt; gratiam, niſi me omnia fallunt, ab utriſque, & ſapientiæ initiatis, & profanis adhuc, initurus. Ab iis, dum intelligere illos doceo antiqua monumenta, quæ iam in ſua prope lingua ipſis legere licebit; ab his autem, qui ſolos veteres legerunt, neque habent aures tritas lectione ſacræ & abſconditæ doctrinæ voluminum, dum illis planam expeditamque viam monſtro, qua perveniant ad tam horribile ſecretum. Supereſt modo unum, quod mihi ut præſtent, exoratos meos lectores velim: ne ſcilicet me ſuſpicionibus onerare, ſed ex fide, uti inter bonos bene agier oportet, hæc recognoſcere, velint. Nimirum, cum nuper cum amicis quibusdam meis inſtituti huius rationem communicaſſem, me velle locis veterum Auctorum, ubi ex ſuo ingenio locuti ſunt, ſubiicere locutiones & formulas, hodiernorum Philoſophorum conſuetudine confecratas, ut ad eum modum deinceps corrigi ſcripta antiquorum, ſi quis edere poſthac voluerit, poſſint; aliquis paullo aſtutior me calumniari cœpit, quaſi malignius tangere hoc obtentu ſanctiſſimos veri antiſtites conſtituerim, qui aliud pectore clauſum, aliud lingua promtum, habeam. Cui quod tunc pro re nata reſpondi, idem ut lectores mei mihi

dem, poſtulo, ut in alieno opere ingenioſi eſſe ne velint, concedantque mihi, ut ipſe, mea quæ ſunt, uti voluero, interpreter. Tantumne profecto me ratio fugerit, ut muſſitare contra eos audeam, quos hodie Deos Philoſophorum vivos omnes vocent? Mene homuncionem ex umbra proſilire contra viros, regnum eruditionis conſenſu nactos, audere? An in me tantus ſtupor cadat, ut ignorem, quam pauca quis hiſce Philoſophiæ vindicibus relinquat, quæ non mille modis a multis dicta ſint prius, ſi quis iſtas proprias illorum caſto atque adytis formulas eripuerit, & ſic, tanquam veſtem, voces, lucem non ſpargentes, ſed velantes atque circumdantes, detraxerit? Non adeo omne cum ratione commercium eiuravi, ut me cenſeri ſola confidentia velim. Reſpondeat huic profeſſioni opera noſtra, ut hodie magiſtellos omnes, Philoſophiæ nomen, quo iure, quave iniuria, uſurpantes, ad pileum vocem, deducamque in templum Feroniæ, ubi in marmoreis ſedilibus collocati, Famam pedibus ſubſcribentem ſpectent: PHILOSOPHI. BENE. MERITI. SEDEANT. SVRGANT. PROFANI. Nec ego hic acceſſu arcere quemquam decrevi, etſi ſolo in ludo, feſtinatæ ambitioni aperto, breve Latinitatis tirocinium poſuerit, iniuriarumque in *Priſcianum* ſit manifeſtus. Non iam Saturnalia his, ſed meram libertatem, edico, nec, ut deterreat eos, hortor, ſi me antea magis habitu Grammaticum, quam Philoſophum, retuliſſe meminerint.

perint. Erit idem dies illis mihique libertatis meliorisque vitæ initium. Efficiam, ne poſthac horrori pallii ſtribiligines, barbæ arrogantia & faſtus, baculo calamus ſepia & loligine ſtillans, cedat. Ut ergo poſt hanc ſponſionem hilariores fiant, æquoque in me animo hæc mea munera excipiant, etiam atque rogo. Non movebunt me in poſterum hominum leviſſimorum expoſtulationes, qui contendunt, Philologiæ, ſeu literaturæ, ſtudium nequaquam eſſe negligendum propterea, quod quædam pars eius in cura verborum atque grammaticis præceptis contineatur; ſi nec architecti quidem munus eo vilius ſit æſtimandum, quod is ædificium exſtruat, in luto quoque ſubigendo, calce linenda, & reliqua rudiori materia præparanda, officiis ad ſpeciem maxime inhoneſtis, nonnunquam occupetur. Sinam præterfluere ſermones delicatulorum, qui dictitant, communem prope gentium humanarum morem eſſe, ut nec æquiore animo eum ferant, qui quantumvis præclaras res in aliena lingua, quam non calleat, ſcribat, quam pictorem, qui rudis imperitusque graphices, opera ſua, arte carentia, ſola argumentorum præſtantia velit in pretio haberi, ſatius eſſe, ut quilibet patrio ſermone perſpicua, clara, & intelligibilia, tolerabilia certe, neque a voce humana abſona, proferat, quam ut peregrinæ linguæ uſu efficiat, ſua ænigmata nemo ut Oedipus explicare poſſit, qui ipſi non longum tempus addicere voluerit, quo poſt lon-

longam moram initiationis tandem ad vota, tanquam epopta, deducatur, & poſt tot ſuſpiria totum illi ſignaculum linguæ reveletur. Sinant hos frui deliciis ſuis, nugis canoris, verborum ludicro; tantum ut ipſi, his tanquam ancillis contenti, mihi honeſtis amoribus, mea Penelope, philoſophia, inquam, myſteriodi, ne interdicant. Hanc reginam artium ne effœminati atque impuri inverecundius attrectent, ipſa ſibi bene eſt, quod horrorem quendam circumdedit, ut hoc ipſo, velut ſordibus quibusdam, offenſi, profanos alio obtutus vertant. Huic veritatis deæ, certi arbitræ, nemo litabit, qui ad eius aram, quaſi puras manus, linguam a cultu atque nitore vacuam, & præmeditari carminis inſtar voces ipſis commentis, ad quæ deſignanda adhibentur, mirabiliores & diris Grammaticorum dignas non attulerit. Deſcendant dehinc ex ſuo, quod occuparant, faſtigio veteres illi magiſtri, qui ſtudium ſermonis & eloquentiæ ab ipſa humanitate appellarunt, &, tanquam ſcopulum, ſic omne inauditum atque inſolens verbum fugiendum eſſe cenſuerunt, diſcantque a noſtris Sapientiæ ſacerdotibus, ſcopulos iuventutis non alios eſſe, quam ea ipſa ſtudia, in quibus illi ætatem conſumſerunt, neque miſerabiliora humanæ intelligentiæ naufragia fieri, quam ubi nugis operati cœtus magiſtrorum, non verbis, ſed verba, piſcantium, bonas & gravioribus curis rerum ſublimium debitas horas inter Syrtes grammaticas perdunt. Ita

reti-

tentibus, non rerum, ut decebat, & Philoſophi optant, ſed verborum, implicati plerique adeo conſtringuntur, ut ultra eos fines, quos a maioribus ſuis felicitati humanæ præſcriptos viderint, nemo fere pedem proferat. O! miſera & inanibus ſonis ſerva pecora, eritne aliquando tempus, ut, veſtro iugo excuſſo, innocenti iuventæ, tanquam ad portum aramque libertatis, ad Philoſophiæ ſolium profugere liceat? Fallor, an iam eſt hæc noſtri ſeculi felicitas, ex quo ſubſelliis præficiuntur heroes, qui anum *Ciceronem*, nugatorem *Senecam*, fabulatorem *Plinium*, ſcurram *Platonem*, hariolum *Ariſtotelem*, ſimiam *Xenophontem*, de manibus iuvenum excutiunt; &, poſtquam cum præcipitis impudentiæ magiſtris illis aliquem quaſi ludum indulſerunt, ſtatim ad vota properant, & Ontologiam, Pſychologiam, Phyſicam, Logicam, & quas non? diſciplinas, iis verbis Latinis explicant, quæ ſi ab inferis revocati *Duns Scotus*, *Thomas Aquinas*, & omnes iſti magiſtri mirabiles, audirent, hos demum maſculos eſſe, ſe præ illis fœminas fuiſſe, dicerent, adeo iam caput tollere libertatem philoſophandi, &, quod huic coniunctum eſt, ſoloeciſſandi. Supereſt unum, quod noſtra bona hæc propria perpetuaque reddat, & unde non ſpem modo ac votum, ſed ipſius voti robur ac fiduciam, publica felicitas aſſumat, ſi poſthac omnes fabri atque opifices ſimul cum reliquo genere hominum ad hæc ipſa ſacra admittantur, ut non ſatis ipſis ſit, ſi eam, quam quiſ-

quisque didicit, artem exercere poſſit, niſi omnium, quæ agere decrevit, rationes cauſasque inter ſe aptas nexasque perſpiciat: ita ut fabro lignario, quoties tignum dolabrare voluerit, non ignotum ſit; ipſum tignum *ens eſſe exiſtens, non rationis*, definiri poſſe: *lignum in longitudine & latitudine tantam magnitudinem habens, ut adhiberi ad ædificandum poſſit; huius attributum proprium eſſe, ut ſit ſciſſile, &, quot quis velit, eius partes poſſe ſeparari a toto; in actuanda actione ſua ſe debere convenientia media adhibere, dolabram & motionem manuum ſecundum certam directionem:* ut proinde ſocio narraturus, quid agere conſtituerit, dicere nullo metu, ut is intelligat, & ſecurus Babylonicæ confuſionis, poſſit: *Ego ex entibus exiſtentibus unum ſumam, quod erit lignum, in longitudine tantam magnitudinem habens, ut adhiberi ad ædificandum poſſit, & quatenus eius attributum proprium eſt, ut a toto tot partes, quot quis voluerit, ferramento ſeparari poſſint, actuabo actionem meam, adhibitis mediis convenientibus, dolabra ſumta, & manibus ſecundum certam directionem motis, efficiam, ut ex tigno fiat aſſer.* Quaſi reſpirare mihi ſum viſus, quod, etſi ſubrimide, incipio tamen philoſophice loqui. Euge! quis neget, Philoſophiam eſſe ſcientiam felicitatis, ſi hæc humano generi, ut videat, præſtiterit, & eſt certe ſpes, inſtauratores veræ ſapientiæ non an-

tea ab opere, ſtudio, labore, ſcribendo, hortando, clamando, deſtituros, quam ita totum genus hominum particeps ſui muneris fecerint. Ceterum contrahenda mihi eſſe vela video, qui præter morem Philoſophorum procemium confeci, non verboſum id quidem ſatis, nec quod comparari cum prolegomenis pro hedera ſuſpendi ſolitis poſſit; neque in quo Deo immortali gratiæ pro collatis generi mortalium mea opera beneficiis & finibus intelligendi atque recte ſentiendi prolatis agantur, ſed non ſapiens tamen aliquid recocti ex harmonia præſtabilita, principio rationis ſufficientis, aut nexu abſoluto & hypothetico, & in quo non methodus mathematica, verum quaſi furentis animi vaticinatio, levitas deſultoria oratorum, appareat, quod non algebraicis teleſmatibus inſtar emblematum vermiculatum, ſed diſtinctum ſit figuris ſententiarum & verborum, non arcanorum illorum, & ex ſacrario Sophiæ prolatorum, ſed otioſorum, delicatiorum, flexionibus & iunctura a teſquore ſublimioris diſciplinæ abhorrentium. Quam ob rem ego, cui ſic venia opus ſit, compenſabo iſtam culpam præcipiti ſilentio, ipſamque rem, quam præſcriptione tituli profeſſus ſum, ſine ambagibus aggrediar, ponamque hæc *Ciceronis* verba, uti ipſe ſcripſit, ſubiectis poſtea aliis, quibus utendum ipſi fuiſſet, ſi quidem initiatus noſtrorum Philoſophorum myſteriis, ſublimis, quam diſerti, oris haberi maluiſſet.

Audi

Audi ergo, quibus calamiſtris intorſerit *Cicero* orationem, qua philoſophico de argumento balbutire aliquid voluit:

Animorum nulla in terris origo inveniri poteſt. * Nihil enim eſt in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum eſſe videatur, nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil ineſt, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis, habeat, quod & præterita teneat, & futura provideat, & complecti poſſit præſentia, quæ ſola divina ſunt. Nec invenietur unquam, unde ad hominem venire poſſint, niſi a Deo. Singularis eſt igitur quædam natura atque vis animi, ſeiuncta ab his uſitatis notisque naturis. Ita, quicquid eſt illud, quod ſapit, quod vult, quod viget, cœleſte & divinum eſt; ** nec vero Deus ipſe, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quædam & libera ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens & movens, ipſaque prædita motu ſempiterno.

Eadem verbis ex adyto *Thummigiano* prolatis ἱεροφαντικῶς expoſita: *Non datur principium aliquod animæ in rebus huius mundi corporalibus. Anima enim non eſt compoſita, nec quidquam in ſe continet, quod ullam mate-*

* *Cicero* Tuſcul: Lib. I Cap. XXVII p. 2603 Vol. octav. ed. *Verburgii*.

** Ob eamque rem æternum ſit, neceſſe eſt.

materialem ſubſtantiam rerum corporalium redoleat; ut exempli gratia, quod liquidorum natura, aut aeris ſpirabilis, aut caloris, ſit analogum. Hae enim res in ſubſtantia ſua nihil habent, quod repraeſentandi praeterita obiecta, formandi iudicii diſcurſivi, & ſuper re percepta reflectendi, facultate ſit praeditum, aut quod obiectorum abſentium producere perceptiones valeat, ut facultatem ideas reproductas recognoſcendi, quod eadem ſint, quas antea iam habuimus, aut vires ſuas exercendi circa alia, quae ſenſu nondum percepit, dum vel absque ratione ſufficiente olim percepta dividit & componit, aut attentionem ſuam ſucceſſive in aliis aliisque partibus perceptionis totalis defigens, perceptionum partialium, inter ſe collatarum, diverſitatem, aut ſimilitudinem, intuendi facultatem involvat, quae eſſentiis mere ſpiritualibus tantum adſcribi poſſunt. (Pſychol. §. 1, 2, - 170.) *Ergo ſolum rationem ſufficientem ſuae exiſtentiae habent ab eſſentia ſpirituali, quae a Deo peculiariter producta eſt. Peculiare igitur eſt principium conſtitutivum animae, diverſum ab his ſubſtantiis, quarum attributa & partium compoſitionem atque combinationem magis diſtincte ope ſenſuum cognoſcimus. Ergo quomodocunque illud definiri debet, quod perceptionem diſtinctam, appetitum rationalem, aut voluntatem, aut facultatem vegetabilem, vocamus, habet illud ſuam originem & exiſtentiae rationem ab ente ſuperiore ſimplici & ſpirituali, quod ens a ſe dicitur, & exiſtentia ſuae rationem in ſe habet, &, ut unquam deſinat, fieri nequit.*

Illud ipſum autem ens ſupremum alio modo concipi non poteſt, quam ens ſpirituale, nulla neceſſitate agendi adſtrictum, nulla elementa rerum materialium habens, nec ex multis ſimultaneis compoſitum, facultate omnia obiecta ſibi repræſentandi ſimultanea gaudens, immutabile, & ſemper activum. (Thummigius Inſtit. phil. Log. 1-85, Ontol. 1-109, Coſmol. 1-118, Pſychol. 1-298, Theol. nat. 1-95.) Euge vero! quantum eſt ſapere. Quod ſi *Cicero* ſalutare noſtrorum veræ ſapientiæ antiſtitum σκοτισὰν illud, quo ſolo nos illi limare cum nubibus caput, & deſpectare vilem humum, docent, audiviſſet unquam, non commiſiſſet profecto, ut inanibus ſonis enervaret rerum pondus, & maieſtatem artis minueret. Adeo ille oſcitanter & ſupine ſui præcepti ipſe memor fuit: *Fieri autem poteſt, ut recte quis ſentiat, & id, quod ſentit, polite eloqui non poſſit. Sed, mandare quemquam literis cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare, poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, nimis eſt intemperanter abutentis & otio & literis. Itaque ſuos libros legunt ipſi cum ſuis, nec quisquam attingit præter eos, qui eandem licentiam ſcribendi ſibi permitti volunt.* Heus quid de te ipſo ominatus es, *Tulli*, cum ſcriberes, *ſuos libros ipſi legunt cum ſuis?* Quam vere nunc accidit, ut te tui ſoli legant! Noſtros vero myſtas, fatidico ore ſua oracula fundentes, atque horrendas ambages canentes, epoptæ legunt, initiati mirantur, & profani quoque rei miraculo adſtupentes furtive exploratorum more

ade-

adeunt, &, quibus bilis moleſta eſt, agitandi pulmonis cauſa eorum cerimonias inſpectant; mira prorſus fatorum lege, ut ex tam diſſentienti turba univerſos in unum gregem novus quaſi *Amafanius* compellat, quos delectet more ſeculi ſui potius vivere, & foro uti, quam centum annos, aut, quæ nonnullorum eſt perverſitas, bis mille, ad auctoritatem ſcribentis requirere. Sicuti enim corpori veſtis, ita ſapientia quoque non niſi ea animo induenda eſt, quæ novitatis gratiam habet: obſoleta vero & ſitu vetuſtatis horrida iis relinquenda, qui, ut ſis aliquis, vel moriendum, vel cum mortuis certe convivendum, ducant.

APVLEIVS Metamorph. Lib. XI:

Ergo igitur me quoque oportere coeleſte ſuſtinere præceptum, quanquam perſpicua evidentique magni numinis dignatione, iam dudum felici miniſterio nuncupatum deſtinatumque: nec ſecus, quam cultores ceteros, cibis profanis ac nefariis iam nunc temperare; quo rectius ad arcana puriſſimæ religionis pervaderem.*

* Lectione profanorum, quibus qui delectantur, non magis ſapere poſſunt, quam bene olere, qui in culina habitant. Nam de ſolo ἐπὶ λύκου foro illud iure uſurpes:

ψυχῶν σοφῶν τῦτ' ἐςὶ φροντιςήριον.
ἐνταῦθ' ἐνοικοῦσ' ἄνδρες, οἳ τὸν οὐρανὸν
λέγοντες ἀναπείθουσιν, ὡς ἐςι πνιγεύς.
κἄςιν περὶ ἡμᾶς, ὗτος· ἡμεῖς δ' ἄνθρακες.

ARISTOPHANES Νεφελ. v. 94-97.

VIII.

GVILIELMI CAVEI,

ANGLORVM DOCTISSIMI,

AD

OTTONEM MENCKENIVM

EPISTOLÆ SEX,

NVNC PRIMVM EDITÆ.

LECTORI

S. D.

F. O. MENCKENIVS.

Ea cum ſit *Cavei*, eruditiſſimi Anglorum, fama, ut ſcriptum ab eo editumve nihil ſciam, quod non communi omnium, qui elegantiores amant literas, applauſu ſit exceptum; etiam paucas has, nec nihil elegantiæ habentes, doctiſſimi huius hominis ad avum meum *Ottonem* epiſtolas, quibus ſimiles alio tempore a me plures datæ ſunt, habiturum te grati loco munuſculi, confido. De quibus, cum ab amico ad amicum, nec affectandæ eruditionis cauſa, ſed ad id, ut amoris & benevolentiæ teſtes eſſent, ſcriptæ ſint, vel ideo tamen ſatis lectu dignæ videantur, quod variis literariæ Hiſtoriæ floribus ſuaviſſimis ornatæ ſint, & *Cavei* nobis non ingenium tantum, quod minime vulgare fuit, ſed animum etiam, honeſtatis inprimis ſtudioſum, & ad officia prom-

promtiſſimum, exprimant, tuæ, Lector, æquitatis erit, ita iudicare, ut, eas tibi legendas tradidiſſe, minime me pœnitere debeat. Id ſi feceris, multum te laudabo, idque commodi hinc feres, ut, eiusdem generis alia, hisque fortaſſe aliquanto meliora, quæ adhuc in ſcriniis meis latent, hoc lubentius daturum me deinde eſſe, ſatis ſperare certo poſſis.

EPISTOLA I.

OTTONI MENCKENIO

S. D.

WILH. CAVEVS.

Arg. *Opuſculorum Sherlocianorum notitiam literariam ſuppeditat. Nova nonnulla ſcitu iucunda refert.*

Haud mihi ſperare licuit menſe abhinc uno alterove, fieri poſſe, ut propria manu ad te ſcriberem. Tanta enim oculorum imbecillitate per integram hanc hyemem laboravi, (& ex parte adhuc laboro,) ut nec legendo, nec ſcribendo, par fuerim. Neque id ſolum mihi moleſtum erat. Ingruebant in me quotidiani pæne ex calculo dolores, qui me necdum penitus deſeruerunt. Sed vivo adhuc per Dei gratiam, cuius patientia utinam non abutar! Opuſcula *Sherlociana*, integram Tritheiſmi controverſiam ſpectantia, tandem miſi, vel potius me rogante miſit ipſe Rev. Auctor. Dudum ea habuiſſes, ſed Tractatum ultimum *de præſenti con-*

troverſia Sociniana ſtatu, diu e prelo exſpectavimus. In his opuſculis omnia a *Sherloci* manu ſunt, exceptis duobus, quibus præfixæ ſunt literæ initiales L. B. Auctor is eſt non infimi nominis Eccleſiaſtes in agro Cauliano, & in Theologia Scholaſtica ſatis exercitatus. Horum Tractatuum alter, cui titulus, *Deus unus & trinus*, impreſſus quidem erat, ſed ſuperiorum amica voluntate ſuppreſſus, & necdum publice editus, ne controverſia longius ſerperet. De Teſtamento *Milliano* pæne deſpero. Perlata eſt ad me nuper Oxonio fama, Auctorem non niſi poſt biennium illud in vulgus emiſſurum; quod vix credo. Catalogus librorum MSS. in Anglia nondum prorſus ad umbilicum perductus. Saluto Rev. Dom. *Ittigium*, Dominumque *Olearium*. Gratulor tibi optimæ ſpei iuvenem, *Burchardum* tuum, cuius elegans ingenium & inſignem in quavis reconditiori literatura progreſſum exoſculor. Vale, mi *Menckeni*, & me, quod facis, ama. Dab. e Coll. Windeſor. V Non. Martii A. 1697 ſtilo noſtro.

EPISTOLA II.

OTTONI MENCKENIO

S. D.

WILH. CAVEVS.

Arg. *Thomæ Tanneri inſtitutum, edendi Bibliothecam Britannicam, deſcribit.*

Reddita iam pace, poſtquam inſtitutum fuerit cum Gallis commercium, ut charta illinc

ad-

advehi queat, futurum ſpero, ut melioris notæ libri e prelis noſtris exeant. Inter alios *Thomas Thomerus*, Collegii omnium Animarum apud Oxonienſes ſocius, vir patriarum antiquitatum calleutiſſimus, (cui Notitiam monaſticam debemus,) ingens meditatur opus, nempe Bibliothecam Britannicam, (a) omnes Magnæ Britanniæ & Hiberniæ ſcriptores complectentem, exteros etiam, qui munera, vel dignitates apud nos ſuſtinuerunt. Huic integrum *Lelandi* opus de Scriptoribus Angliæ inſeretur, diverſo quidem charactere, ſed propriis verbis, infinitis additionibus auctum, præter bis mille ſcriptores, quorum *Lelandus* non meminerit. Incipit a primis gentis noſtræ ſcriptoribus, & per quævis ſecula decurrens, usque ad exitum Reginæ *Elizabethæ* juxta temporis ordinem perducet. Cuivis Sæculo præfiget Diſſertationem de ortu & progreſſu controverſiarum, deque ſtatu rei literariæ apud nos iſthoc ſeculo, de inſtitutione monachatus, Collegiorum, Bibliothecarum, Coenobiorum, &c. Integro operi præmittetur prolixa Præfatio generalis, qua de origine literarum, doctrinæ, &c. in Anglia agetur, deque aliis quamplurimis, quæ ſub ſingulis ſcriptoribus locum commode habere non potuerunt. In pertexen-

 do

(a) Non, quod ſciam, opus hoc unquam prodiit. Cavendum autem, ne confundatur Auctor cum patre cognomine, iam A. 1682 defuncto. De utroque agit *Ant. Wood* in *Athenis Oxonienſibus*, de patre *pag.* 715, de filio *pag.* 924. MENCK.

do hoc incomparabili opere tantos progreſſus iam fecit diligentiſſimus Auctor, ut ſperet, intra unius anni ſpatium prelo ſe illud paratum habiturum. Quod faxit Deus. Hæc nolui te neſcire. Vale, mihi dilectum caput. Windeſor, Idib. Martiis A. 1697.

EPISTOLA III.
OTTONI MENCKENIO
S. D.
WILH. CAVEVS.

Arg. *Filium Menckenii, Jo. Burchardum, multis laudibus proſequitur. Zacagnii Collectaneis vehementer ſe delectatum, ſcribit.*

Librum, a te miſſum, propria manu mihi tradidit *Burchardus* tuus, qui me hic loci humaniſſime inviſere dignatus eſt. Quanta cum lætitia hominem exceperim, haud facile dixerim. O præclarum (inquiebam) diem, quo *Menckenii* mei filium videre contigit! filium tali patre digniſſimum, veræ eruditionis, probitatis, humanitatis, exemplar egregium. Adeo expedite unius alteriusve menſis ſpatio lingua noſtra utitur, ut, plures iam annos in Anglia verſatum eſſe, iurares. Id quod non ſine magna quidem admiratione, & pene attonitus, audivi. Biduo tantum apud me hæſit, verum longioris moræ redeunte iam vere ſpem mihi fecit, quando loci huius amœnitates, arciſque regiæ maieſtatem, tempore magis oportuno, & maiori cum fructu, luſtra-

luſtrare licebit. Iam, puto, Oxonia abiit, ubi rem ſuam ſtrenue promovebit, ſtudiisque eius omni ex parte benedicat ὁ πατὴρ τῶν φώτων. Mire mihi placent *Zacagnii* Collectanea. O ſi in tempore habuiſſem! Sed infortunio meo præveneràt libri mei impreſſio. Lætor admodum, tantæ eruditionis viro Romam gaudere, multoque magis Bibliothecæ Vaticanæ curam ei commiſſam eſſe. Beavit ille orbem literarium reconditis illis theſauris, ſi modo, quod vovemus, vitam illi viresque dederit Deus. Prodiit nuper Catalogus MSS. in Anglia, iam tandem publici iuris factus. Hunc ut ad te meo nomine quamprimum mittat, noviſſimis ad D. *Gerium* literis in mandatis dedi. Sed me reprimo, tui, tuorumque graviſſimorum negotiorum, oblitus. Vale, & mihi favere perge. Dab. e Colleg. Vindeſor. XV Cal. Januar. 1698.

EPISTOLA IV.

OTTONI MENCKENIO

S. D.

WILH. CAVEVS.

Arg. *Suam Scriptorum Eccleſ. Hiſtoriam prodiiſſe nuntiat. Alia literaria refert.*

Diu me vexavit, imo cruciavit plane, typographorum ſtoliditas & negligentia, & ma-

le fida Bibliopolæ cura; quorum moras & tergiverſationes plus quam per biennii ſpatium moleſte tuli. Tandem partu plus quam elephantino prelum ſuum extrudit fœtum, utinam non monſtroſum! Multa quidem video, quæ aliter eſſe vellem; multa deſiderari, quæ ſecundis curis ſuppleri, ornari, augeri, poterant. Sed iacta eſt alea, & doctorum candor & humanitas exſpectanda. Tuos mores & ingenium probe novi, nec ab ipſa humanitate quidpiam niſi humanum prodire poteſt. D. *Millius* Teſtamentum ſuum adhuc premit. Interim moliuntur Oxonienſes novam Teſtamenti Græci editionem, Scholiis Græcis ex *Chryſoſtomo*, *Theodorito*, *Theophylacto*, *Oecumenio*, &c. ad imam cuiusvis paginæ partem ſubiiciendis. Antiquorum Hæreticorum, & Apocryphorum, quæ apud veteres occurrunt, fragmenta collegit, digeſſit, notisque illuſtravit, D. G. *Ern. Grabius*, Pomerano-Pruſſus. Opus ſub prelo Oxonienſi iam ſudat. *Tanneri* liber de Scriptoribus Britanniæ paulo lentius progreditur, & vereor, ne intra annum unum & alterum prelum ſubeat. Sed longus ſum, & habenda eſt temporis rerumque tuarum ratio. Igitur dignitatem tuam plurimum valere iubeo, ſtans pede in uno, acidulas Tunbrigienſes mox petiturus. Isleworthæ XV Cal. Aug. MDCXCVIII.

EPI-

EPISTOLA V.

OTTONI MENCKENIO
S. D.
GVIL. CAVEVS.

Arg. *Rei literariæ in Anglia ſtatum deſcribit. Clerico, adverſario ſuo, proxime ſe reſponſurum, ſpondet.*

Diu eſt, imo plane ſeculum videtur, ex quo aliquid literarum a te accepi, quin nec niſi voto & conjectura cognovi, *Burchardum* tuum ad te incolumem rediiſſe. Nolim vero, ut mei cauſa in publicum peccetur commodum. Scio, te infinitis domi negotiis, & multifario literarum commercio, indies diſtineri. Mihi ſatis erit, ſi, ſalvo amicitiæ vinculo, aliunde cognoſcam, te athletice vivere, inque re literaria promovenda ſtrenue inſudare. Quod de te ſpondere audeo; ἢ θνήσκει, ἢ παιδαγωγεῖ, ut olim de *Dionyſio*. In noviſſimis, quas filio tuo commiſi, literis, inſtantibus quibusdam haud vulgaris notæ amicis, te rogavi, ut unum alterumve *Zacagnii* exemplar ad me mitteretur. Sed, plura apud vos exemplaria non reſtare, ſuſpicor. Accepi, quam miſiſti, novam S. *Macarii* operum editionem, a Dn. *Pritio* veſtro adornatam, ſed quæ ob incommodam typorum exilitatem mihi parum uſui erit, utpote quam oculi mei, etſi perſpicillis adjuti, vix ac ne vix ferre poſſint. Laudo tamen Cl. Editoris in hoc ſtudiorum genere diligentiam, utque in eo feliciter pergat, opto. Pauci de me-

liore

liore nota libri hic prodeunt; eosque Hiſtoria Operum eruditorum, (eheu ſatis ieiuna!) quæ lingua populari menſtruis vicibus apud nos edita eſt, te docebit, aliter vix caſſa nuce digna, cui ſi quid boni ſucci ineſt, ex *Actis* veſtris depromtum eſt. Sudat ſub prelo Sheldoniano Cl. *Hickeſii Linguarum ſeptentrionalium Theſaurus Grammatico-Criticus, & Archæologicus.* Nova ſcilicet *Grammaticæ ſeptentrionalis* editio, infinitis partibus auctior, pulcherrimis typis in folio proditura, figuris æneis longaque numiſmatum Saxonicorum ſerie illuſtrata. Exſpectavi ipſe per ſex iam & amplius menſes tres *Ioan. Clerici* literas, ad totidem Eccleſiæ noſtræ Præſules, adverſus me potius, quam Diſſertationem meam, ſcriptas, ſeque eas prelo mox ſubiecturum minatus eſt. Nondum prodiiſſe puto, &, ni male auguror, *tertiæ Parti Artis criticæ* inſeretur. Ubi prodierunt, brevi reſponſo hac opella defungar. Communi noſtro amico Cl. Dn. *Cruſio* in uſum tuum curavi tradenda Epiſcopi Sarisbur. *Expoſitionem XXXIX Articulorum Eccleſiæ Anglianæ*, *Grabii Spicilegium II*, & unum alterumve librum alium, hic nuper editum; memor, me, quocunque me vertam, ſemper in ære tuo futurum eſſe. Saluta meo nomine Cl. D. *Ittigium, Olearium*, & mihi nunquam non charum *Burchardum* tuum. Vale, Vir præſtantiſſime, teque ſoſpitet cæleſte Numen in multos annos. Magnas me tibi veſtriſque collegis gratias debere profiteor, quod opus meum tam

can-

candida & favorabili recenſione dignati eſtis. E Colleg. Windeſor. XVII Cal. Febr. A. 1699 ſtilo Anglicano.

EPISTOLA VI.
OTTONI MENCKENIO
S. D.
GVIL. CAVEVS.

Arg. *Filii, Jo. Burchardi, mores & ſtudia laudat.*

Literas tuas plane ſuaviſſimas nuper mihi tradidit *Burchardus* tuus, qui has etiam, favente Numine, tibi reddet. *Burchardus*, inquam, deliciæ tuæ, quidni etiam meæ? adeo ipſum commendant, mihique charum reddunt, præclara indoles, eruditio, probitas, ſobrietas, facilitas morum, candor, & modeſtia ſingularis. Iuvenis certe e meliore luto, quique nominis *Menckeniani* dignitatem ſumma cum laude apud poſteros ſuſtinebit. Faxit Deus, ut ſalvus & incolumis ad te redeat, & in amplexus tuos ruat. Sed nec chartæ anguſtia, nec res tuæ, ulteriores nugas meas patiuntur. Vale, mi *Menckeni*, nunc & in æternum valeas. Isleworthæ Idib. Maii 1699.

INDEX

INDEX DISSERTATIONVM,

QVÆ

VOLVMINIS SEXTI PARTE SECVNDA

CONTINENTVR:

I. Ge. Lvd. Oederi, D. Diſſertatiuncula critica in *Matth. I, 18.* Pag. 187 - 192.

II. Petri Zornii Diſſ. poſthuma de Theſauro abdito in agro, ad *Matth. XI, 44.* Pag. 193 - 199.

III. I. C. Harenbergii Continuatio tertia Supplementi in Hadriani Relandi Librum de Urbibus & Vicis Palæſtinæ. Pag. 199 - 235.

IV. Pavli Ern. Jablonski Obſervatio de Phtha, priſcorum Ægyptiorum Numine, quod Græci Vulcanum interpretantur, ubi & de veterum Philoſophorum Ægyptiorum atheiſmo. Pag. 236 - 271.

V. Io. Iac. Reiske Libellus Animadverſionum ad alteram editionem Burmannianam Petronii. *Pars II.* Pag. 272 - 307.

VI. Frid. Ott. Menckenii Librorum, haud ita diu ab inventa arte typographica editorum, quibus ſuppleri poſſint Annales typographici Maittairiani, Decas altera. Pag. 308 - 350.

VII. *Lycoidis Proſelyti* Specimen libertatis philoſophandi reſtitutæ, ſive Conſilium, quomodo obſoletæ & antiquatæ veterum Philoſophorum locutiones permutari cum hodiernis, & more ſeculi receptis, indeque ita corrigi Auctores aureæ & argenteæ ætatis, poſſint, ut ad lectionem eorum, etiam qui uſitatam illis phraſin non intelligunt, invitentur. Pag. 351 - 365.

VIII. Gvil. Cavei ad Ottonem Menckenivm Epiſtolæ ſex, nunc primum editæ, cum Præfatione F. O. Menckenii. Pag. 366 - 375.

MISCELLANEA
LIPSIENSIA
NOVA,

AD INCREMENTVM

SCIENTIARVM,

AB HIS,
QVI SVNT IN COLLIGENDIS

ERVDITORVM NOVIS
ACTIS

OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA.

VOLVMINIS SEXTI PARS TERTIA.

CVM PRIVIL. REG. POL. ET ELECT. SAX.

LIPSIAE,
APVD B. LANCKISII HÆREDES,
MDCCXLVIII.

m
n
ti
ri
li
L
C
ſa
P
fi

I.

IACOBI ELSNERI,

THEOLOGI BEROLINENSIS,

COMMENTATIO IN DIFFICILLIMVM LOCVM

Matth. XXVII, 8.

I.

Tam variæ exſtant in hunc locum & diſcrepantes interpretum inde ab antiquiſſimis temporibus ſententiæ, ut ſola earum recenſio integram et ſatis magnam Diſſertationem conſtituere poſſit: quas nec enumerare, nec excutere, animus eſt, præſertim cum eadem opera iam ſatis defunctos noverim *Bynæum* in notiſſimis *de morte Ieſu Chriſti* libris, *Marckium* in *Exercitationibus miſcellaneis*, *Deylingium Obſerv. ſacr. Parte II Obſerv.* 43, & *Chriſtophorum Schlegelium* in elaborata *de agro ſanguinis* Diſſertatione, *Theſauro novo theologico-philologico Diſſertat. exegeticarum* inſerto, *Wolfium* denique in *Curis ſuis Philologico-Criticis.*

Nonnulla tantum ad illud ſententiarum divortium monebo, &, quibus eæ opiniones præſertim, quæ auctoritate & argumentis munitæ videntur, difficultatibus & vitiis urgeantur, oſtendam, meam denique ſententiam proponam, exponere & illuſtrare conabor.

II. Librarii errore *Ieremiam* pro *Zacharia* ſcriptum non putem: id enim vitium non omnes Codices inde ab ultimis temporibus pervaſiſſet; quandoquidem iam *Origenes*, atque deinde *Hieronymus* & *Auguſtinus* eam lectionem in ſuis Codicibus invenerunt; nec facilis librarii in vocibus adeo diverſis lapſus fuiſſet. Equidem non inficias iverim, ſi per compendium ſcriptum fuiſſet Iρίꝯ, *Ieremiæ*, inde facili negotio naſci & prodire potuiſſe Zρίꝯ, *Zachariæ*, quod etiam *Camp. Vitringa* amplexus eſt in *Prolegomenis ad Ieſaiam p.* 23, ſecus atque *Wolfius ad h. l.* arbitratur, non tantam eſſe affinitatem, dicens, literarum Z & I, ut tam proclivis in illis permutandis lapſus ſit; nam frequenter omnino literæ illæ permutantur, ut iam *G. I. Voſſius* docuit *de Literarum permutatione.* Ita *Zeſus* pro *Ieſus*, Ιαμβύκη pro Ζαμβύκη, interdum ſcriptum reperitur. Vide *Miſcellaneas Obſervationes in Auctores Vol. II Tom. II p.* 287. Attamen illa per compendium ſcribendi conſuetudo ad prima illa ſecula, quibus iam de hoc loco diſceptatum fuit, non adſcendit, a nono demum Seculo frequentata, ut *Montfaucon* docuit *Palaeographia Graeca Lib. V Cap.* 1, quod *Millius* etiam vidit.

III. Multo autem minus ipſum Evangeliſtam aberraſſe, & ἁμαρτήματι μνημονικῷ pro *Zacharia* poſuiſſe *Ieremiam*, induci ad credendum poſſum, ut *Millius* ſcribere non veretur. Si enim hic *Matthæus* ἁμαρτήματι μνημονικῷ laboravit, cur non & alibi, & ſæpiſſime quidem, peccaſſe cenſendus eſt? Eo autem pacto feneſtra aperietur, omnibus locis obſcuris & difficilibus tale peccatum adſcribendi, quod hinc ignorantia & ignavia, illinc profana improbitas, cupide arripiet, atque ſic fidem ſacrarum literarum aut minuet, aut oppugnabit. Quomodo talia autem ἁμαρτήματα μνημονικὰ conſiſtere poſſunt cum promisſione illa Chriſti de *Spiritu S. doctore & duce in omnem veritatem*, qui omnia diſcipulis eſſet *in memoriam revocaturus Io. XIV, 26.* Confer *Matth. X, 19, 20.* Quis conſideratior denique, *Matthæum* aberrare potuiſſe, credat, in teſtimonio tam inſigni & notiſſimi Prophetæ *Ieremiæ*, quem quotidie coram oculis & in manibus habebat, a quo errore hodie ſibi gregarius quisque facillime caveret.

IV. Nec Iudæos citata a *Matthæo* verba apud *Ieremiam* expunxiſſe puto, ut Auctor Arabs apud *Abrahum Ecchellenſem* hariolatur, *Posſino* referente *Spicilegio Evangelico p. 92,* quod etiam *Euſebio* aliquando in mentem venerat, qui tamen σφάλμα etiam γραφικὸν hic accidiſſe ſuſpicatur *Lib. X Demonſtrationis Evangelicæ p. 481.* Nam, cum Iudæi verba apud *Zachariam* integra conſervaverint, nulla cauſa afferri poteſt, quare *Iere-*

miam potius truncare maluerint. Apocrypha autem *Ieremiæ* etiam a *Fabricio Codice Apocrypho Vet. Teſt. p.* 1103, & Cl. *Bengelio* in ſuo N.T. relata, talia ſunt, ut partim ad *Zachariam* efficta, partim ab homine vano & vacuo haud ſatis commode conſuta, appareant.

V. Celebris illa ſententia *Lightfooti*, a multis adoptata, *Ieremiam* olim in volumine Prophetarum primum locum ante *Ieſaiam* occupaſſe, unde factum ſit, ut *Ieremias* princeps citari potuerit pro *Zacharia*, qui in eodem volumine ſequeretur, admitti nequit. Ea ſcilicet ratione nullus Prophetarum ſuo nomine in N.T. citari debuiſſet, ſolum *Ieremiæ* nomen appoſitum ſuffeciſſet, quod pluribus autem locis N.T., aliorum Prophetarum nomina proferentibus, & rationi, adverſatur, perinde atque ſi aliquis dictum, quod in *Exodo* duntaxat exſtaret, in *Geneſi* dici ſcriberet, quia liber ille primo loco compareret. Vide alia apud *Vitringam Prolegomenis in Ieſaiam* p. 22.

VI. Celeb. *Deylingius Grotii* ſententiam ſequitur, cui etiam *Wolfius* accedit, a *Ieremia*, exiſtimantis, hoc vaticinium primitus prolatum, & memoria hominum conſervatum, a *Zacharia* denique ſcriptum fuiſſe, quemadmodum nomina *Iannes* & *Iambres* ex tali traditione *Paulus* tandem conſcripſerit 2 *Tim. III*, 8, & *Enochi* Prophetiam, ore tam diu propagatam, literis mandaverit *Iudas* Apoſtolus *Epiſt. v.* 14, 15. At exempla ſunt diſſimilia; exſtat enim volumen *Ieremiæ* ſcriptum,

idque

idque maius *Zachariæ* libro: igitur exſtare in volumine vaticiniorum *Ieremiæ* ſcriptum debet, quod vaticinatus nomine expreſſo Propheta ille dicitur. Τὸ ῥηθὲν in Scripturæ allegatione uſurpari, atque ita Prophetam *dicentem* λέγοντα induci, cujus ſcripta citantur, exemplorum magno numero præter alios oſtendit *Schlegelius* ante citatus, qui ceteras quoque ſententias diligenter recenſet, & ſatis accurate refutat.

VII. Idem Vir doctiſſimus ſuo etiam exemplo docuit, facilius aliorum ſententias everti, quam ſuam exſtrui, & idoneis præſidiis muniri, ſolere. Ad *Ieremiæ Cap. XIX Matthæum* reſpicere credit, ubi, ut ait, *vaſis a figulo emti in valle Benhinnom eſt confractio emblematica*, præſentibus Senioribus populi & ſacerdotii. Hic, pergit, inter *Ieremiam* & *Matthæum* eſſet convenientia *perſonarum*, circa emtionem occupatarum, præter *Ieremiam* ſeniores, apud *Matthæum* Pontifices: illi conſultarunt de Propheta occidendo *Cap. XVIII*, ut hi de Chriſti morte. *Agri* ante portam figulorum in valle Benhinnom ad auſtrum ſitus fuiſſet apud *Ieremiam v. 2, 6*, ut ager ſanguinis ad auſtrum oſtendi ſolet *Hieronymo* teſte. *Nominis*, vallis apud Ieremiam *occiſionis* eſſet, apud Matthæum *ager ſanguinis* diceretur. *Uſus* utriusque ad ſepulturam, & quidem peregrinorum, congrueret; quæ laborioſe & prolixe ibidem deducit.

VIII. Ego ſatis mirari non poſſum, virum, cui nec acumen ingenii, nec doctrina, deeſt, ad hoc

Ieremiæ Caput devolvi, atque in eo implementum vaticinii, a *Matthæo* citati, invenire potuiſſe, ubi nihil plane ejus generis invenitur. *Matthæus Ieremiam* citat, qui de agro illo emto vaticinatus eſſet, qui poſtea ager fuiſſet figuli proditionis mercede & pretio ad ſepulturam peregrinorum emtus; nunc vero toto illo *Capite Ierem.* XIX nec agri, nec emtionis, nec pretii, exſtat indicium: abire duntaxat Propheta iubetur ad figulum, prope urbem, aut in extremitate urbis, pro more habitantem, iubetur *vas teſtaceum* emere, illudque præſentibus ſenioribus confringere in valle Benhinnom, ut hoc ſigno vaſtationem & everſionem, Hieroſolymis imminentem, & internecionem incolarum, ab oculos ponat, qui in illa valle ob ingentem occiſorum numerum eſſent ſepeliendi *v.* 11. Quid hæc, quæſo, ad *Matthæi* mentem & ſcopum? Ne verbum quidem *Cap.* XIX *Ieremiæ* fit de agro, ſed de vaſe figulino, de hujus emtione ſermo eſt, non vero agri; vallis Benhinnom mentio fit ſepulturæ deſtinatæ, & ab hoſtibus quidem *occiſorum*, non vero agri ſanguine, aut ſanguinis pretio, redemti; cives & incolæ internecioni dati in illa valle ſepeliendi dicuntur, non vero advenæ & peregrini, qui humanitatis beneficio ibi eſſent ſepeliendi. Convenientia omnis, a viro docto inſtituta, tam difficilis eſt, contorta, & obſcura, ut oleum & operam perdidiſſe videatur. Ego vero, brevi hac recenſione perfunctus, ſecure ad aliam ſententiam me conferre & convertere poſſum.

IX. Atque initio quidem veram cenſeo & avthenticam lectionem IEREMIÆ, a manu *Matthæi* profectam. Nam omnes Codices Græci eam præferunt, & iam *Origenis* ætate prætulere; hinc evidenti ratione conſequitur, in antiquiſſimis Codicibus, ſi non avtographis Evangeliſtarum, ſaltem ad illa deſcriptis, nomen *Ieremiæ* exſtitiſſe, tanta quoque certitudine & evidentia, ut *Origenes*, eumque ſecuti *Hieronymus* & *Auguſtinus*, *Matthæi* manum agnoverint, ſibique ob eam cauſam religioni duxerint vel apicem immutandi, quamvis vehementer in explicando loco laborarent, quandoquidem citata a *Matthæo* apud *Ieremiam* exſtare non viderent. Vide *Origenem* in *Matthæum Homilia 35 f. 85*, *Auguſtinum de Conſenſu Evang. Lib. III Cap. 7.*

X. Tantum autem abeſt, ut, *Matthæum* memoriæ vitio & errore *Ieremiam* nominaſſe, dicam, ut id iure meritoque feciſſe exiſtimem. Nimirum reſpexiſſe Evangeliſtam puto ad *Ieremiæ Caput XXXII*, ut iam *Auguſtinus* vidit, ubi & agri Dei mandato emti & pretii expreſſa mentio occurrit *v. 25:* אמרת אלי אדני יהוה קנה־לך השדה בכסף, *dixiſti ad me iubendo, Domine Iehova, eme tibi agrum argento; ad Anathot* שדי אשר בענתות *v. 6*, emtusque eſt expreſſo Dei mandato & *argento.* Habetur hic AGER, & quidem EMTVS, & ARGENTO; ſingulari & admirabili *Dei mandato.* Eſt igitur apud *Ieremiam* res principalis, de qua *Matthæus* ſcribit, cuiusque gratia *Ieremiam* citat *v. 7:* Ἠγόρασαν ἐξ αὐτῶν

 ſcil.

ſcil. *ἀργυρίων* ΤΟΝ ΑΓΡΟΝ, *v. 8:* Διὸ ἐκλήθη Ο ΑΓΡΟΣ *ἐκεῖνος, v. 9:* Τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ Ἰερεμίου. Sic rem moderante admirabili Dei providentia. Adde: eodem loco utrumque agrum emtum, nempe Hieroſolymis *Ierem. XXXII, 2,* a ſimilibus perſonis, hinc *Pontificibus*, illinc Propheta & ſacerdote *Ieremia*. Igitur iam hinc apparet, merito *Ieremiam* eſſe a *Matthaeo* citatum, & primo quidem loco, ante *Zachariam*, poſitum, apud quem nec agri, nec emtionis, nec ſimilis perſonæ, aut loci, vola exſtat, aut veſtigium.

XI. Summa autem apud *Ieremiam* שבעה שקלים ועשרה הכסף, *ſeptem ſiclorum & decem argenteorum*, aut tantundem valet atque *triginta argentei* apud *Matthaeum*, quod ſeiunctim ponuntur ſicli & argentum, intercedentibus numeralibus, aut diverſa eſt & minor apud *Ieremiam*: quomodo pro temporum diverſitate, auctisque rerum pretiis, idem ager aut minore, aut maiore, pretio venire ſolet, præſertim cum ex emto agro nulla ad *Ieremiam* redundaret utilitas obſeſſis, nempe a Chaldæis Hieroſolymis & agris ad Anathot, qua via ad urbem hoſtes acceſſerant, occupatis, exilioque inſtante; contra ager apud *Matthaeum* emtus adhuc peregrinorum ſepulturæ inſerviret, atque propterea maiore pretio emeretur. Ceterum in eo quoque utriusque agri erat ſimilitudo, quod nullus e cultura ad poſſeſſorem fructus rediret.

XII. Porro, dum *Matthaeus* emto a Pontificibus agro ad *Ieremiam*, eiusque agrum, provocat,

atque

atque nunc, cum pretio illi agrum acquiſiviſſent, impletum eſſe ait dictum vetus factumque *Ieremiæ:* ΤΟΤΕ ΕΠΛΗΡΩΘΗ ΤΟ ΡΗΘΕΝ ΔΙΑ ΙΕΡΕΜΙΟΥ, ſatis aperte ſignificat, agrum, ſuo tempore a Pontificibus emtum, ipſum illum agrum eſſe, quem Dei mandato *Ieremias* olim acquiſiverat: id quod rationibus ſequentibus recte ponderatis attento cuique & cordato lectori liquidius, opinor, conſtabit.

XIII. Nimirum ager *Ieremiæ* erat *AD ANATHOT* בענתות, atqui oppidum illud urbi Hieroſolymorum admodum erat vicinum, *diſtans* STADIIS duntaxat VIGINTI, σταδίας ἀπέχουσα Ἱεροσολύμων εἴκοσι, teſte locupletiſſimo *Ioſepho Lib.* X *Antiquit. Cap.* 7 *p.* 524 *edit. novæ*, h. e. duobus milliaribus Romanis cum dimidio, dimidiæ fere horæ itinere abſolvendis. Præterea ager ille ponitur *ad Anathot*, & e regione quidem urbis, ubi tunc temporis *Ieremias* in carcere detinebatur: cumque Anathothitarum agri adhuc propius verſus urbem porrigerentur, commodus ſatis locus fuit inferendis peregrinorum cadaveribus, in urbe ſancta defunctorum; præſertim cum ingens urbis ſanctitas vix propiorem ſepulturam permitteret, nec fas eſſet, cœmiteria intra bis mille cubitos a civitatibus Leviticis, qualis etiam Anathoth erat *Ioſ.* XXI, 15, conſtituendi. Vide *Lightfootum Chorographia, Marco præmiſſa, Cap.* 8.

XIV. Neminem vero morari debet diverſitas ſitus agri hujus ſanguinis *Akeldama*, ad

 auſtrum

auſtrum urbis ad vallem Tophet ſecutis temporibus monſtrati, qui conſideraverit, plura loca, ut vocant, ſancta monſtrari, alibi omnino quærenda, multorum quoque, everſis Hieroſolymis, agroque funditus vaſtato, ſigna & indicia ne inveniri quidem, nec poſt tot ſecula vere oſtendi poſſe, ut Itineraria frequentiſſimis teſtimoniis docent. Situm autem illum ad vallem Tophet ex eo errore poſitum fuiſſe, quod ſepulchretum illud infame ſatis cum agro peregrinorum congruere videretur, male autem: cum hic locus honeſtus, atque certo pretio in peregrinorum gratiam redemtus ſit, vallis contra Tophet cujusvis cadaveribus proiiciendis gratis patuerit. Vicinitas agri *Ieremiæ* ſatis cum *agro Sanguinis* convenit. Haud difficili autem opere portam *orientalem*, aut figulorum, Hebraice, שער התרסית *Ierem.* *XIX*, 2, cum vallis Hinnom parte ad regionem oppidi Anathoth contra ſeptentrionem urbis, ita ut ad orientem evergeret, ſiti, accommodare poſſem, ſi opus eſſet.

XV. Conſtitit autem *Matthæo*, agrum illum ſanguinis *Ieremiæ* olim fuiſſe, tum e luce πνεύματος ἀποκαλύψεως, quo actus Evangelium conſcripſit, tum ex urceo illo, poſt reditum e Babylonica captivitate ex eodem agro effoſſo, qui inſtrumentum emtionis continebat *Ierem.* *XXXII*, atque ad plenam futuri temporis certitudinem in eodem agro conditus videtur, Nam, cum Dei mandato ספר המקנה הזה *liber huius emtionis* in *vaſe fictili* בכלי־חרש condendus

eſſet,

eſſet, eo conſilio, ut futuris temporibus eſſet teſtimonio למען יעמדו ימים רבים *v.* 14, dubitari non poteſt, urceum illum religioſe conſervatum, atque inde poſt reditum Iſraelitarum e Babylonico exilio librum emtionis depromtum, hæredibus *Ieremiæ* ſummi teſtimonii loco inſerviiſſe, ut in agri legitime redemti poſſeſſionem, nemine impediente, immitterentur.

XVI. Ut autem vaſa illa fictilia, ſive lapidea, aerem & humores arcentia, condendis, diuque conſervandis, literis & inſtrumentis inprimis ſunt apta & idonea; ſic &, ingruentibus hoſtibus maxime, tutiſſime ſub terra condi, atque inde eruta, ſigna & indicia certiſſima eſſe poterant veterum locorum & poſſeſſorum. Ex tali ratione libri Sibyllini, fata rei publicæ canentes, atque dubiis rebus conſulendi, in templi Capitolini cella ſubterranea, *in arca lapidea*, ἐν λιθίνῃ λάρνακι, præcipua religione ſervati leguntur apud *Dionyſium Halicarnaſſenſem Lib. IV Antiquit. pag. 260.* Libros itidem ſacros, a *Numa* conſcriptos, in *lapideo loculo*, λιθίνῃ σορῷ, ſub terra conditos fuiſſe, auctor eſt *Plutarchus Numa pag. 74.* Ex ſimili cauſa fictiles etiam ſarcophagi frequenter in veterum cœmiteriis reperiuntur. Vide *Fabretti Inſcriptiones p. 54, & Cap. 7 p. 496.* Ex lapidibus autem literatis, ex agris erutis, integram urbem *Thyatira* reperit & agnovit *Ricaut,* Conſul tunc temporis Smyrnenſis, aliique, teſte *Thoma Smith de ſeptem Aſiæ Eccleſiis p. 17.* Igitur literæ illæ emtionis indices & teſtes apud *Ieremiam* merito

vaſi

vaſi fictili inditæ ſunt, vasque, quod irruentibus hoſtibus, & miſerabili illa fuga & univerſali exilio iminente, tutius conſervari non potuit, agro emto conditum, ut hoc documento, omnem dubitationem eximente, producto & ager & legitimi poſſeſſores, *Ieremiæ* hæredes, facillimo opere cognoſci poſſent.

XVII. *Impletum* dictum factumque *Ieremiæ*; Ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ Ἱερεμίου, dicitur, quod ager ille redeuntibus e Babylonico exilio Israelitis, aut ab emtoribus argento hæredibus *Ieremiæ* reddito, aut ab hæredibus ipſis, iure ſuo recucuperatus poſſeſſusque, atque ſic impletum fuerit, quod emtio illa, *Ieremiæ* divinitus mandata, & vaticinium ſignificaverat *v. 15: Sic dicit Iehova Zebaoth Deus Iſrael:* עוד יקנו בתים ושדות וכרמים בארץ הזאת, *adhuc in poſterum ementur domus & agri & vineæ in hac terra.* Vide & *v. 37* & *43*, & *v. 44:* שדות בכסף יקנו, *agros argento ement.* Imo & figulis agrum illum *Ieremiæ* ceſſurum poſt reditum e Babylonica captivitate, haud obſcuro ſymbolo ſignificatum eſt, quod divino iuſſu vas figulinum agro mandaretur, inſtrumentum emtionis & ſummæ continens. Itaque, cum ager poſtremis temporibus evaſit ἀγρὸς κεραμέως, haud fruſtra vas fictile ibi conditum univerſis apparuit, atque ſic hæc quoque adumbratio impleta eſt.

XVIII. Cum tandem vero idem ager exhauſtus figulinis operibus argilla iterum, & maiori quidem pretio, triginta minimum ſiclis, a Pontificibus

emere-

emereτur, præclariſſime *Ieremiæ* vaticinium impletum, ejusque veritas omnium oculis expoſita eſt. Non enim ſemel, ſed ſæpius, idem ager emtus poſſeſſusque, &, quamvis a figulis exhauſtus nullius amplius pretii videretur, tamen & maiori quidem, quam olim venditus fuiſſet, pretio redemtus eſt; atque ita inſigni omnino ratione & duplici argumento veritas prædictioni *Ieremiæ* conſtitit. Ager idem denique illud quoque eiusdem Prophetæ dictum, *domos adhuc exſtruendas eſſe*, quamvis tunc univerſæ everterentur *Cap. XXII v. 15*, ad oculum implevit, quod, argilla inde egeſta domos re vera exſtructas eſſe, clariſſime oſtenderet & doceret. Tam evidentia hæc ſunt, ut, neminem fore, confidam, qui, ſummo iure a *Matthæo Ieremiam* citatum fuiſſe, amplius dubitaverit.

XIX. Deinde, ubi *Matthæus triginta argenteos* tanquam indigniſſimum Chriſti pretium & figulo datum ſubiungit, ad alium Prophetam reſpicere apparet: qui eandem ſummam & perſonam eo pretio æſtimatam, hominem denique, cui illa ſumma ceſſiſſet, exhibeat, id eſt, *Zachariam*, apud quem hæc exſtare, nec difficulter reperiri poſſe, Evangeliſta noverat, quare eius nomen ſecure præteriit. Fecit id præterea pro conſuetudine, qua duorum Prophetarum verba citari, coniungi, & in unum conflari, ſolent, alterius duntaxat nomine expreſſo. Sic *Matthæus* ſupra *Cap. XXI, 4, 5,* coniunxit *Ieſaiæ* & *Zachariæ* verba: Τȣ̃το δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τȣ̃

Πϱο-

Προφήτυ, *Ieſaiam* innuit *Capite LXII, 12*: εἴπατε τῇ θυγατρὶ Σιών, nunc ſequuntur *Zachariæ* verba, nullo indicio ſignificati: ἰδὲ ὁ βασιλεύς σε ἔρχεταί σοι πρᾶυς κ. λ. *Marcus* ſimiliore adhuc ratione *Cap. I v. 23 Ieſaiæ* & *Malachiæ* vaticinia coniunxit, in genere præmittens: ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις, aut, ut Codices boni & verſiones habent, ſolo *Ieſaia* expreſſo: Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ, tamen non *Ieſaiæ* modo, ſed & *Malachiæ*, verba ſequuntur. Plura exempla poſt *Glasſium Schlegelius* congeſſit *Diſſertatione citata.*

XX. Poſſet etiam ad faciliorem commemorationem *Zachariæ* apud *Matthæum* ellipſis ſtatui τῦ καὶ, hoc modo, διὰ Ἱερεμίυ (καὶ) τῦ Προφήτυ, *per Ieremiam & Prophetam*, alium ſcilicet, qualis haud infrequens eſſe conſuevit v. c. *Ieſ. LXIII, 11: Recordatus eſt dierum ſeculi* משה עמו *Moſis (&) populi ſui. Hoſ. VIII, 10:* מלך שרים *regis (&) principum. Hab. III, 11:* שמש ירח *ſol (&) luna.* Plene *Luc. XVI, 29*, dixit: Μωσέα καὶ τὰς Προφήτας, uti *Marcus XVI, 7:* τοῖς μαθηταῖς αὐτῦ καὶ τῷ Πέτρῳ. Non ignoro, epitheton Prophetæ nomini expreſſo eiusdem *Prophetæ* ſæpius adiungi ſolere, atque ita occurrere *Matth. XII, 17:* ὑπὸ Ἱερεμίυ τῦ Προφήτυ, de uno *Ieremia*: at nec ibi opus eſt ſubintellecto καὶ, cum ibi unius duntaxat *Ieremiæ* dicta ſubiiciantur, hic autem etiam alterius Prophetæ verba ſequantur. Atque hac ratione implementum *Ieremiæ* ſatis diſtincte ad *agri emtionem* referri, merces autem proditoris & æſtimatio Chriſti ad aliud vaticinium, *Zachariæ* nimirum, pertinere, apparet.

XXI. Ceterum de diverſitate & diſcrepantia verborum *Zachariæ*, a *Matthæo* citatorum, minime laborandum exiſtimo. Eſt enim exigui momenti, & ſenſum potius Evangeliſtam, quam verba, ſecutum apparet, idque ſummo iure. Cum enim Evangeliſta non minore, ſed maiore, Spiritus S. lumine & auctoritate præditus eſſet, quam ullus Prophetarum, cur ille, quæſo, verborum veteris Prophetæ apicibus anxie inhærere, nec potius ſenſum duntaxat reddere, tum applicare rebus inſecutis, & implementum, prout Spiritus ſuggerebat, exponere, potuit: ἡ γὰρ μαρτυρία τῦ Ἰησῦ ἐστὶ τὸ Πνεῦμα προφητείας *Apoc.* XIX. 10, & plenius perfectiusque perſpiciebant Chriſti diſcipuli εὐαγγελισάμενοι ἐν πνεύματι ἁγίῳ ἀποσταλέντι ἀπ' ὐρανῦ, quæ obſcurius duntaxat vidiſſent Prophetæ. Vide 1 *Pet.* I, 10-12. Itaque ἔλαβον *acceperunt*, & ἔδωκαν *dederunt*, expono, Pontifices nempe una cum *Iuda*, qui in arctiſſimam ſceleris ſocietatem cum illis venerat, adeo, ut, quæ *Iudas* accepit, etiam Pontifices accepiſſe, &, quæ hi dederunt, *Iudas* dediſſe, merito cenſeatur, utpote qui etiam *emiſſe agrum* dicitur *Act.* I, 18: οὗτος ἐκτήσατο χωρίον.

XXII. Verba, ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ, *quem æſtimarunt Israelitæ*, Israelis & Patriarcharum poſteri, ſeu Pontifices, eccleſia, ut aiunt, repræſentativa, Israelis, & populi, capita & principes, ellipſi οἱ ante ἀπὸ, qualia attulit *Glasſius.* Plenius ſic dicitur: οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς, *Stoici*, οἱ ἀπὸ Πλάτωνος, *Platonici*, aut ſubaudiri quoque poſſet τινες, ut *Grotius* expoſuit. XXIII.

XXIII. Verba poſtrema; καθὰ συνέταξέ μοι κύριος, ad utrumque *Ieremiam* & *Zachariam* referri poſſunt. Diſerte *Ieremias*, Deum ſibi emtionem agri imperaſſe, fatetur *Cap.* XXXII, 25, καὶ σὺ λέγεις πρός με, κτῆσαι σεαυτῷ τὸν ἀγρὸν ἀργυρίου, nec minus *Zacharias* divino mandato figulo datum argentum teſtatur *Cap.* *II v.* 13: καὶ εἶπε κύριος πρός με κ. λ. *Matthaus* autem, qui addit: καθὰ συνέταξέ μοι κύριος non modo ſic quoque oſtendit, utrumque ſe Prophetam coniunxiſſe, quemadmodum apud *Ieremiam* pariter atque *Zachariam* *appenſi* quoque *argenti* mentio fit: ἔστησα αὐτῷ ἑπτὰ σίκλους καὶ δέκα ἀργυρίου *Ierem.* XXXII, 10, *Zachariæ II*, 12, καὶ ἔστησαν τριάκοντα ἀργυροῦς, ſed etiam ſingulari omnino & admirabili Dei conſilio & providentia factum fuiſſe docet, ut & ager a *Ieremia* Propheta primitus emi, atque deinde a figulo, & eadem quidem ſumma, qua proditus Chriſtus emtusque eſt, redimi, debuerit. Etiam hic valet, quod e *Pſalmo CXVIII*, 22, citat Chriſtus apud *Matthaeum* XXI, 42: Παρὰ Κυρίου ἐγένετο αὕτη (αὐτὸ) καὶ ἔστι θαυμαστὴ (θαυμαστὸν) ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν.

II.

PETRI ZORNII
DISSERTATIO POSTHVMA
DE

CHRISTO DEO, ECCLESIAM PROPRIO SANGVINE SIBI ACQVIRENTE,

ad *Actorum Apoſtolicorum* XX, 28.

§. I.

Hugo Grotius in *Defenſione fidei Catholicæ de Satisfactione Chriſti Capite VIII* §. *XVI*, cum probare vellet contra *Socinum*, *in Chriſto perſonæ punitæ dignitatem omnino multum facere ad poenæ æſtimationem*, his verbis utitur: Credimus, pœnam hanc inde fuiſſe æſtimandam, quòd is, qui pœnam ferebat, *erat Deus*, *etſi eam non ferebat qua Deus*. Huc enim ſpectat illa locutio, qua *Deus dicitur acquiſiviſſe eccleſiam proprio ſanguine*. Quomodo & alibi *Dominus gloriæ crucifixus* dicitur *1 Corinth. II, 8*. Perſonæ quoque totius, hoc eſt, Chriſti, dignitas non parum ad hanc æſtimationem contribuit. Ideo ἐμφατικῶς, efficaciter, in Scriptura dicitur *ſanguis Domini 1 Corinth. XI, 27*, *ſanguis Chriſti Hebr. IX, 14*, *ſanguis Ieſu Chriſti, Filii Dei*, *1 Ioannis I, 7*. Hactenus *Grotius*, ipſa ſuffragante veritate. Idem tamen in annotationibus in Novum Teſtamentum quam maxime friget, cum veritatis cauſam agere deberet. MS. ille, inquit, habet τοῦ Κυρίου, *Domini*, ut multi alii. Et Syrus ſic legit, qui vertit *Chriſti*. Facilis *lapſus compendioſæ ſcriptionis* θυ pro χυ. Plerumque Apoſtoli Chriſtum κύριον, *Dominum*, Patrem vero Deum, nominant. *Grotii* veſtigia in genuina lectione vellicanda premit *Ioannes Clericus*, 1) quem merito notavit & confutavit *Philippus*

1) Vide *Critobuli Hierapolitani* Epiſtolam ad *Origenem. Adamantium*, Synopſeos novorum Bibliorum

pus Meſnardus. 2) Tametſi enim *Eccleſia* proprie ſit *Eccleſia Chriſti Matthæi XVI, 18, Coloſſ. I, 24,* quomodo & ſemel in plurali legimus αἱ ἐκκλησίαι τȣ̃ Χριςȣ̃ *Rom. XVI, 16,* ut alias Eccleſia Dei *1 Corinth. XI, 16, 2 Theſſalon. I, 4, & 1 Theſſal. II, 14;* attamen ἡ ἐκκλησία τȣ̃ θεȣ̃ frequenter dicitur, 3) nunquam autem ἡ ἐκκλησία τȣ̃ Χριςȣ̃. Atque propterea, judicio *Ioannis Pearſonii,* 4) non eſt cauſa, cur textum hunc mutemus, putemusve, primitus ſcriptum χȣ̃, unde factum ſit θȣ̃ (θεȣ̃), cum toties inveniatur θεȣ̃, non Χριςȣ̃. MSta quædam, ut Alexandrinum Cantabrigienſe ac Collegii novi, legunt quidem τȣ̃ Κυρίȣ, nec non interpres *Irenæi, regere Eccleſiam Domini, Libro III Cap XIV,* alii exhibent Κυρίȣ καὶ Θεȣ̃, quod ſequitur Arabs: quod, quanquam non ſit adverſus argumentum noſtrum, attamen, cum ſimilibus in locis inuſitatum ſit, veriſimile non eſt. Syrus

Polyglottorum Auctorem. Legitur autem hæc Epiſtola apud *Io Clericum dans la Défenſe des Sentimens de quelques Théologiens de Hollande ſur l'Hiſtoire Critique du Vieux Teſtament contre la Reponſe du Prieur de Bolleville,* itemque apud *Io. Clericum* in Epiſtola quadam ad *Caium Iunium Optimianum p. 316, Tomo XVI Bibliothecæ ſelectæ,* quæ ipſum *Clericum* habet Auctorem.

2) In libro, cui titulus: *Eſſai ſur le Socinianiſme, ou Réflexions ſur quelques Articles de la doctrine de M. le Clerc tous com les Sociniens p. 724.*

3) *Ut 1 Corinth I, 2, X, 32, XI, 22, XV, 9, 2 Corinth. I, 1 Timoth. III, 5, 15.*

4) In *Expoſitione Symboli Apoſtolici p. 227.*

Syrus reddens id per Chriſti, (דמשיחא non *Domino*, ut eſt in tranſlatione Latina,) expoſitionem potius exhibet, quàm verſionem. Quæ cum 5) ita ſint, cum *Petro Allixio* merito geminam lectionem retinemus.

II. Singularis ἔμφασις in vocabulo αἷμα obſervanda eſt, quod reſpondet Syriaco דמין, plurali τῷ דם, quod *ſanguinem* ſignificat. Supponendum enim, *Ebræos* & *Syros* non tantum דם dixiſſe in ſingulari, ſed & דמים & דמין. 6) Et τὸ αἷμα hoc in loco reſpicere ad דמין in *numero plurali*, inde *Campegio Vitringæ* 7) fit veroſimile, *quod Paulus hic deſignet effuſionem ſanguinis Chriſti in cruce factam.* Αἱματεκχυσία vero *Ebræis* efferebatur per שפיכות דמים, *effuſionem ſanguinum*, non שפיכות דמם, *effuſionem ſanguinis.* Obſerva nunc porro, idem hoc vocabulum דמין *pretium* ſignificare apud *Chaldæos* & Syros. Vide

5) *In dem Außſpruch der Iüdiſchen Kirchen wider die Unitarios p. 267: Paulus redet nach dem zeugniß der alten Juden, derer beſtændige Lehre iſt, daß die Seligmachung Iſraels durch Gott ſelbſt geſchehen werde: dahin ſie den 22 Pſalm und Zachariæ IX, 6, ziehen, und vorgeben, daß der Shekinah ihr Erlöſer ſeyn werde.*

6) Ita *Geneſeos IV, 18*, vox ſanguinum fratris tui clamantium דמי אחיך צעקים quod ipſum דמים numeri pluralis nihilo minus Auctor Epiſtolæ ad *Ebræos XII, 14* per αἷμα, *ſanguinem*, convertit.

7) *Libro I Obſervat. Sacrar. Diſſert. III Cap. V §. III.*

de præter Paraphraſtas 8) *Valentinum Schindlerum* in *Lexico pentaglotto p. 398, Joannem Benedictum Carpzovium,* 9) & *Jo. Chriſtoph. Wagenſeilium.* 10) Sicuti autem hic ſignificatus vocis ætate Domini noſtri fuit receptiſſimus, ita advertas ſuaviſſimum luſum in vocabulo *αἷμα*, quod nimirum ejusmodi ſignificationem habet, *ut ſanguinis & pretii notionem ſimul complectatur:* quam concinne hæc coniunxit *Petrus 1 Epiſtola I, 18.* Atque hæc, cum faciant inprimis ad intelligentiam divini Scriptoris, & ſimul ad veritatem a Socinianorum ſtrophis vindicandam, præpoſtero quodam conſilio omiſit *Joannes Guſtavus Reinbeckius.* 11) Ceterum *ἴδιον αἷμα* opponitur *αἵματι ἀλλοτρίῳ.* Unde cum *Joanne Pearſonio* 12) obſervari meretur, *Auctorem Cathechiſmi Racoviani* in reſponſione ſua ad locum hunc Scripturæ nunquam prorſus mentionem facere vocis *ἴδιον*, vel *proprium*, ſed affirmare ſolum, ſanguinem Chriſti poſſe vocari ſanguinem Dei Patris, & totidem verbis *Socinus* ante ipſum reſpon-

8) Sic apud *Eſaiam LV, 1,* illuſtre aliquod exemplum: *Diſcite abſque pretio* בדמין ואליהובלא.

9) In *Animadverſionibus & notis ad Wilhelmi Schickardi Jus regium Hebræorum p. 279.*

10) In Diſſertatione *de Re monetali Romanorum* obſervationes habet, huc utique referendas, judice *Jo. Alb. Fabricio* in *Bibliotheca antiquaria Capite XI, §. IV, p. 551.*

11) In tractatione theologica *de Redemtione per Lytron.*

12) In *Expoſitione Symboli Apoſtolici p. 228.*

reſpondebat *Wiecko*, at in tota ſua reſponſione diſſimulat vim vocis ἴδιον, cum tota argumenti noſtri vis in verbis his ſita ſit διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, vel, ut MS. Alexandrinus, nec non alius, a *Beza* commemoratus, διὰ τοῦ αἵματος τοῦ ἰδίου.

III. Tranſimus ad vocem περιποιήσασθαι, qua nihil eſt in hoc ipſo argumento ſignificantius. An probabile cuiquam eſſe poteſt, paſſurum eſſe *Chriſtum*, ut, quos *tam care emit*, ipſi ſubducti, in alterius, & quidem infenſiſſimi ſibi, hoſtis poteſtatem prolabantur? Quid? An non vult Chriſtus eos iam *peculium ſuum* factos tueri? Cur ergo tanti ſibi conſtare voluit, ut acquireret? Cur vocantur pii λαὸς εἰς περιποίησιν, *populus, quem ſibi ut proprium vindicat*, *1 Petri II, 9*, & λαὸς περιούσιος *ad Titum II, 14, populus peculiaris?* Nam περιποίησις & περιουσία ſunt interpretationes vocis Hebraicæ סגלה, qua ſignificatur *proprium peculium* & κειμήλιον, 13) hoc eſt, *res labore-*

13) *Pii* vere ſunt *peculium Dei præ omnibus aliis populis. Exodi XIX, 5*, in Hebræo exſtat: סגלה לי והייתם. Cui vocabulo affinis eſt *Latina vox ſigillum*, adeo ut סגלה ſignificet *rem, quam quis impreſſo ſigillo ſuo ſuam eſſe declarat*, & talem quidem, unde homines, regesque ipſi, divites cenſentur, & qua magnificentiam ſuam oſtendunt. *Eccleſ. II, 8, mihi acquiſivi etiam argentum & aurum & theſauros Regum* וסגלת מלכים. Ita elegit olim Deus *Iſraelem* לסגלתו *in theſauros ſibi aſſervandum*. *Pſalmo CXXXV, 4.* Vide plura de hac voce apud *Caſparem Waſerum de antiquis Nummis Ebræorum Libro I, Capite*

re ſumtuque ſuo acquiſita, ideoque omni alieno iuri ac poteſtati exemta, ut ab acquirente curate aſſervetur, eiusque perditio pro ingenti damno ac iactura habeatur. Eleganter *Moſes Gerundenſis* ad *Exodi XIX, 5: eritis* כדי סגולה *in manu mea περιποίησις, ut res amabilis, quam non tradit in manum alterius.*

III.

I. C. HAREMBERGII CONTINUATIO QVARTA SUPPLEMENTI IN HADRIANI RELANDI LIBRUM DE URBIBUS ET VICIS PALÆSTINÆ.

R.

R*ababatora* eſt obvia in tabula *Peutingeriana*, ac ibi traditur a Philadelphia diſtare LXIII mill. paſſ. a Thamaro autem, verſus meridiem ſita, LXVIII mill. paſſ. *Bezer*, Rubenitidis urbs transiordanica, dicta a *muniendo*, בצר, Chald. בסר, deſignatur. *Raba*, vel *Rabbah*, *Rabbath*, urbem primariam ac magnam, ſabaudi nomen עיר, deſignat. Situs ac diſtantia haud repugnant. Thamaro autem eſt Thamar ſeu Engedi. Bezer itaque, ſeu Bozrah transiordanica, abfuit

pite I, *Hermannum Witſium de Oeconomia foederum Dei cum hominibus Libro III Capite XII §. VII p. 444,* & *Georgium Ioannem Henckium* in Diſſertatione ſingulari *de Uſu LXX Interpretum in Novo Teſtamento Capite II §. III numero XVII.*

abfuit a Philadelphia contra meridiem 12½ milliaribus Germanicis.

Rabbath Ammon, ſeu Philadelphia, quam vide, caput Ammonitarum, quod *Ptolemæus* Arabiæ Petrææ adſcripſit, ac vocavit *Rabmathmom*. A *Polybio* appellatur *V*, 71, *Rabbattammana*, ac urbs τῆς ὀρεινῆς, *montoſæ regionis*, a *Ioſepho Rabatha A. J. VII*, 6, § 2, p. 379, & *VII*, 7, § 5, p. 383. *Raba* dicitur ipſa a *Wilhelmo Tyrio XV*, 21. Jaboc fluxit inter Geraſam & Philadelphiam, teſtibus *Euſebio* ac *Hieronymo*. Poſterior addidit poſt Geraſam, *in quarto milliario eius*. Uterque ſcriptor Philadelphiam à Jazer, ſeu Gazor, disiungit ad decimum milliarium in ortum ſolis. *Ptolemæus Philadelphus*, Ægypti Rex, ſibi Cœlen Syram vindicavit, ac urbem Rabbath Ammon ex caſu belli, ſeu alio fortunæ adverſæ, reſtituit ac reparavit, ac de ſuo appellavit nomine. Tractus circumvicinus inde dictus fuit *Philadelphene*.

Rakam, ultimus Orientis locus, ubi leges divortii coniugalis Iudaici erant iuris. *Gittin*. *I*, 2. *Hagar* ibi additur. Meminit Targumiſta ad *Gen. XVI*, 14, ſpatii Rakam inter & Hagar. Rakkam erat urbs ad Euphraten, ad ripam orientalem ſupra oſtium fluminis Chaborræ, teſte *Ebn Edris Clim. IV*, *Part*. 5. At hæc videtur disiunctior. Quærendus itaque locus eſt ad Agra, unde Hagerim, Agræi, dicti ſunt, cui olim nomen fuerit Rakam. Locum hunc

extra Iſraelitidem exſtitiſſe, R. *Obadias Bartenorius* in annotatione adjecta ſignificavit.

Raemah, *Ezech. XXVII*, 22, Regama *Ptolemaei VI*, 7, ſita ſupra oſtium ſinus Perſici. *Bochartus* in *Phaleg IV*, 5.

Raëmſes, Ramſes, Rahmeſes, urbs Ægypti in Goſen regione. *Ex. I*, 11. Nomen *urbem Herculis* indicat. *Raëms*, quantum ex lingua Coptica colligi poteſt, eſt *Hercules*. Adjectum *es*, quod Ebraeis eſt עֹז, *os*, denotat *munitionem*, *munimentum*. In urbe Raëmſes & Pitom Rex Ægypti inſtituit, *Joſepho* Prorege defuncto, עָרֵי הַמִּסְכְּנוֹת, *propugnacula*, quibus ſecuritas regni poſſet defendi, ac iniuria arceri, in quibus ſint arma ac praeſidii ſatis, 2 *Chron. VIII*, 4, 1 *Reg. IX*, 9. הִסְכֵּן certe eſt idem ac *domuit Iob. XXII*, 21, *Pſ. CXXXIX*, 3, *quietem conciliavit*. Raëmſes eſt Heracleopolis parva. *Moſes* enim uno die inde Tanin, ſeu Zoan, ubi *g*) miracula in conſpectu regis ediderat, ivit ac *h*) rediit, noctuque adhuc Iſraelidas eduxit. Rameſſen haud procul Tani exſtitiſſe, *Oliverius Scholaſticus* in *Hiſtoria Damiatina p.* 1421 *Tom. II Eccardi* memoriae prodidit. Raëmſes exſtitit intra regionem Goſchen, ſeu Geſſem. Haec vero, teſte *Wilhelmo Tyrio XIX*, 24, in ea parte Ægypti fuit, quae Syriam reſpicit. Conf. *Jud. I*, 9. Haud procul aberat *Pitom*, aeque in Goſen ſita. *Titus Veſpa-*

ſianus

g) *Pſ. LXXVIII*, 12, 43.
h) *Ex. XII*, 30, 37, 42.

ſianus una manſione Heracleopolin Tani pervenit, altera Peluſium, teſte *Joſepho*. Zoan vero eſt Tanis, teſtibus LXX, Chaldæo interprete, ac *Chriſtophoro Cellario Geogr. ant. IV, 1, p. 59.* Abfuit Tanis ab hac Heraclea XII mill. paſſ. & hæc XII mill. paſſ. Peluſio ſecundum *Antonini Itinerarium*. Dicitur hæc Heraclea Ἡρακλέους μικρὰ πόλις, *Herculis parva civitas*, ad diſcrimen Heracleæ maioris, ſitæ in inſula Nili magna, quæ ſupra Memphin eſt. Minor illa in tabula veteri *Ptolemaeo* adiecta in dextra ripa amnis Bubaſtici extra Delta locum habet, licet relata fuerit ad nomon Sethroiten. Raëmſes in Targum Hieroſolymitano redditur per Peluſium, quod R. *Obadias Bartenorius* in regione Raëmſes exiſtimavit ſitum, in *Comment.* ad *Ioma III, 7, p. 221, P. II Surenbuſ.* Unde intelligitur, Iudæos quoque præſtantiſſimos ratione poſitionis Goſchenitidis nobiſcum conſentire. Si quis vero crediderit, Iſraelidas percurriſſe glaciem lacus Sirbonidis, nec genuinum in tranſitu per mare ibi exſtitiſſe miraculum, eius ſententiam non poſſum non dicere impiam atque ineptam.

Ragaba in Geraſenorum finibus, quam *Alexander*, Rex Maccabæus, obſedit, ibique finivit vitam. *Joſ. B. I. I, 4. Egeſippus* addidit, Ragabam in Moabitide exſtitiſſe, *p. 62. Ioſephus Ant. Iud. XIII, 15, §. 5, p. 675*, tradit, *Alexandrum* Regem, laboribus exhauſtum, obiiſſe in Geraſenorum

montibus, dum obſederat præſidium, ſeu caſtellum, Φϱέϱιον, Ragaba trans Iordanem. Locus alibi vocatur *Argob.* Vide ſupra *Argob.*

Raga, in libro *Tobiæ* memoratæ, urbs Mediæ, alias Rageja, Raga, a portis Caſpiis diſtans ſtadiis quingentis, teſtibus *Apollodoro* & *Strabone*. *Cellarius in Geogr. ant.* *III*, 18, *p* 781 *ſeq.* *Rahab* eſt Ægyptus, ſpeciatim *Athribis.*

Rama, Turcis Remle, Mauris Ramla, nobilis urbs Liddæ vicina. *Wilhelmus Tyrius VII*, 22, *p.* 162, *X*, 17, *p.* 220. *Rolandus* iam ingenue confeſſus fuerat ſupra *p.* 580, Ramam hanc *Ioſephi* ſenatoris fuiſſe patriam. Locus ſitus eſt in perampla, fertili, & amœna, planitie. Ingentes ibi ædificiorum ruinæ ædesque collapſæ, ampliſſimæ, florentiſſimæ, & ditiſſimæ quondam, urbis teſtimonia. Muri, foſſæ, turres, portæque, maiori parte ſuperſunt integræ. De reliquo locus eſt ruinis deformis ſqualidusque. *Cotovicus II*, 1, *p.* 142. *Ramah* alia fuit patria & ſedes *Samuelis*, alibi Ramath. 1 *Sam. XV*, 34. Sita fuit prope Ephraim in Beniaminitide. Móntana Ephraim erant in proximo, ab hac urbe dicta. Caſtellum Rama ibi in monte iuxta Ephraim ſupereſt, *Scheidtio* teſte *p.* 66. Fontem *Samuelis* ibi ad radices montis accolæ oſtentant.

Ramatha. Ad vocem Ramatha in *Libris Regum* Biblicis intra Codicem Latinum Bibliothecæ Capitularis Veronenſis rariſſimum, & quinto fere Seculo ſcriptum, in ora adiectum legitur;

Hæc

Hac eſt illa civitas, quæ in Evangelio Arimathia dicitur, unde & Ioſeph decurio fuit. Scipionis Maffei Opuſcula eccleſiaſtica p. 62 poſt librum *Iſtoria teologica*, Trenti editum A. 1742, fol. Ramatha *Samuelis* fuit urbs φυλῆς Ephraim, non tribus, ſed toparchiæ. Exſtitit enim in tribu Beniamin.

Ramath hammizpe Ioſ. XIII, 26, eſt Ramă Gileaditidis, alibi nude dicta *Mizpa* & *Mizpe*, id eſt, ſpecula.

Ramath Lechi, locus a proiecta aſini maxilla dictus. In eo loco ex acuta rupe, ןשׁ ſumitur a *Sam. XIV*, 4. In Meſſenia erat locus æque dictus *Onugnathon*, maxilla aſini, teſte *Strabone VIII, p. 363.*

Rameſſe eſt Raëmſes. Hanc evolve.

Raphanea, Riblat, inter Antaradum & Orontem in Syria, intra Apameenſem provinciam in terminis tractus Tripolitici, quæ provincia olim intra Orontem dicta fuit a *Ptolemæo* Caſiotis. *Wilhelmus Tyrius XIII, 10, p. 303, XIV, 25, p. 336.* Supra Raphaneas eminet mons ferreus. *Oliverius p. 1370 T. II Eccardi.*

Raphia interiacuit Anthedona & Rhinocoruram, teſte *Gorionide IV, 12, p. 296*, qui eam vocavit *Rephaim* hoc loco & *Raphis V, 10, p. 289.* Hic loci tradidit, *Alexandrum Iannæum* eam occupaſſe, *Herodes* eam vocavit *Agrippiam*, teſte *Ioſepho Ant. Iud. XIII, 21*, ac *de B. I. I, 3*, veteris diviſionis. Arabes eam appellant *Raphach.*

Raſa

Raſa eſt in tabula Peutingeriana intra mediam Idumæam. Videtur eſſe Riſſa, manſio Iſraelidarum in deſertis. *Haaſius*, Geraſam deſignari, putat per Raſam, ſitu invito & reclamante.

Rathamain in Samaritide *1 Macc. XI, 34.* Legendum Ramathein. Vide *Ramathon.*

Reblatha. Vide *Rephanea. Nebucadnezar* dicitur in urbe Reblatha commoratus. *Ioſ. A. I. X, 8, §. 2, p. 526. Ioſephus* eam appellat Syriæ urbem *l. c. §. 6, p. 528.*

Receme, Rekem, Arcemene, eſt Petra, ſeu Craccum. Vide *Petra.*

Rechob videtur locus fuiſſe ſpatioſus. *Hiſt. univerſelle T. III p. 87.* Vicus Roob a Scythopoli 44 milliaribus videtur fuiſſe disiunctus, & litera μ apud *Euſebium* excidiſſe. *Relandus* ſibi perſuaſit ſupra *p. 110*, loca Chamath & Rechob haud differre. *Hardtius*, Gabaram prope Berotham eſſe Rechob, putavit.

Rephaim eſt 1) Raphia, 2) regio *Eſ. XXVI, 14, 19.* Suſpicor, ſubeſſe nomon Pharbaeriten Ægypti, *Herodoto II, 166, Plinio V, 9*, ac *Straboni Lib. XVII, p. 802*, memoratum. De urbe Pharbaeto confer *Cellarium Geogr. ant. IV, 1, p. 32.* Alii Rephaim habitabant in Aſtaroth Carnaim. *Gen. XIV, 5*, ac Ammonitide *Deut. II, 10*, circa Argob in Baſanitide *III, 15.* Ex poſteris eorum erat *Og*, Rex Baſanitidis, *Deut. III, 11, Ioſ. XII, 4.* Alii prope Hieroſolyma incoluere, *Ioſ. XV, 8, XVIII, 16, 2 Sam. XXIII, 13, 1 Par. XI, 15.* Vocantur ipſi *filii Rapha 2 Sam. XXI, 16, 18.* Riphæos

phæos Sarmatiæ Aſiaticæ deſcripſit *Cellarius Geogr. ant. III, 24, p. 881.*

Rhabata, Ammonitarum metropolis, quam *Ioabus* obſedit. *2 Reg. XI. Ioſephus Ant. Iud. VII, 6, §. 3, p. 379.* Vide *Rabbath Ammon.*

Rhamaton. Vide *Rhamathon.*

Rhapha, *orum*, ad quæ fuit torrens χείμαῤῥος. *1 Macc. V, 37. Timotheus* eo duxit exercitum, teſte *Ioſepho Ant. Iud. XII, 8, §. 4, p. 619.* Codex Lugdunenſis habet Phamphôn. Vir quidam doctus credit, deſignari *Raphanam*, Syriæ urbem, *Plinio V, 18*, cognitam, quam *Ptolemæus* ac *Stephanus* appellarunt *Rhaphaneas.* At caſtra habuit *Timotheus* prope Galaaditin in Transiordanica cis urbem Carnaim, ſeu Aſtaroth Carnaim, ad quam *Timotheus*, prælio a *Iuda Maccabæo* victus, refugit. *1 Macc. V, 43.* Torrens itaque fluxit cis Carnaim. Videtur ſubeſſe *Ragaba.*

Rhaphia, in Itinerario *Antonini Rapa*, abfuit, eodem teſte, Gaza mill. paſſ. XXII, Rhinocolura m. p. XXII, & hæc Oſtracena m. p. XXIV, hæc vero Caſſio m. p. XXVI, hoc deinde Pentaſcino m. p. XX, hoc tandem Peluſio m. p. XX. Vide *Raphia.*

Rhaſa, Threſſa, Rheſſa, Riſa, & *Riſſa*, apud *Epiphanium*, locus fuit Idumææ. *Ioſ. Ant. Iud. XIV, 13, §. 9, p. 725.* Caſtellum fuiſſe dicitur, haud admodum longe a Maſada diſtans, teſte eodem *XIV, 15, §. 2, p. 729.* Idem intelligitur ex *I, 13, de Bello Iud. §. 8, p. 85.* Idumæam adiectam,

iectam, partem Iudææ auſtralem, ob oculos habe. *Aradus* in cenſum videtur venire, non Riſſa, *Num.* XXXIII, 21, 22.

Rhegine vicus ac *Rhegines* ſpectant ad librariorum nævos apud *Ioſephum Ant. Iud.* I, 6, p. 21. En locum: *Trium Gomari filiorum unus quidem Aschanaxus Aſchanaxios condidit, qui nunc Rhegines nominantur a Græcis: Riphathes vero Riphathæos, qui vocantur Paphlagones: & Thygrammes Thygrammæos, qui, ut viſum eſt Græcis, Phryges vocantur.* An Rhegines, an Rhetines, legendum ſit, hæreo. Mallem *Germanos*. Hos enim iam olim Iudæi ab Askenaſo derivarunt. Cum vero Aſcitas Arabas *Ezechiel* vocavit Askenaſitas, Rhegine fortaſſis inter eos eſt quærenda. Malim tamen apud *Ioſephum* legere *Dardanon* vicum ac *Dardanios*, Phrygiæ minoris incolas.

Rheſſa. Vide *Rhaſa*.

Rhinocolura, Rhinocorura, *Eerar Abrahami*; urbs littoralis in finibus terræ Iſraelidis promiſſæ prope Oſtracinen & lacum Sirboniden ante Aegyptum eiusque confinia ad Montem Caſium & Ecregma. Ven. *Conradus Ikenius*, fautor noſter ſingularis, in eo eſt, ut contendat, hanc urbem eſſe El-Ariſch, Lares, Ariſch, Riſche, ac iuxta eam flumen Aegypto proximum, terminum terræ promiſſæ, fluxiſſe. Edidit eo fine *Diſſertationem de Finibus terræ promiſſæ, huiusque ſucceſſiva occupatione*, Bremæ A. 1745, 4, cedro dignam, diligen-

gentiæ maximæ perium ac ſpecimen. *Eratoſthenes* meminit apud *Strabonem Lib. XVI p.* 741 paludum, quæ circa Arabiam ſint, quæ ſubterraneos ſibi meatus aperuerint, ac per illos in illa flumina eruperint, quæ circa Rhinocoluram & montem Caſium exſtent, atque lacus, qui illic ſint, atque voragines efficiant. Si quid video, lacus Sirbonidis *barathra* indicantur, tandem in unum canalem, in emerſum, ad effluendum elaborata. *Titus Veſpaſianus* manſionum unam tenuit ad Iovis Caſii templum, alteram ad Oſtracinen. Tertia manſio ac quies fuit ad Rhinocorura. Quarta ad Rhaphiam. Quinta ad Gazam. *Gorionides* videtur Rhinocorura vocaſſe *Dikron*. Torrentem Aegypti LXX vocarunt Rhinocorura *Ieſ. XXVII*, 12. Arabs ibi habet Anphi-kuruna, ex أنفي, *Anphi*, ſeu Ebræorum אף, *naſo Alexander Iannæus*, Iudæorum Rex, occupavit Stratonis turrim, Apolloniam, Ioppen, Iamniam, Azotum, Gazam, Anthedonem, Raphiam, Rhinocoluram, teſte *Ioſepho A. I. XIII*, 15, §. 4, *p.* 674. Plura dat *Chriſtophorus Cellarius Geogr. ant. III*, 13, *p.* 610.

Rithma, ſtatio XV Iſraelidarum in Arabia Petraea.

Rhoa, petra quædam in deſertis. *Ioſ. A I. V*, 2, §. 12, *p.* 287. Dicitur illa rupes *Rhemmon Iud. XXI*, 13, *XX*, 45, 47. Exſtitit ea prope Rimmon in tribu Simeonitica. *Riceme* eſt Petra, quam vide.

Rim-

Rimmon, *Remmα*, *Rhemmon*, nomen traxit ex malis granatis. Malum Punicum dicitur Rimmon quaſi rib-ammon, *pomum Ammonis Iovis*. Hic enim in numis illud dextra præferre ſolet. Unde & ipſe vocatus fuit Baal-Rimmon & Hadad-Rimmon. Adad vero *unum*, אחד, denotat, ac *ſolem*, qui quaſi *ſolus* appellatur. *Macrobius* de Aſſyriis *Saturn. I, 32: Deo, quem ſummum maximumque venerantur, Adad nomen dederunt. Eius nominis interpretatio ſignificat, unus. -- -- Simulacrum Adad inſigne cernitur radiis inclinatis. -- Hadad Rimmon* locus eſt, qui ſupra memoratus fuit. Ad hunc *Nechus*,* Aegypti Rex, cum *Ioſia* pugnavit victor. *Zach. XII, 11.* Quare non dubito, eam eſſe *Herodoti* Cadytin. Quod ipſum indicavi in *Novis Eruditorum Actis A.* 1747 *p. 523 ſeq. Rimmon Perez* fuit XVI Israelidarum in Arabia manſio.* Quantum ad *Euſebii* contradictionem attinet apparentem, neceſſum non eſt, ut cum *Relando* nobis perſuadeamus, ab aliis in *Onomaſticon Euſebii* quædam ad vocem *Rhemmus*, vel *Rhemmon*, inſerta eſſe. Reſcribe modo ad vocem Ῥεμμὼν in locum Aeliæ vocem Ἀνέαν, tunc omnia ſunt ſalva. Rimmon enim Simeonitica abfuit ab Eleutheropoli XVI milliaribus Romanis, & ab Anea verſus aquilonem XV milliaribus generis eiusdem.

Riſſa, manſio Israelidarum in Arabia Petraea. Raſa tabulæ *Peutingeriana* & Rheſſa *Ioſephi* huc haud videntur quadrare.

Rogelim locum *Hermannus van der Hardt* in *Medabenis pag. 6* putat fuiſſe eundem ac Ramoth in Gilead. Requirimus argumenta. Palæſtina certe villis ac vicis admodum abundavit. Ad Juliada numerabantur viginti pagi, ad eam referendi, vici vero quatuordecim περὶ αὐτὴν, *circa eam*, excellebant. En *Ioſephum A. I. XX, 8, §. 4, p. 971.*

Roob Euſebii, Rechob Aſeritidis, plus quam quarto lapide a Scythopoli fuit remota. Vide *Rechob.* In *Euſebio* pars numeri excidit maioris.

Rooboth, Rechoboth, ἡ παρὰ πόταμον, vicus Idumææ. *Gen. XXXV, 37.* Fluvius ille Petram alluit, ac in mare mortuum labitur. Locus poſtea dictus fuit Obot, Oboda, ac abfuit ſecundum tabulam *Peutingerianam* ab aliis locis hoc modo. Eluſa aberat Hieroſolymis LXXI mill. paſſ. & hinc Oboda XXIV, ac hinc Lyſa XLVIII, ac hinc porro Cypſaria XXVIII. Oboda haud procul recedit a mari mortuo. *Num. XXI, 10. Stephanus* in *Ethnicis* refert, Obodam eſſe locum, χωρίον, Nabatæorum, ubi *Obodes* Rex, ejus conditor, religioſe colatur. Inter Hor, ſeu Gabalenen & Obodam, interiacebant Zalmon & Phinan, Phunon, Phænon. *Num. XXXIII, 42, 43.* Caput Nabatæorum erat Petra, ſeu Crac, teſtibus *Strabone Lib. XVI p. 779*, & *Euſtathio* ad *Dionyſii Periegeſin pag. 168.*

Ruma, vicus Gailææ, eſt Rama Naphtalitica

Ioſ. XIX, 36. Sequimur *Hermannum von der Hardt* in *Medabenis pag. 69.* At deficit aſſenſui cauſa. *Joſephus* de Ruma nihil addit, præterquam quod fuerit vicus Galilææ, *de Bello Iud. III, 7, §. 21, pag. 238.*

S.

Saba eſt 1) monaſterium in Palæſtina, teſte *Evagrio IV, 38, p. 418.* Præerat ei, imperante *Juſtiniano* primo, Abbas *Conon*, cui inſigne elogium impertiit *Cyrillus* Scythopolitanus in *Vita S. Sabæi* ſub finem. Vocabatur hæc ſolitariorum manſio alias *Laura Sancti Sabæ*, remota Hieroſolymis XI millibus paſſuum, prope amnem Kedronem. Confer *Relandum* ſupra *pag. 295.* *Joannes Damaſcenus* aliique Monachi celebres in monaſterio S. *Sabæ* floruere. Evolve *Michaelis Le Quien Diſſertationem de vita Damaſceni*, quam ille *Operibus Damaſceni*, opera ſua denuo editis, inſeruit. Jeſuitæ in eo loco Monachos Græcos ineunte hoc Seculo adhuc invenerunt. *Nouv. Memoires T. V. p. 90.* Tandem vero ob Arabas lotrocinantes ac infeſtos ipſi Monachi hanc ſedem inviti mutarunt. Loco tamen adhæſit a conditore *Saba, S.* Saba eſt 2) inſula & urbs Meroe ſupra Ægyptum, Nilo circumdata utrinque, Meroe dicta a *Cambyſe* in ſororis ſuæ honorem, teſtibus *Strabone* ac *Joſepho.* Saba eſt 3) urbs felicis Arabiæ, nunc *Zibith* dicta, olim monti impoſita, teſte

1) Edidit eam *Cotelerius* in *Monum. eccl. Gr. T. III p. 20.*

teſte *Diodoro Siculo III p. 179.* Ebræi eam vocant שְׁבָא *Pſ. LXXII, 10, Eſ. XLV, 14, XLIII, 3.* Videtur סְבָא hinc differre, ac Merben indicare. Saba eſt 4) urbs Æthiopiæ ſuperioris, ſinui Arabico adiecta prope Adulen. Saba eſt 5) locus in Arabia deſerta, quem *Ptolemæus* dixit *Sabe.* Hinc infeſtarunt *Iobum* Sabæi. Saba felicis Arabiæ ſita fuit in tractu turris feraciſſimo. *Ier. VI, 20.* Erat ibi utrobique ad finium Arabicum Æthiopia, teſte *Herodoto III, 94, VII, 70,* ac *Strabone Lib. II.* Nonnunquam utraque vocatur Cuſch & India. Confer *Iomæ III, 7,* & paraphraſten Chaldæum ad *Ier. XIII, 23,* nec non *Gisberti Cuperi Obſ. IV, 7.* *Sebaia* in *Notitia dignitatum Imperii Romani,* a *Philippo Labbeo* A. 1651 Pariſiis edita, eſt Zebojim, non ea, quæ periit, ſed quæ in monte vicino poſtea ſurrexit, ac *mons Zebojim* fuit dicta. In Miſchnico libello *Biccurim I, 3,* legitur: *Viri de monte Zebojim adduxerunt primitiva ſua ante Pentecoſten. At non receperunt ab ipſis ob Ezech. XXIII, 16.* Hæc mea eſt ſuſpicio.

Salca haud videtur differre ab urbe Gaulonitidis Seleucia ad lacum Samochoniten. Vide *Seleucia.*

Salem a Saleim haud differt, teſtibus *Hieronymo* & *Cotovico p. 347.* Quare ſedes *Melchiſedeci* Salem non differt a Salem, ſeu Saleim, vico, Scythopoli 8 milliaribus in auſtrum disiuncto, ad Occidentem Iordanis. In *Euſebii Onomaſtico*

legendum eſt, Salem vicum eſſe iuxta *Κινῶν Ainon* ad Occidentem. Librarii ac editores ibi *Æliam* habent loco vocis *Ænon.* Salim, Salmaida, Salumias, & Salem, Saleim, urbs eſt non niſi unica. *Ioſephus* inter reliquas Galilææ inferioris urbes firmatas, muriſque a ſeſe inſtructas, retulit quoque *Selamin*, ſeu *Salamin*, *de Bello Iud.* II, 20, §. 6, *p.* 208. Idem *de vita ſua* §. 37.

Sallis, urbecula Idumææ, haud longe ab Aſcalone diſiuncta a meridie, quemadmodum e fuga Iudæorum ad Aſcalonem fuſorum intelligitur, eorumque celeriori reditu. *Ioſ. B. I.* III, 2, §. 2, *p.* 221. Tractus *Saliſa*, cuius fit mentio 1 *Sam.* IX, 4, huc haud quadrat. *Schilchim*, LXX Σάλη, huc congruit, urbs tribus Simeon, quæ *Ioſephi* ætate erat in Idumæa, teſte eodem *Ant. Iud.* V, 1, §. 22, *p* 276.

Samaca urbs fuit a *Iuda Maccabæo* capta, *Antiochus* cum *Epiphanes* bellum in Medos ſuſcepiſſet, una cum Medabe tranſiordanica. *Ioſephus de B. I.* I, 2, §. 6, *p.* 56. Eadem vocatur *Semega Ant. Iud.* XIII, 9, §. 1, *p* 659. Videtur eſſe *Sibma* tranſiordanica, urbs Rubenitidis.

Samaria in honorem *Auguſti* ab *Herode Magno Sebaſte* fuit appellata *Sebaſte*. Ad dextram urbis, ſeu latus occidentale vallis, procumbit. *Cotovicus p.* 346. Manus *Ioannis* Baptiſtæ dicitur inde Antiochiam, & hinc Conſtantinopolin, translata. Apud *Surium* ad 29 Aug. legitur *Oratio, ſeu Encomium, de exportatione pretioſæ*

manus

manus dextera S. Ioannis Praecurſoris ex Antiochia. Edidit eam denuo P. *Odoardus*, & ad eam adiunxit *Diſſertationem*, Italice exaratam, Romæ, 1738, 4.

Samaris a meridie pariter ac Scythopolis usque ad fluenta Iordanis terminabat Galilæam. *Ioſephus de Bell. Iud. III, 2, §. 1, p. 222.* Deſignatur tractus ad Samariam, non urbs ulla.

Saphet, caſtellum Templariorum Canæ marique confine. *Wilhelmus Tyrius XXII, 16, Oliverius §. 36, p. 1421, Tom. II Eccardi.* Nomen eſt ex ſpecula. Eiusmodi *Sapha*, ſeu ſpecula, erat etiam in Iudæa, ex qua proſpici poterat Hieroſolymam, & in eius templum, teſte *Ioſepho Ant. Iud. XI, 8, §. 5, p. 581.* Inde appellationem traxit *vallis Saphetha*, haud procul Hieroſolymis ſita, teſte eodem *VIII, 12, §. 1, p. 454.* Locus Sapha alibi vocatur *Scopus*.

Sapphora, Galilææ urbs, eſt ipſa *Sepphoris*, quam evolve. Nunc vocatur *Sapphur*.

Sarabatha, Sabaroth, videtur fuiſſe Beerſeba præfixo *S* ad morem Syriacum.

Saraim, Saraa, Saraſa, Zoraah, Sarea, idem locus iuxta Eſtaol, idem vicus, 10 mill. paſſ. ab Eleutheropoli verſus Nicopolin diſtans.

Sarephta, Arabibus dici ſolita Tſarfand. *Secundo a Sidone lapide, auſtrum verſus, haud procul a littore, Sareptæ urbis occurrunt reliquiæ. Secundo a Sarepta lapide auſtrum verſus Eleutherus fluvius* (Caſmier potius), *ex Libano monte fluens, inter Tyrum & Sareptam medius in*

mare illabitur. Ab hoc flumine Antilibanus initium ducit. Verba *Cotovici I, 18, p. 117. Antonius Julius van der Hardt*, Vir celeberrimus, exiſtimat, Sareptam eſſe מִבְצַר צוֹר *Ioſ. XIX, 29.* Contendit ita in *Diſſ. de Sarepta*, Præſide *Erneſto Friderico Cobio*, Vitebergæ A. 1728 habita.

Sarid eſt *Hardtio* Nazareth. Quæ opinio eſt ſatis probabilis.

Sasiphaam Hardtius pro שפיר ac Bethdagon, templo Aphrodiſiæ, habet.

Sarra, Tyriorum urbs, a Tyro diverſa, inde ad boream proxima. *Scylax* in *Periplo p. 42, P. I Hudſoni.* Eſt ipſa Sarephta.

Saron notat proprie *quercetum*, quale etiam in tribu Gad extitit *1 Chron. V, 16.* *Saron* olim erat *namus quernum*, teſte *Plinio IV, 5.* Conf. *Caſaubonus* ad *Strabonem VIII p. 369.* Saurona iuxta Lyddam & Ramulam ponitur a *Cotovico*, nec non a *Wilhelmo Tyrio X, 20.* Regio circa Saronem roſis ſuave rubentibus ac odoratiſſimis erat refertiſſima. *Cant. II, 2.* In *Sotah* legitur *VIII, 3: Qui Sarone domum lateritiam condit, ei licet ab expeditione bellica abeſſe.* Addit R. *Salomo* in gloſſa: *Saronis terra formandis lateribus minus apta erat; non enim durabant ex iis ædificata, ſed quovis ſeptennio bis renovatione opus habebant.* Sarone vina fuiſſe vendita, dilucet ex *Baba batra VI, 2.*

Saxum præſidii, locus, ubi *Samuel* in ſignum opis divinæ ſaxum ſtatuit, Eben Eſer dictum,

1 Sam.

1 Sam. VII, 12. *Joſephus Ant. Iud. VI, 2, §. 2, p. 315.* Locus a Masphate, ubi *Samuel* Deo aquam effuſam libaverat, haud longe diſtabat, nec non a Beth-Hhoron, ac *Sen*, ſeu ſaxo prominente. Mizpah eſt ſpecula, Scopus, Savah.

Scala Tyriorum ad mare a meridie Tyri. *Ioſephus* loci κλίμακος Τυρίων meminit *Ant. Iud. XIII, 5, §. 4, p. 646.* Carmel meridionalis diſtat a Ptolemaide 120 ſtadiis, & a Scala Tyriorum, monte altiſſimo, ad boream 100 ſtadiis. *Ioſephus de Bello Iud. II, 10, §. 2, p, 169.* Cave itaque, credas, urbem per Scalam deſignari. Hæc noſtra tempeſtate vocatur Nakura. Qui ibi terram fodiunt, inveniunt corallia, conchas, ac alia diluvii monumenta. *Voyages de Msr. Shaw, T. II, Cap. 3, p. 69.*

Scena, locus Succoth trans Iordanem ad Iabocum amnem. *Gen. XXXIII, 17. Ioſephus* locum vocavit Scenas, σκηνὰς, *tabernacula, Euſebius* Σοκχώθ. *Ios. Ant. I, 21, §. 1, p. 58.* Iſraelidæ, Ægyptum egreſſi, primam manſionem habuerunt in *Succoth. Ex. XIII, 20. Ioſephus* hunc locum æque interpretatus eſt *Scenas*, ſi fides nonnullis. In ipſo *Ioſepho* id non legitur. Pentaſchœnos, ſeu Pentaſcinon, deſignatur.

Schaalbim. Gentile eſt הַשַּׁעַלְבֹנִי, *Schgalbonita, 2 Sam. XXIII, 32.* Tractus adiacens videtur dictus *terra Schaalim.*

Schaalim, locus, in cuius agris *Saul* quæſivit aſinas patris ſui *1 Sam. IX, 4. Euſebius* in *Ono-*

maſtico: Σαλεὶμ κώμη ἐστὶν ἐν ὁρίοις Ἐλευθεροπόλεως. πρὸς δυσμὰς, ὡς ἀπὸ σημείων ζ. *Hieronymo de Locis Hebraicis vicus eſt in finibus Eleutheropoleōs, ſeptem ab ea milliaribus diſtans.* Terra Schaalim in translatione Chaldaica, ſeu in Targum, redditur *mathēra*, מַתְבְּרָא. *Io. Lightfootus* hanc vocem transtulit per planitiem Thaboricam, in *Diſquiſ. chorograph. procem. Evang. Ioann. Cap. III p.* 581. At Thabor mons admodum inde diſtat. Et quis unquam, ab hoc monte verbum eiusmodi formari, ſibi potuit perſuadere? Verbum Chaldaicum תבר eſt Ebraicum שבר, *frangere.* Indicatur terra *fracta* ac fractionum, ſeu fovearum, plena. שעלים notant fractiones, foveas. Has Targumiſta ob oculos habuit. Vulpes enim, ſibi parantes luſtra, terram eruendo frangunt. Id, niſi ex experientia quotidiana notum ac pervulgatum eſſet, *Oppiani* ac *Phadri* teſtimoniis poſſemus docere.

Schachazim, urbs in finibus tribus Jiſſaſchar inde a monte Tabor verſus Bethſchemeſch & Iordanem. ה igitur in fine adiectum eſt locale, & ו in principio pronuntiandum eſt tanquam Iod per notam Maſoreticam, nullius pretii dicendam. LXX ſecundum exemplar Vaticanum habent Σάλιμ κατὰ θάλασσαν. *Aldinus* & Complutenſis Codices editi habent Σαλιμὰ cum *Euſebio* in *Onomaſtico*. Videtur originatio vocis deducenda ex שחץ, ים. *fe-*

rocia

recta maris. LXX reſpexerunt ad שחול, cuius elegans uſus eſt penes Chaldæum Interpretem de extractione ex aqua. *Ex. II, 10.* Ponendus eſt locus inter Tabor & Bethſcheneſch Naphtalitarum verſus Iardenem, ſeu Iordanem.

Schaveh, שָׁוֵה, locus in transiordanica, notans *ſpeculam, turrim.* *Hermannus van der Hardt* in *Medabenis p. 11,* eum a Baari, ſeu Bara, haud differre, perhibet, alibique dici צוֹפָה, צוֹבָה, ac iunctim מִצְפֵּה מוֹאָב ac שָׁוֵה קִרְיָתַיִם, *Gen. XIV, 5.* In Moabitidem, eiusque urbem Mizpe Moab, *David* familiam ſuam, patrem ac matrem, ſecuritatis cauſa transtulit. *1 Sam. XXII, 3.* Tempeſtate illa Rex Moabitarum ibi habuit ſedem. Situs fuit locus prope Machærunta verſus ſeptentriones. *Ioſephus B. I. VII, 6, §. 3, p. 417.* Machaerunti deſcriptæ hæc ſubiunxit: *Vallis, qua civitas ad ſeptentriones cingitur, Baaras locus appellatur, gignitque radicem nominis eiusdem.* Reges quinque hic decertarunt prælio cum Regibus quatuor, in *Schaveh Kiriataim. Gen. XIV, 5.* Schaveh appellatur a Kiriataim, quia Kiriataim ei erat vicina. Nam, teſte *Euſebio*, Kiriathaim (ſeu Carias) erat prope Barin. Machærunta autem eſſe ipſam Kiriataim, inde nondum colligi poteſt. Vide ſupra *Chammath Zobah.*

Schepham, Schephaim, locus in termino ſeptentrionali terræ promiſſæ. *Num. XXXIV, 10, 11.* Iſraelidæ debebant terminum illum ita for-

Dd 5 mare.

mare. Iugum montium Hor ad mare magnum, Libanus & Caſius, Gabalene illa, ſeu montana regio, futura erat ditionis Iſraelidarum. Inde terram Hhamath, ſeu Cœlen Syriam, mari ac Oronte interceptam, poteſtati ſuae ſubiungere debebant. Terminus erat Zedadah, Sidon rabbah, Poſidium: porro Siphron, ſeu Debir, Diphron, adytum Daphnes, quod ex דפנא, Syr. Daphna, nomen trahebat. Inde terminus progrediebatur ad *Chatzor Enan*, ſeu *Ganaam*, Laodiceam Cabioſam inter & Damaſcum. Literam ע, *Ain*, Syri ac Græci pronuntiarunt per *G*, e. g. עֲמוֹרָה, *Gomorrha*, *Inam* ſi malis per *Hhazer-Enan* deſignatam fuiſſe, non repugno. Ina certe ac Gaana haud procul Damaſco abſunt. Hæc ad ſeptentriones; illa ad occaſum. A Chatzer Enam limes procurrebat ad Schepham, ſeu Apameam, a *Seleuco Nicatore* ſic dictam, quippe quæ antea nominata fuerat Heraclea, teſte *Evagrio V, 10, p. 436.* Ultimæ antiquitatis nomen fuerat loco ab inundatione lacus, quem formabant confluentes Marſyas & Orontes. Nomina nova ſolebant leniter inflecti a Macedonibus ad ſonum nominum priſcorum. Limes a Schepham ducendus erat verſus Ribla, ſeu Rhaphaneas, ac inde *Ainon* verſus Orientem, ac inde ad lacum Kinnereth, ſeu Tiberiadis. Ain, Ainos, haud procul ſita fuit Damaſco ſupra Antilibanum. *Ina Ptolemai* non eſt ignota, long.

68½ gr. ac lat. 33 gr. Idem aſſignavit Damaſco longitudinem 69 gr. ac lat. 33. gr. Ainos autem ab ea differt.

Schingar, *Sinear*, fuit urbs ac ſedes Regis. *Gen. XIV*, 1. Fœderati eius erant Reges urbium *Ellaſar*, *Gelam*, & *Ghojim*, id eſt, Lariſſæ, Calami, & Hhroſeth gojim, ſeu Ghojim in Galilæa ad lacum Tiberiadis. Calamus & Lariſſa ſunt Syriæ urbes. Regio, Schingaræ adiecta, erat in convalle poſita. *Gen. XI*, 2. Vaſa templi huc deduci iuſſit *Nebucadnezar*, ac inde porro Babylonem. *Dan. I*, 2. Quatuor illi fœderati Reges, præda onuſti, reverterunt in Syriam, tendentes ad Dan prope Paneada, & inde Chobam ad ſiniſtrum Damaſci latus. Gen. *XIV*; 15. Unde intelligitur, ubi urbes ipſorum fuerint ſitæ. Gindarus Syriæ Cyrrheſticæ ad Schingaram videtur congruere. De ea exponit *Chriſtophorus Cellarius Geogr. ant. III*, 12; *p.* 427. Malunt alii deſignatam fuiſſe Singaram Meſopotamiæ famoſæ. De hac conſulendus eſt idem *Cellarius III*, 15, *p.* 722.

Schittim. Vide *Abel Schittim.* Torrens *haſſchittim*, נחל, fuit alveus minor, per quem aquæ inde ad Iordanem profluxerunt. *Ioel. IV*, 18. Prædicit ibi vates divinus, fore, ut doctrina Evangelii ſit divulganda ac propaganda Hieroſolymis usque ad gentes. Symbolum eius rei deſumitur ab aquis Hieroſolymae, quæ per Kedronem in mare mortuum evolvebantur,

tur, tandem fluxuris usque ad Baal Peor & Abel Schittim.

Schur. Vide *Sur*.

Scopus, locus verſus ſeptentriones Hieroſolymis diſtans ſeptem ſtadiis. *Ioſephus B. I. V*, 2, §. 3, *p*. 321. Idem locus dictus fuit Sapha, הפצ. Vide ſupra *Saphet*.

Scythopolis, Scytharum urbs, ab ipſis dicta, in Palæſtinam & Ægyptum e Media incurrentibus. Ipſi, imperante Medis *Cyaxare*, *Deiocis* nepote, in Mediam penetrarunt, ac, univerſa Aſia potiti, Palæſtinam intrarunt, Aſcalona tenuerunt, & 28 annos Aſiæ dominatum exercuerunt. *Herodotus I*, 104, 105. Ea tempeſtate urbem Bethſchan tenuiſſe, muniiſſe, ac ei nomen ex ſeſe indidiſſe, videntur. *Scythopolis tertiæ Palæſtinæ metropolis inter montes Gelboe & Iordanem in campeſtribus & agro irriguo ſita* dicitur a *Wilhelmo Tyrio* XXII, 16. Addit idem: *Raro hodie incolitur habitatore, ad inſtar modici redacta oppidi.* Inter eam & Tiberiadem in montibus ſitum eſt *Belveir* (Belvedere) in montibus. Scythopolis vero in paludibus eſt ſita, teſte eodem *XXII*, 26.

Sebaſtus, portus Palæſtinæ prope Cæſaream, ubi *Antipater* appulit, teſte *Ioſepho de Bello Iud. I*, 31, §. 3, *p*. 134. Portum hunc, magno ſumtu conſtructum, in honorem *Auguſti*, Σεβαςȣ̃, *Herodes Magnus* appellavit Sebaſtum. *Ioſephus Ant. XVII*, 5, §. 1, *p*. 836.

Sebonitis additur Philadelphiæ & Geraſæ, ubi

Iudæi

Iudæi ſunt cæſi, a *Ioſepho de Bello Iud. II, 28. §. 1, p. 197.* Codices vero ibi variant. In *Rufini* verſione hic *Gebdeoniten* & *Gebonitin* legimus. Critici ſubſtituere malunt *Eſſebonitin* ob locum *Ant. XII, 4, §. 11,* ubi de expeditione bellica exponitur *Seleuci Soteris.* At hic locus ad priorem haud congruit. *Ioſephus de Bello Iud. III, 3, §. 3, p. 223,* tradit, Peræam ad meridiem claudi Moabitide, ad orientem vero Arabia & *Silbonitide,* nec non Philadelphene & Geraſis. Manuſcripta nonnulla habent hic *Sebonitidem* & *Silonitidem.* Sunt editi, qui habent *Simonitidem.* Sibma urbs huc quadrat, in Rubenitide quippe prope Eſſebuntem ſita. Videtur exſtitiſſe urbs quædam *Silbon, Sebon.* Silbonitin *Ludovicus Capellus* in Ammonitin convertit. At Philadelphia iam erat adiecta, Ammonitidis caput. Si quid video, deſignatur *Sophan* Gaditarum, haud procul Iaeſera ſita. *Num. XXXII, 31.*

Secanjah. Iudæi tradunt, unum ex diſcipulis Ieſu Nazareni, cuius nomen *Iacobus*, oriundum fuiſſe ex vico Secanja Talm. Babyl. *Av Sara Cap. 1, f. 17, 1,* & *Toſaphoth* in *fol. 27, 2.* Confer Talm. Hieroſ. *Avoda Sara Cap. 2, f. 40, col 4,* & *Sabbat Cap. 14, f. 14, col. 4.* Idem commemoratur in *Midras Coheleth fol. 89, col. 3,* ac in *Sanhedrin Cap. 6, fol. 23, col. 2.* Excitat ea Talmudis loca R. *Abraham Peritſol* in libro adhuc inedito, quem inſcripſit מגן אברהם *Clypeum Abrahami, Cap. 58,* Conf. *Georg. Elieſ. Edzardum*

dum in Notis *ad Avoda Sara p. 299 ſeq.* ac *Chriſtiani Noldii Hiſtoriam Idum. p. 644.* Indicatur venerandi Servatoris noſtri conſobrinus *Iacobus.* Vicus ille eſt *Cana*, alibi *Sogane.* Syri ac Rabbini ſolent nominibus litteram *S* ex ſuperfluo præfigere. *Theodorus Haſæus* in *Diſſ. de Naphthalitide Apoſtolorum patria Cap. 2, §. 23, p. 117 ſeq.* in *Sylloge Diſſertationum & Obſervationum philologicarum.*

Secela Ioſephi Ant. Iud. VI, 13, §. 9, p. 351, ac *Sicella VII, 1, §. 1, p. 362,* eſt Zielag.

Seveneh, Syene, ultima Ægypti urbs ad meridiem *Ez. XXIX, 10,* oppoſita eſt Caſio, *Cuſch*, loco ad ſeptentriones extremo Ægypti. Migdol, quæ apud *Ezechielem*, non denotat turrim Syenes, ſed Magdolum prope Peluſium, ſeu Sin.

Seleucia Syriæ, nunc Suweid, ſupra Orontis oſtium ad ſeptentriones ultra Orontis promontorium, a *Wilhelmo Tyrio II, 10,* deſcriptum, ſita. Situm expoſuit *Polybius V, 59.* Oſtia Orontis quadraginta abſunt ſtadia ab Oronte, ſecundum *Strabonem.* Antiochia inde diſtat vix decem milliaribus, *Tyrio l. c.* teſte. *Pompeius* illam pronuntiavit liberam. Portum *Tiberius* ſtruxit, aliique Imperatores repararunt. Prius e numis patet. Vocatur ille nunc *Porto Simone.* Oppidum in ruinas ſubſedit. Portus reſtat. *De la Roque Tom. I P. II p. 210 ſeq.* Regio adiecta olim dicta fuit Pieria & Seleucis, apud *Ezechielem terra Magog.* Plura habent *Appianus de Bello Syriaco p. 125,* & *Chriſtophorus*

Cellarius Geogr. ant. III, 12, p. 410 ſeq. Paulus ac *Barnabas* inde ſolverunt in Cyprum. *Act. XIII, 4.* De Seleucia ad Tigrin dicere omittimus.

Semega dicitur alibi *Semaea.* Hanc vide ſupra. Merom, ſeu Meroth, videtur ſucceſſu temporis Mochona dicta, ac hinc lacus Samochonites, ſeu Semechonites. *David* dicitur *Hadad Eſari* abſtuliſſe urbes Betthaeam & *Machonem. Ioſephus Ant. Iud. VII, 5, §. 3, p. 376. Epiphanius* hic aeque habet *Machon.* Nulla hic eſt ſcripturae varietas. In Ebraeo autem legitur *Brothai. 2 Sam. VIII, 8.* Inde fere verisimile videtur, Meroth & Brothai eſſe locum eundem. Literae enim *M* & *B* ſolent invicem in nominibus Palaeſtinis ſubſtitui. Brothai autem fuit poſtea fortaſſis dicta Machon, Syri ac Phoenices nominibus praefigere conſueverant literam S. Hac ratione aperit ſeſe aditus ad inveniendam Semaeam, Semegam, & originationem lacus Semechonitidis. At nolim pugnare, vel affirmare quidpiam, antequam alia acceſſerint veritatis requiſita. Videtur enim *Maacha 2 Sam. X, 8,* eſſe Machon, ſeu Semega.

Sempboris eſt *Seppboris,* quam evolve.

Sennaar. Vide ſupra *Schingar.*

Seph & *Saab* unus fortaſſe locus. Nam pro Seph in Codice uno & altero legitur Σεὴφ apud *Ioſephum de Bello Iud. II, 20, §. 6, p. 208.*

Sepphoris erat Galilaeae caput, imperante *Nerone. Wilhelmus Tyrius* eam vocavit *Sepher, XXI, 28.* In numo *Traiani* palma eſt huius urbis inſigne. Inſcriptio refert vocem ΣΕΠΦΩΡΗ-ΝΩΝ.

ΝΩΝ. *Vaillant Numiſm. Imper. Romanor. Graec. p. 30.*

Serith, ædificium vetuſtum, diſtat 20 mill. paſſ. a Rama, totidemque Hieroſolymis. *Cotovicus II, 1, p. 145.*

Seſach, ששך, *Ier. XXV, 26, LI, 41*, non eſt urbs Babyloniæ, ſed feſtum, *Sacæa* dictum, in honorem Anaitidos celebrari ſolitum, ab *Athenæo L. XII Dipnoſ.* ex *Beroſo* indicatum. Babylonii id peregerunt bibendo ac comeſſando per totam noctem. *Xenophon Cyriped. VII, p. 189, 1*, ed. Baſil. 1540, 8.

Seth, *Num. XXIV, 17*, memoratum, a nonnullis habetur pro urbe. *Fourmont* per *filios Seth* in libro *Reflexions critiques ſur les hiſtoires des anciens Peuples III, 9, p. 158*, deſignatos putat *Sethroitas*, urbis Ægypti Sethron incolas. *Typho*, ab Ægyptiis vocatus *Seth*, in ditione ſua urbem hanc perhibetur habuiſſe. *Plutarchus de Iſiride & Oſiride p. 35*, *Marshamus* in *Canone chronico Sec. VIII p. 107.* Filii *Seth* ſolent Sethidas, hoc loco eius probos imitatores, ſignificare.

Sezor, שיזר, urbs ad Orontem meridionalem Epiphaniam inter & Antiochiam, teſte *Edriſide*. Inde nomen obtinuerat R. *Simeon*. Conf. *Guiſius* ad *Scheviith II, 8, p. 62, P. I Surenhus.*

Sibraim Ez. XLVII, 5, locus Damaſcum inter & Chamath, id eſt, Damaſcenen & Cœlen Syriam. Locus alibi vocatur *Sepharvaim* & *Parvaim. Ieſ. IV, 9, 2 Reg. XVII, 24.* Rex Aſſyriæ

Aſna-

Aſnaphar, ſeu *Aſaradinus*, Samariam tranſtulit colonos e Syria ex *Babel*, (*Palaeobiblo*,) *Cutah*, (*Caſiotide*,) *Avvah*, (*Abida*,) *Chamath* & *Sepharvaim*. Chamath eſt Heliopolis, & Sepharvaim eſt Paradiſus, niſi fallor. *Siphron* enim *Num. XXXIV*, 8, congruere videtur ad Sibraim & Sepharvaim. Siphron vero probabiliſſime eſt Daphne.

Sibyllæ poſſeſſio, Σιβύλλης χωρίον, ad urbem Antiochiam in Syria fuit ſita. Eam, ac complura alia ibidem poſita prædia, traditur *Conſtantinus Maximus* Pontificatui Romano, & ei, qui tunc illum tenebat, *Silveſtro*, donaſſe. Liber Pontificalis *pag. 107 Tom. III Scipt. rer. Ital. Muratorii*. Mira in vetuſtiſſimis Pontificum vitis dominatur aberrationum ac lectionum variantium ſeges. Nec eſt, quod, donationem illam ampliſſimam *Conſtantini* firmo ſtare talo, nobis perſuadeamus. Videntur loca, per orientem hic memorata, ab ingenio otioſo conficta eſſe. Quis enim novit *poſſeſſionem Timialiam ſub Alexandria*, *poſſeſſionem Euthimicam*, *Hybromias*, *Armanalaan in provincia Euphratenſi ſub civitate Cyro*, *poſſeſſionem Mobaris*, *inſulam Cordionum ſub Tarſo Ciliciæ*, *poſſeſſionem Comitum*, vel *Comitii*, *ſub civitate Tyria*, *poſſeſſionem Timiam*, *Fronimuſam*, ſeu *Forminſam*, aliasque, in Pontificali commemoratas? Donatio *Conſtantiniana*, *Pipino* regnante in Francia, fuit conficta, ac nonnullis exemplaribus Pontificalis Romani inſerta. Dicitur in ea *Conſtantinus* multas donaſſe poſſeſſiones eccleſiis B. Apoſtolorum

 Petri

Petri & *Pauli*, *in Iudaea*, *Graecia*, *Aſia*, alibique ſitas. Haſce poſſeſſiones deinde otioſus homo nominatim exhibere ſtuduit. Ne vero commentum pelluceret, addita ei fuit fabula, *Silveſtri* in laudibus eſſe ponendum, quod opera ipſius *Conſtantinus* Auguſtus Romæ per Baptiſmum a lepra fuerit curatus. *Pontificalis Liber pag.* 104. Fabulam hanc proſcripſerunt ipſi Pontificii Scriptores, Benedictini ad *Ambroſium Tom. II pag.* 1209; *Tillemontius Hiſt. Imp. Tom. IV pag.* 634, *Papebrochius* in *Actis Sanctorum Tom. V Maji* 21 *pag.* 14 *ſeq. Conradus Ianningus* in *Apologia pro Papebrochio*, quæ præmittitur *Actis Sanctorum Tom. I Iunii pag.* 16 *ſeq.* Omittimus alios.

Sichem, Schechem, Sichar, Neapolis, hodie Naploſa, Sicima, Sicimum, Sicime, Mabartha, Mamre, Moreh, Morijah. *Planities Moreh* denotat campeſtria Sichemenſia. *Sotah VII*, 5. *Schechem* ſæpius eſt nomen appellativum, ubi interpretes exinde urbem fabricati ſunt; e. g. *Pſ. LX*, 8. At ibi alibique שכם eſt humus in clivum alte aggeſta pro ſigno, ad quod dirigebantur tela iaculatorum. *Pſ. XXI*, 13, *Zephan. III*, 9. Si avis ſuſpenderetur iaculantibus pro ſigno, cervix, ſeu humerus, vocabatur *Schechem.* Erat ad Sichemum collis, locus editior. Hunc primo *Abrahamus* tenuit pro ſede. Ille dictus fuit *locus humeri*, *locus ſitu editiori eminens*, *Gen. XII*, 6, *XIII*, 4, מקום שכם. Nomen *mkom* hic poſitum invenitur

nitur in ſtatu conſtructo. At illud, eo ſitu poſitum, indicat, nomen proprium ei adiectum haud eſſe. Sichema vetuſtior ac recentior nonnihil differunt. Illa tertio lapide ab hac, Neapoli ſcilicet, ſeu urbe nova, diſtabat. Sichar, vel Sechar, fuit Sichemi ſuburbium, a Sichemo mille paſſibus ad meridiem disiuncta. *Itinerarium Burdegalenſe pag.* 151: *Neapolis. Ibi eſt mons Agazaren - - Adſcenduntur usque ad ſummum montem gradus numero* 300. *Inde ad pedem montis ipſius locus eſt, cui nomen eſt Sechim - - Inde paſſ mille locus eſt, cui nomen Sechar - - Inde millia* 28 *euntibus Hieruſalem.* Nec tamen unus eſt duntaxat mons iuxta Sichemam. *Brocardus* Monachus Seculo XIII hunc in modum: *Sychem eſt bona civitas, ſed nunc eſt oppidum, & eſt ſitum inter montes in valle. Itaque circumquaque habet montes, & diſtat tribus dietis a Ieruſalem, & per tres illas dietas Maria & Ioſephus iverunt ad quærendum Ieſum.* A loco editiore, ubi *Abrahamus* incoluit, nomen profluxit primum, ac cum loco in valle condito communicatum. Undenam vero Sichar appellationem traxerit, eruditorum coniecturis implicatum eſt magis, quam evolutum. *Relandus* in *Diſſ. miſcellan. P. I pag.* 141 arbitratur, nomen id a Iudæorum odio defluxiſſe, ratis, locum eſſe שקר, *fallaciæ*, ſeu falſæ religionis, plenum. Samaritis enim Sichar præbuit ſedem, queis penes Talmudicos Cuthæis

Ee 2 nomen

nomen eſt. *Ioannes Auguſtus Meierus*, nomen eſſe ex שכר, *potu ebrietatis conciliatore*, ſymbolo erroneæ religionis, coniectat in annotationibus ad B. *Pauli Antonii* librum, *harmoniſche Erklærung der Evangeliſten*, *P. III pag.* 17. Conſentit *Ioannes Lightfoot Oper. Vol. I Part. III* ad *Io. IV*, 5, *pag.* 461, reſpiciens ad *Ieſ. XXVIII*, 11, & ſtigma ebrioſorum, a Iudæis religioni Samariticæ inuſtum. Hanc opinionem cenſet probabiliorem Celeb. *Ioannes Rudolphus Kieslingius* in Diſſ. ſeu *Commentatione, de Sicera in uſu ſacræ cœnæ non admittenda*, §. 7 *pag.* 17. Montes illi, quos inter Sichem iacet, ſunt Ebal & Garizim, ſeu Griſſim. Oppidum figuræ eſt ſphæricæ, atque ambitu circiter 2000 millia paſſuum complectitur. Fontes per plateas ſcaturiunt. Columnæ marmoreæ paſſim iacent. Quatuor ibi fana Turcica. Verba fere *Cotovici pag.* 341. Indigenæ locum vocarunt *Mabortham*, teſte *Ioſepho Bell. Iud. IV*, 8, §. 1, *pag.* 297, Romani Neapolin. *Plinio* ipſa audit *Mamortha V*, 13. Id ipſum eſt nomen Mamre. *Aulon Moreh* erat prope Sichem *Gen. XII*, 6, planities ſcilicet ad Hierichuntis confinia procurrens. *Beniamin Tudelenſis* in *Itinerario*, edito per *Conſtantinum l'Empereur*, *p.* 38 *ſeq.*: *Samaria duabus paraſangis diſtat Neapolis, olim dicta Sichem, intra montes Ephraim condita. Nec ulli hic Iudæi. In valle iacet inter montem Gerizim & montem Ebal, ubi centum circiter Cuthæi legis tantum Moſaicæ obſervatores,*

tores, quos Samaritanos appellant. Hi ſacerdotes habent ex Aaronis ſacerdotis proſapia, eosque Aaronaeos appellant, qui cum illis matrimonio non iunguntur, ſed inter ſe, qui ex ſacerdotali ſunt genere, coeunt coniugiis, ne cum illis confundantur. Sunt tamen legis illorum ſacerdotes, parantque victimas, ac offerunt holocauſta in illorum congregatione, idque in monte Gerizzim, ob Devt. XI, 29, *ideoque hanc eſſe domum ſanctuarii affirmant. Offerunt autem holocauſta, cum paſchate, tum aliis feſtis, in altari, quod in monte Gerizzim ex illis ſtructum fuit lapidibus, quos Iſraelitæ, Iordanem transgreſſi, erexerant. Ex Ephraimi tribu ſe oriundos profitentur, & in diœceſi ſua habent ſepulchrum Ioſephi iuſti, filii Iacobi patris noſtri, qui in pace quieſcit, ſecundum illud* Ioſ. XXIV, 32. *Ceterum in monte Gerizzim diverſi ſunt fontes ac pomaria. At mons Ebal aridus eſt inſtar lapidum ac petrarum. Inter utrumque in valle Sichem conſpicitur.* De hac valle ita *Chriſtophorus Fürerus* in *Itinerario pag. 92: In eadem valle ad pedes montis fons ille eſt Iacobi, e quo Servator noſter hauſtum aquæ a muliere Samaritana petivit. Fons fuit, ut hodieque videre eſt, amplus admodum & profundus, montes inter, Garizimum & Hebalem, ſitus - - Prope eos ad ſiniſtram Sichema, urbs antiquisſima, ſita eſt - - Hodie pagus eſt, Naploſa dictus, quem, in valle forma oblonga ſitum, dictisque montibus utrinque contiguum, rivus alluit. In medio*

plateam habet unicam, longam admodum, in qua Sangiacus habitat. Conf. *Lightfootus* in *Horis* ad *Io. IV, 5.* Prope exitum ex oppido Sichemæ templum Turcicum ſuper tumba *Iacobi* viſitur exſtructum, teſte *Maundrello pag. 84 ſeq.* Puteus *Iacobi* ſupereſt viſiturque ad diverſorium publicum extra urbem, ornamento marmoreo decorus. Aquæ eius fontanis reliquis præferuntur. Verba fere *Cotovici pag. 341. Helena* ſupra fontem *Iacobi* exſtruxerat ædem B. *Mariæ* ſacrum, cuius rudera ſuperſunt nonnulla, teſte *Maundrello pag. 85.* Spectabile exſtat præterea Neapoli fanum S. *Georgii* militis, Turcis venerabile, votisque percelebre ob corpus martyris ibi conditum, *Cotovico* teſte *pag. 343.*

Sidon, vitri inventrix, nunc vocatur *Sait*, *Saida*, Berytho disiuncta quindecim milliaribus ac octo ab oppido Sarepta, teſte *Brocardo*. *Cotovicus* hæc de Sidone literis memoriæ prodidit: *Vix mille paſſ. abeſt a Libano - - Ruinis horrida, habitatore omni pæne vacua, paucisſimis Mauris Truſcisque exceptis. Portu quidem ditata inſigni ac capaci, ſed infrequenti. Solo gaudet opimo & ubere. Agri circumiacentes, aquarum rivulis & fontibus irrigui, mira fertilitate exuberant; incultos tamen pleroſque noſtra hac tempeſtate conſpicias.* Hæc *Cotovicus I, 18, pag. 116.*

Sienc ſub Tropico Cancri ſita. *Ez. XXIX, 10.* Vide *Seveneh.*

Silbo-

Silbonitis. Vide *Semonitis.*
Silo, Siluns, nunquam ſcribitur שִׁילֹה, *Schiloh.* Pauca hæc habet *Cotovicus pag. 336: XII a Macmas lapide ad dextram viæ montem ſum prætervectus, altiſſimum omnium in Iudæa, Silo olim vocatum. In eius vertice olim civitas ædificata cognominis. Inde in vallem, regionis Samariæ initium, veni.* Ioannes *Conradus Schwarzius* ὁ πάνυ dedit *Obſervationem de Situ oppidi Siluntis* in *Novis Eruditorum Actis A.* 1741 *pag.* 383.
Simonias, vicus in confiniis Galilææ, a Gamala caſtello ſexaginta ſtadiis, ſeu ſeſqui milliari Germanico, abfuit, teſte *Ioſepho* in *Vita ſua* §. 24 *pag.* 11. Habes nunc ſitum oppidi Simron, quod Sabulonitidis olim fuit pars. Gamala vero Tiberiadi erat vicina. *Ioſephus Bell. Iud. IV*, 1, §. 3, *p.* 264: *Veſpaſianus, Ammaunte profectus, ubi ante Tiberiadem caſtra poſuerat, inde Gamalam pervenit.* Gamala diviſa in urbem ſuperiorem ac inferiorem, ac arcem, in vertice undique ſaxoſo alte ſupra præcipitia collocatam. *Veſpaſianus* locum cepit, captumque excidit. §. 10 *pag.* 269.
Sin eſt Peluſium Ægypti, *Ez.* XXX, 16, cuius incolæ vocantur *Sinim. Eſ.* XLIX, 12. Deſerta inde ad lacum Sirboniden ac verticem maris rubri continuata olim nomen tenuere a Siri. In eorum termino ad lacum Sirboniden prope mare magnum erat *Etam*, ſeu Tænia longia; *P. A. M. Myller* in Itinerario, Germanice

 edito,

edito, quod inſcripſit *Peregrinum in Ieruſalem*, tradit de Lariſſa, ſeu Oſtracine, *II*, *2*, *pag*. *289*, hæc: *Situs huius loci lætus atque amœnus eſt, apud quem etiam recentes aquæ inveniuntur, propter ſupra memoratum torrentem Beſor, qui inter montes Taphava & Etam originem habet.* Torrens ille eſt reſiduum lacus Sirbonidis, dictus *Beſor*, quaſi iuxta *Sor*, ſeu *Schur*, id eſt, Oſtracinen. Montes Etam erant circa Caſium, ac ad littus usque ad Rhinocoluram. *Moſis* iter ſingulis hiſce momentis congruit, ſi illud per mare Sirbonis ducatur. Abiice hanc opinionem. Tum vero, te in tenebris errare, perſentiſces.

Sincar denotat tractum 1) circa Babylonem ad Euphratem, 2) in Syria vel ad Serianen, vel ad Singarum, vel ad Gindarum, 3) ad Samariam, *Zach*. *V*, *11*, comparatum cum peſſima Babyloniorum religione ob Cuthæos, quibus *Sanballatus* prope Samariam in monte Griſſim ædem ſacram curavit conſtruendam, divinitus per vates divinos faſtiditam.

Siph, urbs Iudææ, quam *Rehabeamus* Rex permunivit *2 Par*. *XI*, *8*, in tractu dicto *Ziphene*, ac deſertis Ziph. Gentile nomen זיפי, *Sippita*, *1 Sam*. *XXIII*, *19*. In monte oſtenditur adhuc umbra urbis Siph ad lacus ſalſi oram occidentalem, & haud procul collis Hachila, *Scheidt* *pag*. *64*. Vide infra *Ziph*.

Soba, regia dominorum in Syria, qui cum *Saulo* ac *Davide* geſſerunt bella. *1 Sam*. *XIV*, *42*, *Ioſ*. *Ant*.

Ant. VI, 6, §. 5, pag. 328, 2 Sam, X, 8. Syriam Sobal (Sobah) *Wilhelmus Tyrius* habuit pro transiordanica ultra mare mortuum, e regione Carmeliæ ſita, *XX, 30, pag. 309, XXI, 4.* Erat ibi *Mons regalis*, nempe Moabitarum. Opinio illa originem ex eo traxit, quod rex Zobæ victus putatur in valle ſalis *Pſ. LX, 1.* Opinionem vero eam refelli ac expunxi in his *Miſcellaneis Vol. IV P. IV pag. 590.* Supereſt Soba, ſeu Hoba, pagus ſat magnus, plus quam quadrante milliaris Germanici ad ſiniſtram verſus ſeptentriones Damaſco diſtans, *Gen. XVI, 15.* Hanc *Franciſcus de Troilo* aliique de Zoba exponunt. At impedit, quo minus ita ſtatuamus, vicinitas Damaſci. Alii igitur Abilam ac Abilenen malunt deſignatam per Zobah. *Gorionides* regionem Aram-Zobah Antiochiam inter & Galilæam ponit, *VI, 9.* Aſſyrii tunc Ammonitas ac Zobenſem adiuverunt, *Pſ. LXXXIII, 8.* Indicantur Geſchuræi, ex Geſchur ad Antilibanum.

Socho, Sochûs. Inter Socho & Aſecam, urbes, vallis interiacebat, *1 Sam. XVII, 1, 2,* quam adhuc vallem Terebinthi vocant. In ea *David Goliathum* proſtravit, *v. 50.* Per vallem torrens fluxit, ex quo *David* lapillos læves collegit, fundæque ſuæ impoſuit, *v. 40.* Torrentem ſicco pede tranſiit *Cotovicus II, 1.* Pons tamen ei eſt iniectus. Olearum ibi eſt affatim. *Antigonus*, ex Socho oriundus, docuit; *Ne ſitis ſervorum inſtar, qui ſerviunt magiſtro ea condi-*

tione, ut recipiant mercedem. Pirke avoth I, 3. Ex interpretatione dicti huius vitioſa dicitur Sadducæiſmus per Zadocum profluxiſſe.

Sodoma. Sal Sodomiticum deſcripſit *Scheidt pag. 62.* Sodomæos haud eſſe reſurrecturos, R. *Nehemias* aliique ob verba *Pſ. I* docuerunt. *Sanhedrin XI, 3.*

Sogane eſt Secanja, Cana. Vide utramque.

Solyma. Ioſephus tradidit *Ant. VII, 3, §. 2, pag. 370 ſeq.* Hieroſolymam ante, quam *David* occuparet eam, dictam fuiſſe Solyma. Ab *Homero* eam Solyma fuiſſe appellatam, fabula eſt. *Selamis*, vicus Galilææ inferioris, non eſt huius loci. Attigit eam *Ioſephus* in *Vita ſua* §. *37 pag. 18.*

Sonna, alias 1) Kiriath Sepher, Kiriath Sanna, 2) Sunem ad meridiem montis Tabor, alias Suna, quæ legitur apud *Ioſephum Ant. XIII, 14, §. 1, pag. 353.* Variant tamen hic Codices. Alii enim habent Ῥεγγὰν, alii Σιννὰν, alii Σανὰν, alii Σόνναν. Indubie præferenda eſt lectio *Sunan*, ad Hebraicam quippe veritatem accedens. *1 Sam. XXVIII, 4.*

Sopha, alias Seph, Σεφ, Saab. Vide *Seph.* Sophira vero eſt Sepphoris, Sepher, Sapphur. *Sophan.* Vide *Sobonitis.*

Sozuſa ſolet interpoſita eſſe urbibus Nicopoli, Ono prope Lyddam, ac Ioppe, Aſcaloni, Gazæ, Raphiæ. Vocatur ipſa apud *Wilhelmum Tyrium XIV, 12, Serucis*, vulgo *Soruis*, alibique *Seſouris*, Onum inter & Azotum. Congruit ad

eam

eam urbs tribus Simeon *Scharuchen*, alias *Schilchin. Ioſ. XV, 32.* LXX habent Σαλή.

Spharad, vulgo Hiſpania, urbs eſt apud *Obadiam v. 19* Sipphara in Babylonia Meſopotamiæ, poſt quam ſcinditur Euphrates, parsque it per Babylonem, pars per Seleuciam in Tigrim. Fluvius in medio vocabatur *Neharmalca*, fluvius regius. *Abydenus* haud ignoravit Σιππαρηνῶν πόλιν, *Sipparenorum urbem*, apud *Euſebium Præp. Evang. IX, 41.* Supra eam exſtitit *Naarda*, locuples ac munitum oppidum, Euphrate circumdatum. Huc Iudæi multi confugerunt exciſo templo Hieroſolymitano. Erant ibi iam Iudæi ante Ieſu natalem, teſte *Ioſepho Ant. XVIII, 9, §. 7, pag. 912, §. 1, pag. 906.* In Neardeenſi regione florebat Pompeditha æque ac Sora. Tribus hiſce in locis Iudæi ſuas habuere Academias ad Seculum usque XII. Copioſe de hiſce *Ioannes Buxtorfius* in *Tiberiade Cap. 6.*

Stratopedon, locus prope Hieroſolymam, in quo Aſſyrii, urbem obſidentes, poſuerant caſtra ad latus meridionale.

Suah, patria *Bildadi*, qui *Iobo* erat amicus. *Iob. VIII, 1.* Suitæ regio dicitur fuiſſe trans Iordanem, a Tiberiade XVI milliaribus diſtans. *Oliverius pag. 1384, Tom. II Eccardi.* Videtur ſubeſſe Hippene, tractus ad Hippon, Hebraice *Suſitha*, ex סוס, *equo*, qui Græcis eſt ἵππος. Municipium Suithæ meminit *Wilhelmus Tyrius XXII, 15*, idque a Tiberiade diſtans XVI

mil-

milliaribus, ubi pro munimento fuerit in monte ſpelunca. Vide *Hippos*.

Suca, locus ſolitarius, ubi S. *Quiriacus* Seculo V apud Lauram ſe tenuit. Sic *Simeon* Metaphraſtes. Videtur recens ibi exſtructum ab Anachoretis *tabernaculum*. Alibi vocatur ea ſolitudo *Suſaſim*, poniturque inter Naphata & Ruba. Videtur *Naſib* deſignari, inter Eleutheropolin & Chebronem, per Naphatam. Res ipſa inter res Corinthi tractata fuit a *Ioanne Lamio* in *Veterum opuſculorum ἀνεκδότοις Collectaneis pag. 73 in Præf.*

Succoth, 1) ſtatio prima Iſraelidarum, Ægypto, ac Rameſſe ſpeciatim, egreſſorum, ac tendentium Magdolum. *Exod. XIII, 20.* Deſignatur Pentaſchœnos, Pentaſcinon, interiacens Peluſium ac Caſium ad mare. *Succoth* eſt 2) urbs ſeptentrionalis Gaditidis e regione Scythopoleos trans Iordanem ad Iabocum.

Sunem, patria formoſæ *Abigail*, adhuc Hieroſolymam inter & Ioppen oſtenditur peregrinantibus. *Scheidt pag. 84.* Crediderim, eam referendam eſſe ad Sunem, quæ quinque millia paſſuum ad meridiem abfuit a Tabor monte. *Euſebius* habet hæc in *Onomaſtico*: Σωνὴμ, ὅθεν ἦν ἡ Σωναμῖτις, κώμη ἐςὶν ἐν ὁρίοις Σεβαςῆς ἐν τῇ Ἀκαβαττηνῇ Σανὴμ καλεμένη. At quis non videt, ea, quæ a κώμη ad Ἀκαβαττινῇ progrediuntur, aliunde eſſe intexta, atque lineas ſcriptionis ibi fuiſſe permutatas?

Suphah haud eſt locus, ſed ſignificat *verſus mare*

mor-

mortuum; quod *Iam ſuph* vocatur, *Deut.* I, 1, II, 1, *Ier.* XLIX, 22, immo ſimpliciter סוף, *Suph*, *Num.* XXI, 14, in oda antiqua. Locus *Ez.* XXIII, 31, eſt luculentus, nec non *Num.* XIV, 25, *Deut.* I, 40, *Num.* XXI, 4. Dicitur idem mare reſpectu Hieroſolymæ הים הקדמוני, *mare orientale. Ioel* II, 20. *Io. Oldermanni* Diſſert. de ים סוף ad *Ex.* XXIII, 31, Helmſt. 1712.

Sur, locus a Tyro diverſus, eſt *Sarra*, vel *Sara*, ad boream, vulgo Sarepta. Vide *Sarra*. *Sur*, Schur, in finibus Ægypti eſt *Oſtracine*. Sur, vel Schur, *Gen.* XVI, 7, XX, 2, XXV, 18, 1 *Sam.* XV, 7, XXVII, 8, ſitum fuit in finibus Ægyptii verſus Palæſtinam, ac in ipſius termino, ſiquidem *Hagar* ancilla, in Ægyptum profectura, in deſertis inter Kadeſch ac Bared ab angelo fuit deprehenſa. *Abrahamus* aliquamdiu tenuit ſe inter Kadeſcham auſtralem & Sur in loco Gerar, ſeu Rhinocorura. Qui ex Ægypto in Syriam tendebant, eis obiacebat terra Iſmaelitarum ante *Ægyptum* inter Hhavilam & Schur. *Gen.* XXV, 18. Rex *Saul* Amalekitas concidit ab Hhavilah usque ad Schur. Iſraelidæ, lacum Sirbonidem emenſi, tridui itinere attigerunt Schur locum. *Num.* XXXIII, 8, *Exod.* XV, 22. Solitudo Schur vocatur a *Brocardo* Monacho *deſertum Suria*. Ipſe ita: *Deſertum Suriæ eſt poſt Gazam, & illud deſertum continet* (ad Peluſium usque) *quinque diatas.* Deſertum id vocabatur æque

Etham,

Etham, eique contiguum erat deſertum *Sin*, ſeu Peluſiacum. *Num. XXXIII, 8, Ex. XVII, 1*, ad Orientem Iam Suph. *Num. XXXIII, 10, 12.* *Müllerus* agnoſcit *Etham* hoc loco in libro *Peregrinus in Ieruſalem II, 2, pag. 189*, hunc in modum: *Torrens Beſor* (iuxta Sur) *inter montes Taphava & Etam originem habet.* Videmus itaque, Schur eſſe Oſtracinen, eo quod ſitus quadrat invicem ac congruit. Copioſius de ea re expoſui apud Maxime Rev. *Mehlbornium* ad *Num.* XXXIII, *Vol. V, pag.* 1493.

Suratha, a *Ptolemaeo* Arabiæ Petrææ attributa, fugit meam & aliorum notitiam, æque ac S. *Quiriaci* ſolitudo *Suſaſim*, niſi ad Sozuſan malis contendere.

Sycomazon. Hermannus von der Hardt in *Medabenis pag. 27* ſibi perſuaſit, locum hunc eſſe Succot in Gaditide, ſeu Comum. Et quidni Lacedæmon? Spectavit locus ad Palæſtinam primam. Succot relata fuit ad ſecundam. Sita fuit, Sycomazon inter Azotum ac Beteliam prope Gazam. Id ipſum pateſcit ex ſerie locorum Græcæ Notitiæ Patriarchatuum apud *Relandum* ſupra *pag.* 215.

Sycaminon. Connari Sycaminenſes laudantur in *Demai I, 1.* Connarus eſt ſpecies lothi Cyrenaicæ. *Guiſius* ad *l. c. pag.* 71. *ſeq. P. I Surenhus.*

Sychar. Vide Sichem.

Syene. Vide Sevench.

IV.
PAULI ERNESTI IABLONSKI
OBSERVATIO DE NEITHA, ÆGYPTIORUM DEA, QUAM GRÆCI MINERVAM INTERPRETANTUR.

OBSERVATIONIS CONSPECTUS.

I. E*x teſtimonio Horapollinis colligi poteſt convenientia inter Vulcanum Ægyptiorum, eorumdemque Neitham, ſeu Minervam, ſingularis.* II. *Sedes huius Neithæ, vel Minervæ, erat urbs Sais.* III. *Numen illud lingua Ægyptiorum avita dicebatur Neith.* IV. *Id ipſum pluribus illuſtratur ex monumentis Ægyptiorum.* V. *Et Græcorum.* VI & VII. *Nomen Neithæ, eiusque virtus ac poteſtas, neque ex lingua Hebraica, neque ex Mythologia Græcorum, explicanda.* VIII. *Ægyptii Minervam ſuam, vel Neitham, fingebant eſſe naturæ maſculo-fœmininæ, quod huic & Vulcano Soli proprium volebant.* IX. *Eiusdem Numinis Neithæ cum Vulcano convenientia probatur ex celebri Inſcriptione Saitica, quæ Neitham repræſentat ceu univerſum rerum omnium naturam.* X. *Ex eadem Inſcriptione liquet, Neitham habitam fuiſſe pro cauſa efficiente Solis, quod itidem de Vulcano prædicabant Sacerdotes.* XI. *Minervam Ægyptii colebant ut Sapientiam divinam.* XII. *Et eadem de cauſa Opificem univerſi, artiumque & Scientiarum Præſidem, quod pariter Vulcano competit.* XIII.

Recen-

Recentiores Ægyptii Minervæ ſuæ Circulum æquinoctialem, ſpeciatim vero Hemiſphærium ſuperius, ac in eo ſigillatim ſignum Arietis, conſecrarunt. XIV. Nomen Neithæ Ægyptiacum ſonat Numen, quod omnia decernit atque ordinat, quemadmodum etiam nomen Vulcani Ægyptium Phthas. XV. De Simulacris & Symbolis Neithæ apud Ægyptios.

I.

Cum haud ita pridem de *Phtha*, Ægyptiorum Vulcano, eſſem commentatus, * conjicere me dixi, Saitas, in Ægypto inferiori, Numen aliquod ſacroſanctum, quod lingua patria *Neitham* nuncuparunt, eodem fere loco habuiſſe, quo Memphitæ, & ſuperioris Ægypti incolæ, *Vulcanum* habuerunt. Memphitæ *Phthan* ſuum, ſive *Vulcanum*, eo nomine divinis honoribus coluerunt, quod in ipſo venerarentur Mentem æternam, omnia creantem, omnia decernentem, & ordinantem, omnibus providentem, omnia gubernantem. Id ipſum de *Neitha* ſua, vel *Minerva*, credidiſſe & celebraſſe Sacerdotes Theologosque Saiticos, pluribus, ut mihi perſuadeam, rationibus inducor. Inter antiquiſſima Theologiæ Ægyptiæ dogmata & hoc merito numerandum eſt, quod ** alio loco jam tetigimus, opificem Mundi æternum, qui materiam infor-

* In *Miſcellan. Lipſ. Vol. VI Part. II pag. 156 ſeq.*
** *Obſervat. de Phtha Ægyptiorum* §. 9, 11.

mem & inertem primo diſpoſuit, ex illa deinde elementa ſecrevit, & denique ex his omnia creavit, natura præditum eſſe maſculo-fœminina, id eſt, rationes rerum omnium totiusque naturæ, tam agentis, quam patientis, in ſe habere. Talem naturam Ægyptios tribuiſſe *Vulcano*, tanquam opifici, ex Hieroglyphicis *Horapollinis* * ſuo loco iam obſervavi. Id ipſum Auctor ille de *Minerva* Ægyptiorum quoque prædicat. Verba eius ex *Lib. I Cap.* 12 hic adſcribere, operæ pretium eſt: Δοκεῖ γὰρ αὐτοῖς ὁ κόσμος συνεςάναι ἔκ τε τοῦ ἀρσενικοῦ καὶ θηλυκοῦ. Ἐπὶ δὲ τῆς Ἀθηνᾶς ** τὸν κάνθαρον, ἐπὶ δὲ Ἡφαίςου τὴν γῦπα γράφουσιν. Οὗτοι γὰρ μόνοι θεῶν παρ' αὐτοῖς ἀρσενόθηλεις ὑπάρχουσι. *Etenim Ægyptiis mundus videtur conſtitutus eſſe ex rebus tum naturæ maſculinæ, tum fœmininæ. Minervæ autem appingunt Scarabæum, Vulcano vero vulturem, quod hi ſoli ex Diis apud ipſos mares ſint ſimul ac fœminæ.* In eo igitur *Minerva* Ægyptiorum cum *Vulcano* eorundem convenit. Sed ſunt præter id alia quoque, quæ convenientiam utriusque Numinis inter ſe eximiam arguunt, de quibus poſtea dicemus. Nunc in anteceſſum ea afferemus, quæ in veterum monumentis de iſto antiquiſſimo Ægyptiorum Numine literis prodita inveniuntur.

II. Se-

* *Obſervat. cit.* §. *IX.*

** Sequor hic emendationem Editoris poſtremi doctiſſimi, cuius vide Notas in *Horapoll. p.* 295.

II. Sedes Numinis huius, religione Ægyptiorum conſecrati, fuit *Sais*, urbs præſtans, non tantum Præfecturæ Saiticæ, verum & totius Ægypti inferioris, aliquamdiu princeps, ac multorum, qui Ægypto imperarunt, regia, pluribus quidem aliis de cauſis inclyta, ſed nulla re celebrior, quam templo cultuque *Neithæ*, vel *Minervæ* Ægyptiacæ, & perquam illuſtri Sacerdotum, cultui ejus conſecratorum, Collegio. Horum enim tanta in ipſa quoque Græcia exiſtimatio fuit, ut ex ea, ad audiendos tam laudatos ſapientiæ antiſtites, cupide confluerent, qui ad ſolidæ eruditionis gloriam contendebant, eamque poſtea, in patriam reduces, re ipſa conſecuti quoque ſunt. Ex eo *Minerva Saitica*, & *Sais* ipſa, patria quædam illius *Minervæ*, tantam apud Græcos nominis famam adeptæ ſunt, ut Græci quidam opinarentur, verum & avitum Deæ hujus nomen fuiſſe *Sain*. Ita certe *Pauſanias*, ſcriptor inſignis, ubi de *Minerva* Thèbanorum in Bœotia loquitur, in *Bœot. pag.* 734 ſcribit:* *Ογκα κατὰ γλῶσσαν τὴν Φοινίκων καλεῖται, καὶ οὐ Σάϊς, κατὰ τὴν Αἰγυπτίων φωνήν. *Etenim* Minerva Thebana *ſecundum linguam Phœnicum Onca dicitur, non vero, uti eam Ægyptii appellant, Sais*. Quæ perſuaſio optimum hunc ſcriptorem in errorem deduxit, quem in ſequentibus aperiemus. Pari modo *Iſacius Tzetza*, *Characem* ſecutus, in *Scholiis ad Lycophronem v.* 111 aſſerit:

Σάϊς

* Ita viri eruditi iam dudum correxerunt, eamque correctionem, quia certa eſt, hic admiſi.

Σαΐς κατ' Αἰγυπτίους ἡ Ἀθηνᾶ λέγεται, ὥς φησι Χάραξ. *Ab Ægyptiis vero Minerva nuncupatur Sais, auctore Charace.* Ipſius huius *Characis* verba affert Scholiaſtes MS. in *Ariſtidis* Panathenaicum, allatus in notis *Lucæ Holſtenii* ad *Stephanum Byzant.* voce Σαΐς, eaque ita ſonant: Ἐστὶ γὰρ Σαΐς Αἰγυπτίων φωνῇ παρ' Ἕλλησιν Ἀθηνᾶ. *Sais enim Ægyptiorum ſermone dicitur ea ipſa, quam Græci Minervam* (Ἀθηνᾶν) *appellant.* Conſentit cum his *Ioannes Tzetza* in *Hiſtor. Chil. V v. 657:*

Σαΐς δ' ἐστὶν ἡ Ἀθηνᾶ τῇ Αἰγυπτίων φωνῇ.

Sais autem eſt Minerva Ægyptiorum lingua.

Sed non eſt, quod quisquam dubitare poſſit, Auctores hos, modo adductos, &, qui cum ipſis ſentiunt, reliquos, ſibi paſſos fuiſſe imponi. *Sais* nomen eſt non Numinis cujuspiam, ſed urbis, Græcorum ſcriptis celebratæ. Quamvis autem in hac urbe Numen aliquod religioſe coleretur, quod Græci *Minervam* interpretantur; ſcimus tamen, Numini huic non *Sais* nomen fuiſſe patrium, ſed *Neitha*, quod nunc iam teſtimoniis fide dignis comprobabimus. Fefellit Græcos quosdam, quod noſſent, Diis in patria ſua plerumque ab urbibus illis, in quibus impenſe honorabantur, cognomina indita fuiſſe, & viciſſim in Ægypto, urbes tantum non omnes, a Numinibus tutelaribus, nomina accepiſſe. Sed hic tamen rem ſe aliter habuiſſe, ex veterum monumentis bonis & certis indubitate conſtat.

III. Verum itaque Numinis illius, quod

Sacerdotes & Prophetæ Saitici religione avita conſecratum voluerunt, eſſe *Neith*, teſtem habemus *Platonem*, diſciplina Sacerdotum Ægyptiorum imbutum, in *Timæo pag. 474 edit. Græc. Baſil.*: Τȣ́τȣ δὲ τȣ͂ νομȣ͂ μεγίϛη πόλις Σάϊς, ὅθεν δὴ καὶ Ἄμασις ἦν ὁ Βασιλεύς· ὅι τῆς πόλεως ἀρχηγός ἐϛιν Αἰγυπτιϛὶ μὲν τȣ̓́νομα Νηῒθ, ἑλληνιϛὶ δὲ, ὡς ἐκείνων λόγος, Ἀθηνᾶ. *Huius Præfecturæ Saiticæ urbs eſt maxima & præcipua Sais, ex qua & fuit Amaſis Rex. Numen urbi huic tutelare eſt, quod Ægyptiace vocatur Neith, Græci eandem Athenan, id eſt, Minervam, eſſe dicunt.* In verſione *Chalcidii pag. 231 edit. Fabricii* legitur *Neuth*, tanquam is in *Platone* legiſſet Νηȣ̈θ. Verum ratio nulla ambigendi eſt, quin vera huius nominis apud *Platonem* lectio ſit Νηῒθ Ex eo ſane nomen id habuit *Arnobius*, apud quem *Lib. IV pag. 137 Minerva* ſic loquens introducitur: *Quod ſi fidem inquiris facti, Ægyptios & ego teſtes dabo, quorum ſum Neith lingua, Platonis teſtificante Timæo.* Apud *Heſychium* ſcriptum legimus Νηῒθη. Ita habent ejus verba: Νηῒθη, Ἀθηνᾶ παρ᾽ Αἰγυπτίοις. *Neitha, Minerva apud Ægyptios.* Ponitur hic nomen illud, quod in Scriptore quodam vetuſto legerat *Heſychius*, Græco ornatum cultu, in caſu tertio, ſicuti & nos, de Numine hoc diſſerentes, ſcriberemus, *Neitha*, & *Neitham*, nomini nempe Ægyptiaco addentes terminationem Latinam. Videmus hic, & *Platonem*, & ceteros, qui eum ſequuntur, illam Ægyptiorum *Neith* unanimiter interpretari *Miner-*

Minervam. Accedit ad horum teſtimonia auctoritas minime contemnenda *Eratoſthenis* Cyrenæi, qui in Catalogo Regum Thebæorum Ægypti *num.* XXII nomen alicuius reginæ Ægyptiacum, Νίτωκρις, Græce ſic interpretatur, ὅ ἐστιν Ἀθηνᾶ νικηφόρος, id eſt, *Minerva victrix.* Interpretationem illam * olim pluribus excuſſi, quæ hic non repeto. Id ſatis omnes intelligunt, *Eratoſthenem* Νὶτ, quod a *Platonis* Νηῒθ parum recedit, vertere *Minervam*, adeo in hac interpretatione omnes conſpirant. Quare neſcio, quid in mentem venerit *Thomæ Hydio*, quando in *Hiſtoria religionis vet. Perſarum Cap. III pag. 92* negavit, *Neitham* Ægyptiorum recte dici *Minervam*, cum potius, ipſo judice, ſit *Venus*, &, erroris hujus, quem ſibi imaginatur, culpam in Latinos *Platonis* interpretes, qui nempe id de ſuo addiderint, rejiciendam eſſe, arbitratur. *Et Plato*, inquit, *in Timæo meminit, quod in Ægypto, in Saitica Præfectura, colebatur* Νηῒθ: *quod quidem nomen a Latino interprete exponitur Minerva, male: falluntur enim in hoc interpretes Platonis, ut & Arnobius & Chalcidius, ex eo excerpentes.* An non *Plato* ipſe, & poſt eum *Eratoſthenes*, & cum his tot alii, conceptis verbis teſtantur, *Neitham* Ægyptiorum haberi pro *Minerva?* Exiſtimavit nempe vir doctus, impudicam Perſarum *Anaitin* a caſta Ægyptiorum *Neitha* nulla re differre, cum tamen liqui-

* In Diſſertat. *de Remphah pag. 75*, & in *Annotat. ad Eratoſthenis Catalogum* in B. *Vignolii Chronol. Sac. Tom. II pag. 755.*

liquido demonſtrari poſſit, nullam eſſe prorſus utriusque huius Numinis, neque in nomine, neque in re, convenientiam, aut affinitatem. Eundem tamen errorem, poſt *Hydium*, erravit etiam *Hadrianus Relandus*, nomen ceteroquin Muſarum amicis merito carum, in Diſſ. *de veterum Perſarum lingua, voce* ANAITIS, *pag.* 123. Sed in his diutius non morabor.

IV. Obſervatio *Eratoſthenis*, quam modo tetigimus, nomen reginæ Ægyptiorum *Nit—Ocris* interpretantis *Minervam victricem*, ad indaganda alia ſimilia Ægyptiorum nomina, in quibus compoſitionis eiusdem manifeſta veſtigia occurrunt, nos deducit. Tale nomen in ipſa hiſtoria *Moſaica Gen. XLI,* 45, 50, deprehendere licet. Illic enim uxorem *Joſephi* Patriarchæ, filiam *Potiphera*, magni Sacerdotis Heliopolitani, appellari videmus אסנת, vel, uti Græci habent, Ἀσενὲθ, *Aſe—neth.* In nominis hujus compoſitione, *Neth*, quod *Minervam* interpretor, non longius utique à *Platonis Neith* recedit, quam in *Nit—ocri, Eratoſthenis Nit.* Si quid judico, totum iſtud *Aſenethæ* nomen, Coptice ſcriptum * ⲤϢⲈ ⲚⲈⲒⲦ, id eſt, uti Coptorum filii pronuntiant, *Aſſcheneit*, Græce ſatis commode reddetur Ἀθηνοσεβὴς, *Minerva cultrix.* Poſſumus ex eo colligere, quam antiquus, quamque celebris, tempore jam *Joſephi* Patriarchæ, inter Ægyptios fuerit *Neitha,*

* Aut etiam, quod eodem redit, ϢⲈ ⲚⲈⲒⲦ *Aſcheneit.*

Neitha, ſeu *Minervæ*, cultus. Neque vero eſt, quod ipſa hæc venditata a me cultus iſtius antiquitatis obſervationem meam in ſuſpicionem erroris inducere queat. Nam, in hiſtoria *Moſaica* exempla non diſſimilia occurrere, * loco alio luculenter probavi. Quod ſi jam hiſtoriæ Ægyptiorum monumenta exotica adeamus, illa nobis ſuppeditabunt *Nitetin*, Apriæ, regis Ægypti, filiam, *Cyri*que, vel, ut alii, *Cambyſis*, regis Perſarum, uxorem. *Herodoto* initio *Lib. III* Νίτητις audit, *Nit-etis*, ubi eadem nominis hujus ſcriptio occurrit, quam in *Eratoſthenis* Catalogo obſervavimus. *Athenæus* vero eandem *Lib. XIII pag.* 560. appellat Νεϊτῆτιν, *Neit-etin*, cujus proinde ſcriptio ad illam *Platonis* propius accedit. Qui linguæ Ægyptiacæ adſuetus eſt, nullo negotio intelliget, nomen hoc ſic efferendum eſſe, *Neitteits*, quod ſignificat Ἀθηνοδότην, *donatam a Minerva*, vel *donum Minervæ*. Ægyptios nominibus iſtiusmodi delectatos fuiſſe, vel ex *Eratoſthenis* Catalogo Regum Thebanorum colligi abunde poteſt, in quo *num. IX* & *XXXIV* occurrit *Mares*, quod *Eratoſthenes num. IX* interpretatus ἡλιόδωρον, *donum Solis*. *Num. XVII* habetur *Moſcheris*, vel accuratius *Moicheres*, idque *Eratoſthenes* reddit ἡλιοδότον, *donatum a Sole*. *Num. XXIII* legitur *Myrtæus*, idque exponitur Ἀμμωνόδοτος, *donatus ab Ammone*, quorum omnium, in annotationibus ad illum Catalogum, rationem prolixe dedimus. *Neiteta* vero illi, de qua hic

 loqui-

* In *Diſſert. VIII de terra Goſen*, §. *IV*.

loquimur, nomen inditum fuiſſe a *Neitha* Saitica, tanto eſt probabilius, quod ſciamus, patrem ejus *Apriem*, qui in ſcriptura *Pharao Hophra* audit, regem fuiſſe ex Dynaſtia Saitica, regum eorum, quibus Sais, urbs *Minervæ* ſacra, ſedes erat regia. Eadem, ut videtur, de cauſa, *Amaſidis* regis pariter Saitici, filius atque ſucceſſor, cui *Cambyſes* & regnum & vitam eripuit, nomen geſſit *Pſamme-niti*, quod interpretari poſſis *Virtutem Minervæ*, vel *eruditum a Minerva*. Eo etiam omni procul dubio ſpectat nomen *Pate-neit*, Sacerdotis, vel Archi-Prophetæ, Saitici, cuius meminit *Proclus Lib. I in Timæum Platonis pag. 31* in hæc verba: Ἐνέτυχε δὲ Σόλων ἐν Σάει μὲν ἱερεῖ ὀνομαζομένῳ Πατενεῖτ, ἐν ἡλίου πόλει δὲ ὤχλαπι, ἐν Σεβεννύτῳ δὲ ἐθιμῶν, ὡς αἱ τῶν Αἰγυπτίων ἱστορίαι λέγουσι. *Converſatus autem eſt Solon, Sai quidem cum Sacerdote Pateneit, Heliopoli vero cum Ochlapi, & Sebennyti cum Ethimone, quemadmodum in hiſtoricis Ægyptiorum commentariis legitur.* Recte omnino *Proclus* hic ad Ægyptiorum Annales provocat. Nam Græci alio nomine eum deſignant, *Sonchin* videlicet, vel *Sonchiten*. Ita *Plutarchus* in *Solone pag. 92*, & *de Iſ. & Oſir. pag. 354*. Diſcordia iſthæc, quæ Græcos inter Ægyptiosque intercedere videtur Scriptores, opera perquam levi & facili poterit componi. Græci nomen Sacerdotis illius proprium nobis conſervarunt; videtur enim vere appellatus fuiſſe *Sonchis*. Ægyptiorum vero Annales eum a dignitate, quam geſſit, *Pate-neit* cognominarunt.

Erat

Erat Collegii Sacerdotum Saitici, *Neithæ*, vel *Minervæ*, conſecrati, Præſes, & Archi-Propheta, ſicuti eum diſertis verbis appellat *Clemens Alexandrinus Stromat. Lib. I*, qui tamen res *Pythagoræ* cum rebus *Solonis* confundit. Alias * autem jam docuimus, *Pate-neit* ſermone Ægyptiorum dici *ſummum Sacerdotem*, vel *Archi-Prophetam*, *Neithæ*.

V. In ipſis rerum Græcarum antiquiſſimis Annalibus nominis *Neithæ* veſtigia certa & indubia reperio. Nam, cum *Cadmus* novam in Bœotia urbem ſtatueret, non modo eam a Thebis Ægyptiis Thebas quoque cognominavit, verum etiam, in honorem *Neithæ* Ægyptiacæ, uni ex ſeptem portis urbis recens conditæ nomen indidit *Neithæ*. Meminit hujus portæ *Æſchylus* in *Septem contra Thebas v. 466*:

> Τρίτῳ γὰρ Ἐτεόκλῳ τρίτος πάλος
> ἐξ ὑπτίου πήδησεν εὐχάλκου κράνους
> πύλαισι νηΐτισι προσβαλεῖν λόχον.
> *Tertio enim Eteocli tertia ſors*
> *Excidit e ſupina ærea caſſide*
> *Neitidibus portis ut cohortem admoveat.*

Sic & *Euripides* in *Phœniſſis v. 1112*:

> Καὶ πρῶτα μὲν προσῆγε νηΐταις πύλαις
> Λόχον &c.
> *Et primum quidem adduxit ad Neitas portas*
> *Cohortem* &c.

Conſimiliter *Statius Thebaid. Lib. VIII v. 354*:

* Diſſertat. *de Terra Goſen VIII*, §. 4, *pag. 94, 95*, & in Notis.

Ogygiis it ſorte Creon, Ethеocleа mittunt
Neitæ &c.

Unde vero portæ hæ Neitides dictæ fuerint, non ita inter veteres convenit. *Pauſanias* nomen id hunc in modum explicat *Bœotic. pag.* 727: Τὰς δὲ Νηΐτας ὀνομασθῆναί φασιν ἐπὶ τῷδε. Ἐν ταῖς χορδαῖς νήτην καλοῦσιν * ἐξ αὐτῶν. ταύτην ἐν τὴν χορδὴν Ἀμφίονα ἐπὶ ταῖς πύλαις ταύταις ἀνευρεῖν λέγουσιν· ἤδη δὲ ἤκουσα καὶ ὡς Ζήθου τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ Ἀμφίονος τῷ παιδὶ ὄνομα Νῆϊς γένοιτο: ἀπὸ τούτου δὲ τοῦ Νῆϊδος τὰς πύλας κληθῆναι ταύτας. *Neitidem portam nominarunt, quod in cythara chordarum unam, cui Nete nomen, Amphion ante hanc portam inveniſſe dicitur. Audivi etiam illud aliquando, Zethi, qui frater Amphionis fuit, filio Neis nomen fuiſſe, & ab iſto Neidæ portæ nomen datum.* Similia habet Scholiaſtes *Euripidis* in *Phœniſſas v.* 1111: Νήϊται πύλαι, ἡ ἀπὸ Νηΐδος, τῆς Ἀμφίονος καὶ Νιόβης. ἢ ἐπεὶ ὕσταται εἰσίν. Ὁ δὲ Φερεκύδης ἀπὸ Νηΐδος τῆς Ζήθου θυγατρός. *Neitis porta dicta eſt vel à Neide, Amphionis & Niobes filia, vel quia ** eſt ima, ſive ultima. Secundum Pherecydem vero nomen habet a Neide, Zethi filia.* Sed, ſpretis hiſce originationibus, quas unius aſſis

* *Kühnius* legit ὀξυτάτην in notis, non male.

** In cithara chorda ima, & ſimul acutiſſima, dicebatur νήτη. Hinc lux *Heſychio*, ubi ſcribit: Νηΐσι, (lege Νηΐτισι,) ταῖς πύλαις ταῖς πρώταις καὶ τελευταίαις. Intelligit portam Neitidem, quam ſic vocari ait, quod ſit prima, vel ultima. Nam, quod certo ſenſu eſt primum, alio ſenſu eſt ultimum.

aſſis non facio, longe tutius nomen Portæ Neitidis derivabimus a *Neitha* Ægyptiorum. Etenim, *Cadmum* origine Ægyptium fuiſſe, * viri doctiſſimi tam egregie probarunt, ut mihi otium hic fecerint. Ex Ægypto is tranſiit in Phœniciam, avitam Ægyptiorum exulum ſedem, & ex Phœnicia in Græciam trajecit, ubi in Bœotia Thebas condidit. Utrique huic genti, cui jure meritoque *Cadmus* accenſeri poteſt, Ægyptiis ac Phœnicibus, Numen erat ſanctiſſimum *Minerva*. Et Ægyptios quidem jam tum *Minervam* ſuam coluiſſe ſub nomine *Neitha*, non eſt, quod dubitemus. Vid. §. IV. Phœnices vero Deam eandem, ſed a ſuis *Oncam* nuncupatam, placaſſe, veterum teſtimoniis nititur. Vide *Seldenum de Diis Syris Syntagm. II Cap. IV pag. 294, 295*, & *Bocharti Geogr. ſacr. Part. II, Lib. I, Cap. XVI*, & *Lib. II, Cap. XII*. Ægypti enim & Phœnices, etſi ex una ſtirpe originem ducerent, & in eadem regione aliquamdiu junctim habitaſſent, tractu tamen temporis, uti lingua, ita etiam conſuetudinibus, cum civilibus, tum religioſis, vehementer a ſe invicem diſcrepare cœperunt. Diſcrepantiam illam tempore jam *Cadmi* non levem exſtitiſſe, multa ſunt, quæ fidem faciunt? Sed, quia tamen *Cadmus*, uti dicebam, tam Phœnix, quam Ægyptius, vere erat dicique poterat, videtur Numen, utrique ſuæ genti carum, & *Neitham* & *Oncam* inſigniter coluiſſe, ac utriusque Numinis cultum The-

* *Marshamus* in *Canone Chron. pag. 121, 122*, edit. Franek. & *Vignolius* in *Chronol. Sac.* T. II, p. 29, 30.

Thebas ſecum advexiſſe. Duo certe Thebis fuiſſe antiquiſſima templa *Minervæ*, *Sophocles* teſtatur in *Oedipo Tyranno v.* 20, & ad hunc locum vetus Scholiaſtes. Et ab *Onca* quidem, Phœnicum *Minerva*, *Cadmum* cognominaſſe portam *Oncæam*, veterum permulti teſtantur, quorum teſtimonia ſuppeditabunt *Seldenus* & *Bochartus*. De *Onca* obſervat vetus *Pindari* interpres ad *Olymp. II pag.* 20 edit. *Steph.*: Ἄγαλμα αὐτῆς ὁ Κάδμος ἱδρύσατο ἐν Ὄγκαις κώμῃ τῆς Βοιωτίας· Ὀγκαία ἣν ἡ Ἀθηνᾶ τιμᾶται. *Cadmus ſimulacrum eius poſuit Oncis, vico Bœotiæ. Ideoque Oncæa Minerva colitur.* Sed verius ſine dubio rem ita narrat Scholiaſtes *Æſchyli* ad *Septem contra Thebas v.* 492: Ἀφ' ἧς καὶ αἱ πύλαι Ὄγκαι ἐλέγοντο· Ἄνωθεν γὰρ τῶν πυλῶν, ἐκείνη ἡ Ἀθηνᾶ ἐγέγραπτο. *A qua* (Minerva Oncæa) *etiam Porta dicta eſt Oncæa. Etenim ſuper illam Portam Minerva depicta erat.* Cum vero, præter Portam Oncæam, Thebis fuerit quoque *Neitis*, an non jure concludere nobis licebit, ſicuti ab *Onca* Phœnicum portæ *Oncææ*, ita a *Neitha* Ægyptiorum portæ *Neitidi*, nomen inditum fuiſſe? Scholiaſtes *Æſchyli*, loco jam citato, ex antiquiori omnino Scriptore obſervat, *Cadmum* Thebis veneratum fuiſſe *Minervam* Ægyptiorum. Nam hæc ſunt eius verba: Ὁ Κάδμος ἐκεῖ ᾤκησεν, καὶ ἔθυσε τὴν βοῦν Ἀθηνᾷ, καὶ τῇ Αἰγυπτίᾳ φωνῇ ταύτην ἐτίμησεν ἐκεῖ. *Cadmus illic* (Thebis) *conſedit, & vaccam Minervæ immolavit, eamque lingua Ægyptiorum illic veneratus eſt.*

Et

Et quænam poterit eſſe illa *Minerva*, lingua Ægyptiorum illic a *Cadmo* culta, niſi *Neith?* Præſertim cum portam *Neitidem*, in Thebarum urbe a *Cadmo* conſtructam, veteres tanto conſenſu agnoſcant. *Pauſaniæ* hoc ignoranti fraudi fuit, quod ſibi perſuaderet, *Minervam* lingua Ægyptiorum, non *Neitham*, verum *Sain*, nuncupari. Alioquin haec non ſcripſiſſet in *Bœotiois*, *pag.* 734: *Refellitur facile eorum error, Cadmum, qui in Thebanorum fines venit, Ægyptium, non Phœnicem, fuiſſe, vel ipſo Minervæ huius nomine. Onca enim Phœnicum, non Sais Ægyptiorum, lingua dicitur.* Idem quoque de aliis exiſtimandum, qui in explicando nomine Portæ Neitidis tantopere ceſpitarunt, quod verum *Minervæ* Ægyptiæ nomen ipſos latuerit. Hæc eſt erroris illius origo.

VI. Inquirendum nunc eſſet in veram nominis huius Ægyptiaci *Neith* ſignificationem. Verum id cum ſucceſſu vix ac ne vix quidem fieri poteſt, niſi in anteceſſum perſpectum exploratumque ſit, quamnam Ægyptii Numinis huius poteſtatem eſſe voluerint, quam virtutem illi tribuerint, quid in illo maxime venerati fuerint. Hoc enim recte cognito, difficile eſſe non poterit, veram indagare nominis illius originationem, cum ceteroqnin etymologiis, tali fundamento deſtitutis, & ad literarum aut ſyllabarum ſonum tantum attemperatis, nihil poſſit eſſe inanius & frivolum magis. Inquirentibus autem in veram Numinis *Neithæ* virtutem ac pote-

poteſtatem, *Plato*, qui, *Neitham* hanc Græcorum eſſe *Minervam*, aſſeruit, obſtaculum objicit non leve, quodque multis fraudi fuit. Nam teſtimonio hoc *Platonis* decepti, omnia, quæ Græci de *Minerva* ſua canere & prædicare ſolent, ad *Neitham* Ægyptiorum ſummo jure referri ſimiliter poſſe, arbitrantur. Non equidem inficias eo, *Solonem*, *Platonem*, aliosque ex ſapientibus Græciæ, qui ad hauriendam doctrinam in Ægyptum itinera ſuſceperunt, non ita difficulter intellexiſſe, *Neitham* inter Ægyptiam, & *Minervam* Græcorum, aliquam inſtitui poſſe convenientiam, nec eſſe aliquod Græcorum Numen, quocum melius queat conferri, quam *Minervam*. Sed non idcirco omnia, quæ Græcorum aut Philoſophi, aut Poetæ, de *Minerva* ſua finxerunt, ad *Neitham* Ægyptiam transferri, adque illius Numen applicari, aut poſſe, aut debere, cenſenda ſunt. Et in eo tamen toti ſunt Græci ſequiores, ac præſertim Critici noſtri, quoties de *Minerva* Ægyptiorum diſſerere volunt. Sed omnium aliorum in eo argumento conatus longe poſt ſe reliquit Vir ſua ceteroquin laude digniſſimus, & cui certe meliores literæ plurimum debent, qui in notiſſima *Hiſtoria Cœli* id virium omnium niſu efficere conatus eſt, ut nobis Theologiam veterum Ægyptiorum ex lingua Hebraica, & ex Mythologia Græcorum, quam tamen ad ſcopum ſibi plane peculiarem artificio mirifico ſemper contorquet, ceu ex genuinis fontibus erutam, novoque habitu indutam, nobis ſiſteret. Eius rei

ſpeci-

ſpecimen ſatis amplum ex iis, quæ de *Minerva* Ægyptiorum, ſive *Neitha*, docere nos voluit, capere licet. Nihil fere illic occurrit, quod ulli veterum unquam dictum, aut auditum ſit, omnia ſoli imaginationi Auctoris, ſupra modum fertili, & ingenioſis eius fictionibus, unice debentur. Quæ omnia ſi minutatim perſequi, & ad veritatis lancem expendere vellem, ea profecto Diſſertatio una non caperet.

VII. Ut tamen intelligatur, quam nullo ſucceſſu fabulis Græcorum Mythologia Ægyptiaca accommodetur, & iſta ex lingua Hebraica adjuvetur, ea tantum delibabo, quæ de cultura olearum in Ægypto, *Neitha*, ſeu *Minerva*, gentis illius, in acceptis relata, Vir ingenioſus obſervat. Nam, quicquid eam in rem Græci de *Minerva* ſua fingunt, id omne multo rectius *Neitha* Ægyptiorum convenire, docet. Et præcipuum quidem huic ſententiæ præſidium Auctor eruditus * ex nomine urbis *Sais*, quæ cultui *Minervæ* Ægyptiorum tota erat dedicata, conciliare nititur. *Sais* enim, vel *Saith*, Hebraice זית, *oleam* deſignat. Addere poſſum, caſu fortuito hic contigiſſe, ut vox, qua uſi ſunt genuini Ægypti incolæ, ad ſignificandam oleam, a vocabulo Hebraico parum, aut nihil, differat, ** *Saith* Ægyptiis dictam

* Præivit tamen hic Viro ingenii acutiſſimi *Stephanus Guichartius* in libro, quem inſcripſit *l'Harmonie Etymologique des langues*. Vide *pag.* 241, 973, &c. edit. Paris. 1618. Ita etiam poſt eum alii.

** Videri hic poteſt *Diſſert. III de Terra Goſen* §. VI.

dictam fuiſſe *oleam*, dubio carere debet. Sed, an ex hac qualicunque convenientia ſoni, inter nomen urbis Sais, & nomen Oleæ Hebraicum, tuto concludi poteſt, Sain oleis abundaſſe, & harum productionem in laudibus *Neithæ*, utpote Sai cultæ, poſitam fuiſſe? Non opinor, niſi id aliunde probari recte & legitime queat. Equidem, ſi Viro docto credimus, * *incolæ urbis Sais cultura olearum unice dediti erant.* Iidem *Numini Neithæ grates ſolenniter perſolvebant, quod eius beneficio, oleas diligenter colendo, ſibi in rerum omnium abundantia vivere liceret. Feſtis ac ſacrificiis animum quoque gratum Numini teſtabantur, quod tam excellenti oleo ſe beaſſet.* Undenam, quæſo, omnia hæc facta decerpta eſſe credemus? Si, quod res eſt, dicere volumus, ſola vox Hebraica זית, quia *oleam* ſignificat, & quia aliquam cum nomine urbis Sais ſoni convenientiam habet, imaginationi fœcundæ Viri politiſſimi obtulit Saitarum oleas, torcularia, oleumque exquiſitum, & inſtitura propterea ab iis in honorem *Neithæ* feſta atque ſacrificia. Nam, ſi genuina Hiſtoriæ & Geographiæ veteris monumenta conſulamus, non ſine admiratione diſcimus, oleas in univerſum raras exſtitiſſe in Ægypto, in agro vero Saitico, uti & Ægypto inferiori tota, eas plane cultas non fuiſſe. Teſtatur id *Strabo*, qui itineribus totam Ægyptum emenſus erat, *Lib. XVI pag. 556*, ubi de præfectura

* *Hiſtoire du Ciel Tom. I pag. 185* edit. Paris. 1739.
** *Ibid. pag. 186.*

fectura Heracleopolitica, ſic ſcribit: *Sola Præfectura Heracleotica oleas perfectas & fructiferas profert, ac, ſi quis bene colligat, oleum etiam optimum fit.* — *At Ægyptus reliqua olea caret, exceptis hortis,* (regiis nempe,) *qui circa Alexandriam ſunt, qui oleas quidem ferre poſſunt, oleum vero non ſuppeditant.* Nihil diſertius dici ſane potuit. Hinc jam intelligitur, quamobrem, qui paluſtria in Aegypto inferiori, non ita procul a Sai, incolebant, oleo uterentur ex ſilli cypriis, vel ſeſamo, teſte *Herodoto Lib. II Cap.* 94, quia nempe oleo carebant olivarum, qua in re hodierni regionis illius incolæ exemplum majorum ſuorum imitantur. Plures itaque olim in Aegypto erant ſpecies olei factitii, quo utebantur incolæ, ut defectum olei genuini compenſarent, de quibus *Plinius Lib. V Cap.* 7. Eadem de cauſa *Hoſea Cap. XII, 1,* dicitur *oleum deportatum iri in Ægyptum,* ad quem locum ita ſcribit R. *David Kimchi: Oleum venit Ægypto & reliquis regionibus, ex terra Iſrael, ut ſcriptum eſt in Prophetia Tyri* (*Ezech. XXVII, 17*). Neque etiam pœnitebit, obſervationes ad eundem locum *Edu. Pocockii pag. 636* edit. Anglic. conſuluiſſe. His unicum hocce tantum addo teſtimonium Auctoris Anonymi, in *Expoſitione totius mundi* (in *Hudſoni Geographis minoribus T. III*) *pag.* 7, ubi hæc de Aegypto legas: *Et fructum feret omnia, ſine oleo,* id eſt, uti in notis bene explicatur, *omnis generis frugum frugifera eſt, oleo tantum excepto.* Equidem ignarus non ſum, *Theo-*

phraſtum in *Hiſtor. Plant. Lib. IV Cap. 3* in Thebaide ſuperiori circa Abydum oleas agnoſcere; verum id ut ſingulare quid obſervare jubet: Καὶ γὰρ ἡ ἐλαία περὶ τῦτον τὸν τόπον ἐςι. *Etenim hoc quidem in loco dantur oleæ.* Et quam non longe, quæſo, a Sai Abydus diſtat? In Aegypto inferiori oleæ nuſpiam colebantur, &, ſic in hodiernum usque diem rem ſe habere, * ex peregrinatorum relationibus notum & tritum eſt. Satis igitur liquere arbitror, nullam circa Sain perveniſſe olearum copiam, neque ab illis urbem iſtam nomen eſſe ſortitam. Et, ſi vel hoc conceſſerim, nihil tamen ex eo in *Neitham* redundare poſſet lucri, neque iſthoc argumento convenientiam *Neithæ* Aegyptiorum cum Atheniensium *Minerva* demonſtrare liceret. Oleam Athenienſes quidem in tutela *Minervæ* ſuæ, donum quippe eius præſtantiſſimum, eſſe, prædicabant; at non Aegyptii, quorum Mythologiam hic quidem prorſus a fabulis Græcorum diſtuliſſe, fatetur *Diodorus Siculus*, etſi Græcus. Verba eius ex *Lib. I pag. 15* ed. *Wech.* appono: Τῆς ἐλάιας τὸ φυῖον Ἑρμῆν ευρεῖν, ἀλλ᾽ ἐκ Ἀθηνᾶν, ὥσπερ Ἕλληνες, φασίν. *Ægyptii aiunt, oleam inventam a Mercurio, non vero, ut Græci, a Minerva.* Cumque Sai, præter *Minervam*, cultus quoque fuerit *Mercurius*, teſte *Lactantio Lib. I Cap. 6*, huic utique, non illi, pro olivarum apud ſe provenientium copia, ſi qua cœlitus donati fuiſ-

* Vide *les Nouveaux Memoires des Miſſions Tom. II Part. II pag. 135, 136.*

fuiſſent, grates perſolviſſent Saitæ. Hæc vero non ideo paulo prolixius diſputavi, ut de laudibus, Auctori præſtantiſſimo Hiſtoriæ Cœli debibitis, aliquid detraherem; nam merita eius libenter colo & veneror; verum ut hoc exemplo antiquitatum Aegyptiacarum ſtudioſos moneam, inſigne eſſe inter fabulas Græcorum, & mythicam Aegyptiorum Theologiam, divortium, & neminem in illuſtranda hac poſtrema eximium quid præſtiturum, niſi fontes genuinos adeat, illosque ſollicite ab adulterinis diſcernat.

VIII. Ipſi igitur Aegyptiorum Theologi de *Neitha* ſua fabulam hanc allegoricam ſpargebant, quod *Minerva*, etſi Dea, natura tamen prædita eſſet maſculo-fœminina. Verba *Horapollinis*, qui id docet, ſupra iam deſcripſi §. I. Fluxiſſe hoc ex genuina & non adulterata Aegyptiorum Theologia, quilibet illico ſentit, idque ex iis, quæ in *Obſervatione de Phtha, Ægyptiorum Vulcano*, attulimus §. *V*, *IX*, & *XI*, illuſtrari poterit. Non equidem diffiteor, ſomnia hæc Aegyptiorum, & Orientalium in univerſum, de Diis maſculo-fœmininis, in Græcorum Theologiam ſe pariter inſinuaſſe; verum, qui loca veterum, hanc in rem liberali manu ab optimo & laborioſiſſimo *Io. Alb. Fabricio* in *Cod. Apoc. Vet. Teſt. Vol. I pag. 361, 362*, congeſta, attente penſitare volet, mihi non gravate largietur, Græcos conceptus tales non niſi ſero admiſiſſe, poſtquam placita Pythagoræorum & Platonicorum abſtruſa atque metaphyſica prævalere ubique, & cum

 dogma-

dogmatibus Theologiæ Orientalis ſociari, cœperunt. Illud vero ſingulare profecto, & Aegyptiis omnino proprium, cenſendum eſt, quod *Vulcanus* & *Minerva*, & hi quidem ſoli, crediti fuerint *maſculo-fœminini*. De iis enim *Horapollo* ſcribit: Οὗτοι μόνοι θεῶν παρ' αὐτοῖς ἀρσενοθήλεις ὑπάρχουσι. *Hi ſoli ex Diis apud ipſos mares ſimul ſunt & fœminæ.* Ubi tamen non negligendam exiſtimo annotationem *Io. Corn. de Pauw*, Viri Clariſſimi, qui docte obſervat, etiam alios Deos apud Aegyptios habitos fuiſſe ἀρσενοθήλεις, *maſculo-fœmininos*. De *Luna* id colligit ex eiusdem *Horapollinis Lib. I Cap.* 10, ubi ſcribit, *Taurum in cœlo eſſe elevationem Lunæ.* Et ſane luculenter de *Luna Plutarchus* id ex Aegyptiorum doctrina tradit *Lib. de Iſ. & Oſir. pag.* 368: *Ideo Lunam matrem mundi appellant, & naturam ex utroque mixtam ſexu* (φύσιν ἀρσενόθηλυν) *asſignant ei, quod impleta & gravida facta a Sole, rurſum a ſe in aerem emittat ac disſeminet genitabilia principia.* Tangit rem eandem etiam *Spartianus* in *Vita Antonini Caracallæ Cap.* 7: *Unde, quamvis Græci, vel Ægyptii, eo genere, quo fœminam hominem, etiam Lunam Deam dicant, myſtice tamen Deum dicunt.* Id enim docere voluit, Aegyptios *Lunam* partim venerari ut Deam, partim vero etiam ut Deum marem. Sed in eo Auctor ille deceptus eſt, quod aſſeruerit, *Lunam* Aegyptiis dici genere fœminino. Nam vice verſa, ſermone Ægyptiorum, non ſecus atque noſtro Germanico, *Luna* ſemper effer-

tur

tur nomine generis maſculini, ⲠⲒⲞϨ, *Pi—ioh*, ita ipſis *Luna* dicitur. Rectius omnino id obſervatum videas ab *Ammonio*, in Librum *Ariſtotelis de interpretatione pag.* ιϛ: Καὶ γὰρ εἰ ἀρσενικῶς Αἰγύπτιοι τὴν σελήνην ὀνομάζειν εἰώθασιν· ἀλλ' ὡς πρὸς τὴν γῆν, οἶμαι, αὐτὴν παραβάλλοντες, οὐχ ὑπὸ ἡλίου μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπ' αὐτῆς φωτιζομένην· διὸ καὶ ὁ ἐν Συμποσίῳ τοῦ Ἀριστοφάνους λόγος, τὸ μὲν ἄῤῥεν τῷ ἡλίῳ προσήκειν ἔφη. *Etſi enim Ægyptii nomine maſculini generis Lunam nominare conſueverint, id tamen, ut puto, ideo faciunt, quia illam conſiderant in relatione ad terram, quæ non tantum a ſole, ſed & ab ipſa Luna, illuminatur. Ideoque ſermo Ariſtophanis* * *in Sympoſio Soli naturam maſculinam tribuit.* Itaque, præter *Vulcanum* & *Minervam*, Aegyptii *Lunæ* etiam attribuerunt naturam maſculo-fœmininam. Ea de cauſa Vir doctus verba *Horapollinis* de *Vulcano* & *Minerva*, ἦτοι μόνοι θεῶν παρ' αὐτοῖς ἀρσενοθήλεις ὑπάρχουσιν, ſic Latine reddenda eſſe contendit: *Hi enim primarii ſunt inter Deos, quos Ægyptii cenſent eſſe maſculo-fœmininos.* Nempe *Vulcanus* & *Minerva* Numina dicuntur maſculo-fœminina, quia illa, utpote opifices, rationes totius Naturæ, & agentis & patientis, in ſe habent, quod de *Luna* dici non poteſt. Nam, dum agit in terram,

* In *Sympoſio* nempe *Platonis*, in quo inter interlocutores *Ariſtophanes* locum habet. Sententia, quam hic tangit *Ammonius*, legitur in illo *Sympoſio pag.* 182 edit. Baſil. Græc.

quo nomine natura ipſi tribuebatur maris, eo ipſo patitur a Sole, unde activitatis illius ratio non in ipſa, ſed in *Sole*, deprehendi poteſt. Vide *Ammonium loc. cit.* Aegyptii igitur ſolos *Vulcanum* & *Minervam* habebant agnoſcebantque pro Numinibus maſculo-fœmininis, eo quod ſolos illos venerarentur ut principia activa rerum omnium; ſed a quorum ordinatione & diſpoſitione eſſet tamen etiam, quicquid in rerum natura ſeſe habet paſſive. Ex hac Aegyptiorum doctrina procul dubio defluxit illud Pythagoræorum placitum, Monadem, numerum primum, eundemque rerum omnium principium, Monadem, inquam, eſſe maſculo-fœmininam, quam in rem multa coacervavit *Meurſius* in *Denario Pythagorico Cap. III*, quæ apud ipſum legi malo.

IX. Hanc, quam dixi fuiſſe veram & antiquam Aegyptiorum de *Neitha* ſua doctrinam, luculenter inprimis teſtatur celeberrima illa Inſcriptio, in Adyto Deæ huius Saitico inſculpta, quam *Plutarchus* in *Lib. de Iſ. & Oſir. pag. 354* nobis conſervavit: Τὸ δ' ἐν Σάϊ τῆς Ἀθηνᾶς, ἣν καὶ Ἶσιν νομίζουσιν ἕδος, ἐπιγραφὴν ἔχει τοιαύτην, Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω ἀπεκάλυψεν. *Quod Sai eſt Minervæ, quam eandem cum Iſide arbitrantur, fanum, hanc habet Inſcriptionem: Ego ſum omne, quod exſtitit, eſt, & erit, meumque peplum nemo mortalium adhuc detexit.* Ex hac namque Inſcriptione intelligitur, qua ratione

Neitha

Neitha dicatur Dea maſculo-fœminina, quia nimirum rationes omnes totius rerum naturæ in ſe continet, eoque natura ipſa, nemini penitus & ab omni parte cognita, recte dici poſſit. Nolo tamen diſſimulare, fidem huius Inſcriptionis mihi non ſine cauſa ſuſpectam videri. Etenim non eſt ex veteribus quisquam, qui illius meminerit, ante *Plutarchum*, cuius tempore ſcientia literarum hieroglyphicarum iam dudum interciderat. *Plato*, qui ipſe in Aegypto peregrinatus erat, multa in *Timæo* de Sai urbe, de *Neitha* Dea, deque Sacerdotibus, illi conſecratis, refert. Ibidem confabulationis bene longæ *Solonis* cum ſacerdotibus Saiticis memoriam conſervavit. *Solonis* eiusdem, uti & *Pythagoræ*, & *Eudoxi*, aliorumque, in Aegyptum profectiones, ac inſtituta cum Prophetis illius regionis colloquia, Græci crebris ſermonibus celebrarunt, ſed de inſcriptione illa, memoratu, ſi quidquam aliud, digniſſima, altum ſemper, usque ad *Plutarchum*, ſilentium. Ea etiam, quæ in inſcriptione illa de Peplo *Minervæ* legas, *meum peplum nemo adhuc detexit*, calamum, non Niloticum, ſed Atticum prorſus, ſapiunt. Manifeſte nimis deſignant peplum decantatum illum *Minervæ* Athenienſis, qui in Panathenæis anno quovis quinto oſtendebatur. De illo *Virgilius* in *Ciri pag.* 15 edit. *Scaligeri*:

Sed magno intexens, ſi fas eſt dicere, peplo,
Qualis Erechteis olim portatur Athenis,
Debita cum caſte ſolvuntur vota Minervæ,

Tardave confecto redeunt Quinquennia luſtro. Plura dabunt in notis ad h. l. *Scaliger* & *Lindenbrogius.* Et tota hæc dictio non obſcure videtur alludere ad hiſtoriam inter Græcos non incelebrem *Stilponis*, de quo, cum aliquando per jocum aſſeveraſſet, *Minervam* non eſſe Θεὸν, *Deum*, quippe quæ ſit *Dea*, *Theodorus* atheus dixiſſe fertur: Πόθεν δὲ τοῦτ' ἤδει ὁ Στίλπων; ἢ ἀνασύρας (ſubintellige τὸν πέπλον) αὐτῆς τὸν κῆπον ἐθεάσατο; *Unde hoc noverat Stilpo? An forte, reducto Minervæ peplo, diſcrimen ſexus verendum in ea contemplatus eſt?* apud *Diog. Laert. Lib. II §. 116.* Sed bene eſt, quod inſcriptionem eandem, nonnihil pleniorem, & ad ingenium Theologiæ Aegyptiacæ paulo magis accommodatam, exhibeat *Proclus Lib. I in Timæum pag. 30.* Αἰγύπτιοι ἱστοροῦσι, ἐν τῷ ἀδύτῳ τῆς θεοῦ προγεγραμμένον εἶναι τὸ ἐπίγραμμα τοῦτο. Τὰ ὄντα, καὶ τὰ ἐσόμενα, καὶ τὰ γεγονότα, ἐγώ εἰμι. Τὸν ἐμὸν χιτῶνα οὐδεὶς ἀπεκάλυψεν, ὃν ἐγὼ καρπὸν ἔτεκον, ἥλιος ἐγένετο *Referunt Ægyptii, in Adyto Minervæ Saitico legi inſcriptionem hanc inſculptam: Quæ ſunt, quæ erunt, quæque fuerunt, ſum ego. Tunicam meam nemo revelavit. Fructus, quem peperi, fuit Sol.* Inſcriptio hæc iis verbis concepta eſt, ut a genuino Aegyptiorum Propheta proficiſci potuerit; nihil enim in illa a genio, placitis, ac ſtilo etiam, Theologiæ Aegyptiacæ recedit. Quodſi vero etiam largiar, Inſcriptionem iſtam confictam fuiſſe ab homine, qui ſcientiam hieroglyphicorum, diu iam amiſſam, ſatis

ſero, ſibi fidentius arrogaverit, aſſeverare tamen nullus dubito, redolere eam avitam & veram Aegyptiorum Theologiam, & ex illius placitis derivatam eſſe. Illuſtris eruditione *Cudworthus*, qui in hac ipſa inſcriptione Saitica cauſæ ſuæ præſidium non ultimum, idque iure merito, collocat, *pag. 342 Syſtematis intellect.* eam in rem opportune affert locum *Jamblichi* ex libro *de Myſt. Aegypt. Sect. VIII Cap. 5*, dignum, qui & hic repetatur: Ὑφηγήσατο δὲ καὶ ταύτην τὴν ὁδὸν Ἑρμῆς· ἡρμήνευσε δὲ Βίτυς προφήτης Ἄμμωνι Βασιλεῖ, ἐν ἀδύτοις, εὑρὼν ἀναγεγραμμένην ἐν ἱερογλυφικοῖς γράμμασιν, κατὰ Σάϊν τὴν ἐν Αἰγύπτῳ, τό τε τοῦ Θεοῦ ὄνομα παρέδωκε, τὸ διῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου. *Mercurius etiam hanc viam* (qua nempe adſcendendum eſt a cauſis materialibus & naturalibus ad cauſam ſpiritualem, mentem æternam,) *tradidit, eamque Bitys Propheta, inventam in ſacrariis urbis Saiticæ, in Aegypto, literis hieroglyphicis ſcriptam, regi Ammoni expoſuit, ut & Dei illius* (opificis) *nomen, quod per omnia penetrat.* Deus, qui per omnia penetrat, vel omnia permeat, eſt ſpiritus, qui totum mundum pervadit, eumque movet & vivificat. Vide *Horapollinis Hieroglyph. Lib. I Cap. 64.* Hujus Dei nomen *Bitys*, Propheta Aegyptius, aliis etiam memoratus, in ſacrariis Saiticis repererat, eoque ſatis docet, ſacerdotes Saiticos, hieroglyphicorum, illic repertorum, auctores, doctrinam de Spiritu, totum mundum permeante & omnia efficiente, ſollicite tradidiſſe. Et ad

quemnam Deum ſacerdotes hi doctrinam hancce ſuam referrent, quam ad *Neitham*, Numen ſibi unice cultum & carum? An non igitur probabili ratione concludere nobis licebit, nomen illius Dei nullum aliud fuiſſe, quam *Neith?* Doctrinam eandem aſſecutus eſſe videtur *Apuleius*, quando *Iſin*, quæ certo reſpectu a *Neitha* non differt, appellat *rerum naturam parentem Lib. XI Metam. pag. 259*, vel, ut in Cod. MS. Bibliothecæ Bodleianæ Oxonii aliquando ſcriptum inveni, *naturæ parentem*. Id clarius nobis vetuſtiſſimam Aegyptiorum Philoſophiam repræſentaret, quamvis tamen lectio etiam vulgata ſatis bene ſe habeat.

X. Eadem nempe de *Neitha*, mente æterna, ac opifice, tradebant *Saitici* Prophetæ, quæ Memphitæ & Thebani de *Vulcano*. Poteſt hoc ex Inſcriptione *Neithæ* Saitica novo etiam argumento confirmari, quandoquidem in illa Sol *Minervæ* huius, id eſt, *Neithae*, fructus appellatur. Ὃν ἐγὼ καρπὸν ἔτεκον, ἥλιος ἐγένετο, *Fructus, quem ego peperi, fuit Sol.* Hæc vero erat de *Vulcano*, Memphitarum ac Thebanorum, aut potius Aegyptiorum in univerſum, traditio ac doctrina, quam * alio loco expoſui. Hanc ipſam ob rationem *Vulcanum* Niligenæ venerabantur ut ** *patrem, avum, & progenitorem, Deorum omnium.* Quod quomodo intellectum cuperent Prophetæ Aegyptiorum,

* In *Obſervatione de Phtha, ſeu Vulcano Ægyptiorum*, §. XII.

** Vide *ibidem loc. cit.*

ptiorum, ex antiquiſſima doctrina *Orphei*, * antehac iam a me deſcripta, omnium optime diſcere licet. Doctrinam ea de re Aegyptiorum, quæ etiam ad *Neithae* Numen applicanda erit, etſi recentiorum Philoſophorum additamentis nonnihil interpolatam, *Iamblichus* nobis exhibet *de Myſter. Aegypt. Sect. VIII Cap.* 4. Sed nec omnia Ægyptii naturalia (vel ex cauſis naturalibus corporum unice pendentia) *eſſe dicunt; nam vitam animalem & intellectualem a naturali diſcernunt, non ſolum in mundo, ſed etiam in nobis; mentem & rationem per ſe exiſtere credunt, & ſic cuncta fieri exiſtimant. Atque eorum, quæ ſunt in geneſi, primum & præcipuum patrem* (προπάτορα) *affirmant eſſe Opificem. Quin etiam vim vitalem, tum ſupra cælos, tum in cælis, agnoſcunt: item purum intellectum collocant ſupra mundum, & unum impartibilem in toto mundo, & alium per omnes ſphæras diſtributum, neque ſola ratione hæc ſpeculantur, ſed etiam per religioſas operationes, hortantur adſcendere ad ſuperiora, univerſaliora, & ad ea, quæ ſupra fatum, nempe ad Deum ipſum Opificem.* Hic in brevi compendio exhibet *Iamblichus*, quæ alias de *Vulcano*, cui hæc proprie competunt, paſſim & ſparſim obſervavi, & quæ de *Neitha*, uti ex dictis liquet, conſimiliter dicenda veniunt.

XI. Non prætermittenda eſt ratio, ob quam Græci *Neitham* cum Ἀθηνᾷ, vel *Minerva* ſua, conferri quam optime poſſe augurarentur, eamque

* *Ibidem* §. *V, IX.*

que idcirco *Minervæ* nomine inſignirent. Id enim ad præſens meum argumentum quam maxime ſpectat. Et videtur vix alia, aut certe melior, comparationis huius ratio dari poſſe, quam Sapientia, quam in *Minerva* ſua Græci colebant, & quam Saitas ſimiliter in *Neitha* venerari intelligebant. Neminem fugit, Græcos *Minervam* honoraſſe tanquam ſapientiam & prudentiam *Iovis*, aut Deorum. Eam igitur non ex copula maris cum fœmina editam eſſe fingebant, ſed ex cerebro *Iovis* proſiluiſſe. Fabula hæc Græcorum quidem eſt, * non Ægyptiorum, qui *Minervam* non *Iove*, ſed ** *Nilo*, genitam fabulantur. Sed rem ſub cortice fabulæ græcanicæ latentem videntur omnino etiam Ægyptii agnoviſſe. Non diffiteor, in fabulis Ægyptiorum vulgatis parcam & raram *Neithæ* mentionem fieri, forte quia effectus naturæ adſpectabiles, & viciſſitudines in rerum natura ſpectandas, in quibus celebrandis fere tota verſabatur Theologia veterum Ægyptiorum, non immediate ad *Neitham*, verum ad alios minores Deos, *Solem*, *Lunam*, *Terram*, *Nilum*, *Aerem*, ſimilesque, referrentur. Sed ambigi tamen non poteſt, *Neitham* Ægyptiis deſignaſſe ſapientiam & pru-

* Hoc etiam ultro agnoſcit *Proclus in Timæum pag. 30.*

** *Cicero de Nat. Deor. Lib. III Cap. 23: Secunda* Minerva, *orta Nilo, quam Ægyptii Saitæ colunt.* Sic etiam *Arnobius pag. 135, 137,* & *L. Ampelius Libro memoriali Cap. 9.* Locutione hac nihil aliud ſignificatur, quam Numen illud eſſe Ægyptiis proprium.

& prudentiam, vel mentem æternam, omnia in mundo ſapienter decernentem, & prudenter ordinantem. Plus ſatis id teſtatur celebrata illa Inſcriptio Saitica, de qua §. *IX* diximus. Idem etiam ex *Proclo*, Commentatore *Platonis* inclyto, & veterum traditionum Ægyptiacarum, quales nempe Seculo poſt C. N. V ſupererant, indagatore perquam induſtrio, colligi aliqua ratione poteſt. Is enim, ubi de *Neitha Platonis* diſſerit, eamque inter & *Minervam* Athenienſem comparationem aliquam inſtituit, *Lib. I in Timæum pag. 30*, ex *Platone* obſervat, utramque eſſe φιλόσοφον & φιλοπόλεμον, *ſapientiæ & bellorum Patronam*. Et *Minervam* quidem Atticam habitam fuiſſe φιλοπόλεμον, *bellorum Patronam*, vulgo notum eſt. Declarat hoc ſatis fabula illa trita, quæ, eam armatam ex cerebro *Iovis* prodiiſſe, perhibet. Declarant idem quoque ſtatuæ & ſimulacra, quæ eam nobis totam armatam, caſſide tectam, thorace indutam, cum haſta & clypeo repræſentant, qualis ab Ægyptiis, quicquid etiam nuper * Vir eruditus nobis perſuadere annifus fuerit, fingi ſculpique certe non ſolebat. De *Neitha* Ægyptiorum res eſt magis dubia. Vero tamen diſſimile non eſt, Reges Dynaſtiæ Saiticæ, cum eſſent utplurimi bellis impliciti, quidam ex ipſis etiam rerum bello geſtarum gloria clari, *Neithæ*, Numini patrio, in bellum proficiſcentes ſupplicaſſe, & ſeſe tutelæ eius commiſiſſe, felices etiam ac proſperos in bello eventus ipſi in ac-

ceptis

* *Hiſtoire du Ciel Tom. I pag. 184, 185.*

ceptis tuliſſe, ſicuti fere *Seſoſtris* omnia ad *Vulcanum* ſuum referre conſueverat, teſte *Diodoro Siculo pag. 49, 53.* Sed reginam tamen quandam Thebæorum, in Ægypto ſuperiori, multo antiquiorem, eundem honorem *Neitha* quoque habuiſſe, teſtatur nomen, quod ſibi ab hoc Numine impoſuit *Nitocris*, quaſi dicas *Minervam victricem*. Vide ſupra §. *III.*

XII. Sed, *Neitham* ab Ægyptiis ſapientiæ Præſidem habitam fuiſſe, eoque potiſſimum Græcos eam dixiſſe *Minervam*, vel cum *Minerva* ſua comparaſſe, dubitandi omnino locus non eſt. Hinc enim factum, ut aliquis ex regibus Saitis *Pſammeniti* nomen geſſerit, quod reddi poſſe *eruditum a Minerva*, monuimus §. *IV*, quod nempe a *Neitha* ſapientiam exſpectandam eſſe cenſerent. Nec omittendum, quod *Proclus loc. cit. pag. 30* de *Neitha*, vel *Minerva* Ægyptiorum, hunc in modum obſervat: Δημιουργικήτις οὖν ἡ θεὸς, καὶ ἀφανὴς ἅμα καὶ ἐμφανὴς, ἐν οὐρανῷ τε λῆξιν ἔχουσα καὶ τὴν γένεσιν καταλάμπουσα τοῖς εἴδεσι. — οὗ δὴ μάλιστα καὶ ἡ κινητικὴ τοῦ παντὸς ἵδρυται δύναμις. *Eſt igitur Dea hac quædam Opifex, inviſibilis ſimul & viſibilis, cui Cœlum quidem ſortito obtigit, ſed quæ tamen generationes ſpecierum irradiat — ideoque cumprimis virtus conſtituta eſt, quæ cuncta movet.* De *Minerva* Ægyptiorum igitur id prædicat Auctor hicce, quod ** Poeta de Spiritu mundi:

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens

* *Virgilius Lib. VI Æn. 726.*

Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudumque genus, vitaque volantum
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore Pontus.

Quia porro Græci *Minervam* ſuam, ut ſapientiam, omniſque ſapientiæ fontem, coluerunt, in illius quoque tutela eſſe voluere artes, quippe quæ ingenio & ſapientiæ debentur, ac ſigillatim lanificii ac textrinæ inventionem ad eam retulerunt, cuius rei rationem non male explicat *Iſidorus Origin. Lib XIX Cap. 20.* Rei omnibus oppido notæ diutius non inhæreo. Non negavero, Ægyptios in honorem *Neitha* ſuæ ſimilia quoque tradidiſſe, etſi ex monumentis certis ac bonis id huc usque indubitate colligere nondum potuerim. Si *Tertulliano* credimus, inventionem lanificii ad *Iſidem*, matrem *Oſiridis*, quo nomine *Neitham* (matrem quippe Solis §. X) intelligere nobis liceret, Aegyptii retulerunt. Vide eum *de Pallio Cap. III*, ibidemque notas *Salmaſii pag. 202* &c. Sed vereor, ut hæc *Tertullianus* ex fontibus bonis ac limpidis hauſerit. Sacerdotes enim Aegyptiorum omnes uſum lanæ, velut rei impuræ ac omnino profanæ, abhorrebant, & non niſi lino amiciebantur, unde toties a veteribus *linigeri* nuncupari ſolent, ſicuti etiam *Iſidem* ipſam cognomine *linigera* haud raro ornari videmus. Error forte *Tertulliani* & aliorum, quos ipſe ſecutus eſt, ex eo fonte dimanavit, quod *Minerva* ovis lanata ſacra eſſet, eiusque imago

quæ

quædam viva putaretur, ſed, huic rei aliam ſubeſſe cauſam, infra docebimus. Illud vero non usque adeo a vero abludere videtur, Aegyptios textrinam lini *Neitha* ſuæ in acceptis tuliſſe. Eo videtur pertinere, quod *Euſtathius* obſervat in *Iliad. A. pag. 31* edit. Rom.: Πρώτη δὲ τις Αἰγυπτία γυνὴ καθεζομένη ὕφανεν. ἀφ᾽ ἧς καὶ Αἰγύπτιοι Ἀθηνᾶς ἄγαλμα καθημένης ἱδρύσαντο *Omnium prima mulier Ægyptia ſedens texuit, unde & Ægyptii ſimulacrum Minervæ ſedentis dedicarunt.* De vetuſtioribus *Minervæ*, etiam apud Græcos, ſimulacris tale quid obſervat *Strabo Lib. XIII pag. 413* (edit. Genevenſis): *Antiquorum Minervæ ſimulacrorum multa ſedentia oſtenduntur: ut Phocææ, Maſſiliæ, Romæ, in Chio, aliisque locis pluribus.* Quomodo iam in his *Minervæ* cum *Vulcano* conveniat, dicat pro me *Proclus* in *Theologia Platonica Lib. V Cap. XXIV pag. 297*, ubi ex antiqua fabula memorat, *Prometheum artes procurare, easque animabus quidem dediſſe, a Vulcano vero & Minerva accepiſſe.*

XIII. Quæ huc usque perſecutus ſum, ſpectant ad Theologiam Aegyptiorum de *Neitha* antiquiſſimam. Secundum illius placita, *Neitha* fuit æterna mens, quæ materiam inertem diſpoſuit, exque ea omnia creavit, quæ etiam de rebus omnibus prudenter decrevit, omnia ſapienter ordinavit, atque cunctis rebus providet. Sequiores gentis huius Theologi, ſive quod notionem illam huius Numinis generaliorem, quam expoſui, ad quædam magis ſpecialia extendere

vellent,

vellent, ſive quod priſcam rerum theologicarum doctrinam paulatim mutarent, & in ea nonnulla pedetentim innovarent, in *Neithæ* Saiticæ tutela Zodiacum ſigillatim eſſe voluerunt, ac nominatim primum Zodiaci ſignum Numini eius conſecrarunt. Docet id *Horapollo Hieroglyph. Lib. I Cap. 11: Videtur apud Ægyptios Minerva quidem ſuperius cæli hemiſphærium occupaſſe, Iuno vero inferius.* Superius hemiſphærium eſt, quod ab æquinoctio verno usque ad autumnale extenditur, atque cum vere æſtatem complectitur, idque Ægyptii conſecrarunt *Minervæ.* Inferius hemiſphærium comprehendit autumnum & hyemem, idque *Iunoni*, vel *Veneri* ipſorum, τῇ Ἀθὼρ, ſacrum erat. Confirmat hoc ipſum *Proclus Lib. I in Timæum pag. 30.* Ait enim illic, *Minervæ* Ægyptiacæ ſortem eſſe in cœlo, unde generationes mundi ſublunaris irradiet atque temperet, additque: Καὶ γὰρ τῶν ζωδειῶν ὁ κριὸς ἀνεῖται τῇ θεῷ, καὶ αὐτὸς ὁι σημερινὸς (lege ὁ ἰσημερινὸς) κυκλός· οὗ δὴ μάλιςά καὶ ἡ κινητικὴ τοῦ παντὸς ἵδρυται δύναμις. *Inter ſigna Zodiaci, aries Deæ huic conſecratus eſt, & ipſe circulus æquinoctialis, ideoque cumprimis conſtituta eſt virtus, quæ cuncta movet.* Ea de cauſa Saitis, *Minervæ* cultoribus, aries, vel, quod hic idem eſt, ovis, ſacra erat, tanquam vivum *Minervæ* ſimulacrum. *Strabo Lib. XVII pag. 559:* Τιμῶσι Σαῖται πρόβατον, καὶ Θηβαῖται. *Saitæ ovem colunt, quemadmodum & Thebæi.* Verba hæc *Clemens Alexandrinus* repetit in *Protreptico pag. 25* edit. Pariſ. Thebæi in

ſuperiori Ægypto arietem, vel ovem, colebant in honorem *Ammonis, Iovis* ſui, eidemque primum ſignum Zodiaci, quando Sol arietem ingreditur, dedicatum volebant, quod ſuo loco pluribus oſtendemus. Eadem igitur hic ratio erat *Minervæ*, vel *Neithæ*, apud Saitas. Et, quoniam Ægyptiis ſignum arietis annorum initium erat aſtronomicum, ad quod omnes annorum revolutiones maiores, quas in uſum ſuum excogitaverunt, tandem redibant, videntur illi eo ipſo hanc ſuam ſcientiam *Minervæ*, a qua eam didiciſſent, conſecrare voluiſſe.

XIV. Tempus eſt, ut nomen Ægyptiacum Deæ huius *Neith* nunc etiam interpretemur, eiusque verum ſenſum eruamus. In quo argumento plures video virium ſuarum periculum feciſſe, quos plane ſilentio prætermittere, nefas duco. Vir quondam in rebus huius generis plurimum exercitatus & magni nominis, *Euſebius Renaudotius*, exiſtimavit, nomen hoc * νηίθ Ægyptiis ſignificare *Deam*, illique nomen hoc ita impoſitum fuiſſe, quemadmodum apud Græcos nonnunquam *Minerva Dea* per excellentiam dicta fuerit. Et verum eſt, ⲛⲟⲩϯ, *Nuti*, Ægyptiorum ſermone ſonare *Deum*. Verum fateri oportebit cordatum quemque, nomen hoc, utpote appellativum, commune eſſe Numinibus Ægypti omnibus, cum tamen Νηίθ nomen fuerit pro-

* *Memoires de Literature de l'Academie des Inſcriptions de Paris Tom. II pag.* 275 edit. Paris.

proprium, quo Numen illud ab omnibus aliis Diis diſcernere voluerunt Ægyptii. Itaque de alia omnino nominis huius originatione cogitandum eſt. Eam nobis videtur ſuppeditare *Plutarchus*, dummodo ſit vera ac genuina. Verba eius ſunt in libro *de Iſid. & Oſir. pag. 376:* Τὴν Ἶσιν πολλάκις τῷ τῆς Ἀθηνᾶς ὀνόματι καλοῦσι, φράζοντι τοιοῦτον λόγον, ἦλθον ἀπ᾽ ἐμαυτῆς. ὅπερ ἐστὶν αὐτοκινήτου φορᾶς δηλωτικόν. *Iſi ſæpe imponunt nomen Minervæ, idque nomen* (Neith) *tale quid ſignificat:* Veni a me ipſa, *quo ſignificatur, eam a ſe ipſa moveri.* ⲛⲏⲓ certe (*nei*) Ægyptiis eſt *venire;* an vero ⲚⲎⲒⲐ (*Neith*) lingua illa ſignificare poſſit *eam, quæ a ſe ipſa venit*, vel procedit, ex paucis linguæ iſtius, quæ hodie ſuperſunt, reliquiis vix certo dijudicare liquerit. Id tamen ſatis apparet, quosdam ex Sacerdotibus illius gentis nomen hoc eo modo interpretatos fuiſſe, idque ex doctrina inter ſuos recepta de *Neitha*, quod non parum confert ad ea, quæ ſupra de Numine iſthoc adſtruximus, confirmandum. Exſtat & alia nominis huius interpretatio, quam debemus viro & linguæ & antiquitatum Ægypti longe callentiſſimo, B. *La Crozio*, qui in *Theſ. Epiſtol. Tom. III pag. 155*, *Nηϊϑ*, inquit, *eſt nomen fœmininum, quod certo ſcio* ⲚⲀⲎⲦ *fuiſſe in maſculino, miſericordem, &* ⲚⲀⲎⲐ *in fœminino.* Et iterum

p. 161: *Νηῒϑ enim eſt* ⲚⲀⲎⲦ *vel* ⲚⲀⲎⲐ, *quo nomine idem Ægyptiace in Pſalmis & alibi, ac miſericors Latine ſignificatur, quæ Numinis æterni proprietas lumine naturali etiam * apud ethnicos innotuit.* Eadem etymologia & mihi ante iam, quam hæc legerem, in mentem venerat; verum, cum deinceps cogitatis his attentius inhærerem, alia ſe obtulerunt, quæ mihi quidem & ſcriptioni Græcæ nominis νηῒϑ, & rei ipſi quoque, magis ſatisfacere viſa ſunt. Memoriam namque ſubiit, Coptos vocem Græcam πάλαι, *olim*, quaſi dicas *ab antiquo*, nonnunquam reddere ſolere ⲒⲤ ⲐⲚⲈⲒ, *Matth. XI*, 21, *Luc. X*, 13, cum aliis in locis eandem particulam πάλαι etiam transferant ⲒⲤϪⲈⲚ ϨⲎ, *a principio, Hebr. I*, 1. Ipſorum igitur ſermone ⲒⲤ ⲐⲚⲈⲒ ſignificat id, quod eſt *ab antiquo*, vel quod eſt *a principio*. Inde ſequitur, ⲚⲈⲒ, quæ eſt vocis huius radix, dici *antiquum*, vel id, quod aliis prius eſt & antiquius. Hinc iam addita litera ſervili eſt ⲚⲈⲒⲦ, *Neit*, vel ⲚⲈⲒⲐ, *Neith*,

* Hoc etiam cognomine *Venus* celebratur a Cypriis & Chalcedonenſibus. Vid. *Heſychium* in Ἐλεήμων.

Neith, id eſt, *antiqua*, nomen, quod ipſe Deus in Scriptura ſibi tribuit, *Dan. VII, 9, 13, 22*, quodque ſapientes gentium Numinibus quoque ſuis non infrequenter tribuere ſolent. Apud *Æſchylum* hoc ſigillatim nomine ornatur *Io*, quæ eſt *Iſis*, uti hæc rurſus cum *Neitha* certo reſpectu eadem eſt. Nam in *Supplicibus* eius chorus mulierum Ægyptiarum ita canit *v. 49 & ſeq.*:

> Ἐπαφόν τε γέννας ε-
> ονὶ' ἐπιλεξαμένα
> νῦν ἐν πιονόμοις
> ματρὸς ἀρχαίας τόποις.

> *Epaphumque eiusdem generis*
> *Invocans quoque*
> *In uberibus matris antiquæ locis.*

Magnopere vero *Diodorus* cumprimis originationem hanc illuſtravit, ubi *Lib. I pag. 11* ſcribit, τὴν δὲ Ἶσιν μεθερμηνευομένην εἶναι παλαιάν, *Iſidem, ſi nomen hoc interpretari velis, ſignificare antiquam.* Ipſum *Iſidis* nomen id non ſignificare, quod *Diodorus* affirmat, fatebuntur mecum, quicunque linguæ Copticæ notitiam aliquam ſibi compararunt; ſed verum id eſſe poteſt de *Neitha*, quæ ſecundum doctrinam Ægyptiorum eadem eſt cum *Iſide*. Et in hac quidem interpretatione omnino acquieſcerem, ſi certum penitus atque expeditum eſſet, ⲚⲈϮ Ægyptiis dici *antiquum*. Verum, quia in hoc negotio adhucdum me hærere fateor, malo iam *Neithæ*

nomen deducere a ⲚⲈⲤ, quod Ægyptiorum ſermone idem plane ſignificat, quod ⲐⲀϢ, *decernere, definire, ordinare.* Vide *Exod. VIII*, 12, *Matth. XXVIII*, 16. Hinc προθεσμία, *tempus ſtatutum, definitum, Gal. IV*, 2, vertitur ϮⲚⲈⲤ. Eſt igitur ⲚⲈⲤⲦ, *decernens, conſtituens, ordinans,* idem plane, quod nomen *Vulcani* Ægyptiacum ⲪⲐⲀϢ ſignificare, alio loco obſervavimus. Licet hinc non abſurde colligere, Ægyptios ſpiritum ſuum æternum *Vulcanum* & *Minervam* fato cuipiam abſoluto non ſubieciſſe, quod Stoicos feciſſe novimus, verum potius fatum, ſive rerum eventurarum ordinem certum & immutabilem, ex illius voluntate & decreto ſuſpendiſſe. Non latuit hoc *Apuleium*, apud quem *Iſis* ita loquitur: *Scies, ultra ſtatuta fato tuo ſpatia, vitam quoque tibi prorogare, mihi tantum licere. Metam. Lib. XI pag.* 260. Adde locum *Iamblichi*, ſupra adductum §. *X*. Optime igitur inter ſe conveniunt, uti re ipſa, ita nomine quoque, Ægyptiorum *Vulcanus* & *Minerva*.

XV. De ſimulacris *Neithæ*, deque ſymbolis, illam ænigmatice repræſentantibus, eoque in Ægypto religioſe cultis, vix eſt, quod addam. Ovem,

Ovem, vel arietem, ceu ſymbolum illius ſacroſanctum, a Saitis conſecratum fuiſſe, §. *XIII* oſtendimus. Neque tamen dubito, quin ipſi ſimulacrum quoque, in ſpeciem oris humani effictum, dedicatum fuerit. Id *Herodotus* mihi innuere videtur, quando *Lib. II Cap.* 172 de *Amaſi*, rege Ægyptiorum, ex Dynaſtia Saitica, commemorat, quod in urbe Sai, ἄγαλμα τῦ δαίμονος, *ſimulacrum Numinis*, in loco publico collocaverit. Numen enim Saitarum tutelare erat *Neitha*. Talia vero Deæ huius ſimulacra vere Ægyptiaca & antiqua, (recentiora enim, a Græcis forte in Ægypto efficta, hic non moror,) Numen noſtrum repræſentaſſe tanquam ſedens, docuit nos *Euſtathius*, cuius teſtimonio uſi ſumus §. *XII.* Niſi me vehementer opinio fallit, tale eius ſimulacrum in tabula Bembina, quæ vulgo Iſiaca dici conſuevit, contemplationi noſtræ objicitur. Ipſum tabulæ huius medium figura occupat, quæ in editione Amſtelædamenſi, opera *Andreæ Friſii* A. 1669 procurata, litéra *Z.* deſignatur, eaque nobis mulierem offert ſedentem, quam omnes *Iſidem* agnoſcunt. Ego vero, hanc eſſe *Neitham*, (quæ *Iſidis* nomen quoque gerit, §. *IX*,) non temere ſuſpicor. Nam *Iſidem* hancce pictam videmus ſedentem, quomodo *Neitham* antiquitus ab Ægyptiis repræſentari conſueviſſe, ex *Euſtathio* intelleximus. Hoc argumentum mihi nondum ſufficeret, niſi accederet & illud, quod in capitis ornatu, quem Scriptores appellare ſolent βασίλειον, *Ovidius Metam. Lib. IX*

v. 689 regale decus, gerat Scarabæum, ſymbolum *Neithæ*, de quo §. *I*. Denique nec hoc taceri debet, quod * alia occaſione iam monui, in hac figura tabulæ Bembinæ oculis noſtris obverti *ortum Caniculæ*; id enim rationes plurimæ, olim forte exponendæ, mihi perſuadent. Ortus vero Caniculæ medium fere, certe ſplendidiſſimum, locum hemiſphærii ſuperioris obtinet, quod *Neithæ* conſecratum voluerunt Ægyptii. Vid. §. *XIII*. Ab ortu etiam caniculæ Ægyptios quondam annum ſuum civilem auſpicatos fuiſſe, inter omnes conſtat. Et eam ob rationem, uti opinor, Sacerdotes gentis illius aſſeverarunt, hoc ipſum tempus eſſe mundi conditi, de quibus omnibus alias forte. Quis igitur Deæ huic, quam Ægyptii colebant ut opificem mundi, commodus magis in tabula tota locus aſſignari potuiſſet? Ad hoc pariter tempus, ſi quid iudico, referendum erit Feſtum illud, quod Sai quotannis pompa ſolenni ab Ægyptiis celebrari conſueviſſe, *Herodotus* ſcriptum reliquit *Lib. II Cap. 59, 62.*

* In *Miſcellan. Berolinenſibus Tom. VI pag. 140.*

V.

IO. IACOBI REISKE
LIBELLVS ANIMADVERSIONVM AD ALTERAM EDITIONEM BVRMANNIANAM PETRONII.

PARS

Pars III.

Ad pag. 371: *Circumminxero illum*) *Aliquem circummingere* & *commingere* metaphorice notat *ſummo dedecore afficere*. Hinc intelligendus difficilis ille ſimul & corruptus locus *Dionis Caſſii*, in *Oratione Q. Fuſii Caleni in Ciceronem pro Antonio, p. 338* fin.: εἰ δ' ἀπιςεῖς, ἀναμνήσθητι πῶς μὲν τοῦ Οὐέῤῥου κατηγόρησας, πῶς δὲ γέγραφας, (vel ſimile) καίπερ καὶ ἐκ τῆς τέχνης τι τῆς πατρώας αὐτῷ παρασχὼν, οἷ ἐνουρῆσαι. *Si vero negas & diffidis aſſerto meo*, quod aliter pronunties orationes tuas, aliter ſcribas, *memineris tantummodo velim*, *quam* languide καὶ ἀναιδῶς καὶ δειλῶς contra *Verrem* ἀπὸ ςόματος; *declamaveris, & quam acriter atque petulanter in ſcriptis orationibus eum exagitaveris*; *quamvis etiam perorans vilibus tuis & te tuoque inimico indignis conviciis prœbueris ipſi materiem, tibi viciſſim inſultandi; & quaſi memor artis paternæ matulam, in quam immingat, honoremque tuum, conſpurcet, ſubminiſtraveris*. Nam pater *Ciceronis* fullones aluiſſe, & inde quæſtum feciſſe, dicitur. Οἷ eſt *quo*. Summus quoque deſpectus & ultima infamia eſt, aliquem effuſa matula irrorare. Quod inſolentes Athenienſes per contemtum *Philippo* regi, patri *Alexandri*, aut potius eius ſtatuæ, fecerunt, ut narrat *Dio Chryſoſtomus pag. 465 fin.* loco, qui, vulgo corruptus,

ruptus, ſic legendus eſt: ἐτόλμησαν δὲ καὶ Φιλίππου τοῦ βασιλέως ἀμίδας κατασκεδάσαι, *auſi quoque ſunt in caput Philippi regis matulas effundere.* Bene quis in hos petulantes, at imbelles, Athenienſes illud Arabum applicaret:

لقد ذل من بالت عليه الثعالب, *ſane vilis eſt ille, quem vulpeculæ comminguunt. Ariſtoph. Veſp. v. 393:* μήποτε σοῦ παρὰ τὰς κάννας οὐρήσω, μηδ' ἀποπαρδῶ. *Schol.* Τουτέστιν, οὐκ ἐνυβρίσω σοῦ τὸ ἡρῷον, ἀλλὰ τιμήσω.

Pag. 372: *In molli carne vermes naſcuntur*) Vermes ſunt ſymbolum irarum, corrodentium, & ad conſilia vindictæ capienda perpetuo ſtimulantium. Mollis caro eſt ſymbolum animi placidi, cedentis, perferre injurias potentis, non ſtatim exæſtuantis. Sed tales animi, per ſpeciem contemtores iniuriarum, ſenſim atque ſenſim coacervant iras, alto ſub pectore repoſitas, & vermes quaſi generant; neque tam facile rurſus placari poſſunt, aut bona fide ſimultates exuere. *Plutarchus* quoque *T. II p. 457. B.* animos viles & molles iram fovere maiorem, quam animos magnos & generoſos, licet paulum impetuoſiores & imperioſos.

Fæcum emit) Palam eſt, hic requiri nomen proprium aut urbis, aut villæ, aut agri, aut montis, & quidem viniferi. Cogitavi de *Cæcubo*, ex illo *Varronis: Doti dato inſulam Chium, agrum Cæcubum, ſeplaſia Capuæ.* Sed propius ad literam acce-

accedit *Setium*, quod non multum aberat a Præneſte, & proinde quoque a Capua. Conf. *Martial. VI, 86,* & *Appianus pag. 674* medio.

Pag. 372: *Et ego regis filius*) Forte ex Cappadocia, vel Phrygia. Ita libertorum & paraſitorum ingenium. *Alciphron. pag. 428*: καὶ οὐχ οὕτω μ' ἔδακεν ἡ ὕβρις ὅσον τὸ παρ' ἀξίαν ὑπομένειν· ἐγὼ μὲν γὰρ Ἀνθεμίωνος υἱὸς τοῦ πλουσιωτάτου τῶν Ἀθήνησι, καὶ Ἀξιοθέας, τῆς κατὰ γένος ἐκ Μεγακλέους ὡρμωμένης (qui *Megacles* erat rex Sicyoniorum).

Pag. 373: *homo inter homines ſuos*) Supra *p. 358* in Nota *Erhardi*: *Bene tibi fecerunt, cineroſe & cacabate* (id eſt, cineribus & cacaborum fuligine ſordide,) *qui, cum homo non ſis,* (homo ſcilicet ingenuus, qui iure poſſit inter ingenuos comparere,) *quare te in medio hominum dare præſumſiſti?*

Capite aperto ambulo) Nullius mali mihi conſcius, neque indigus operculi, quod me ab oculis creditoris velet. *Lucianus Pſeudolog.*: ἀλλ' ἥτε ἀκολασία γυμνοτέρα, καὶ ἡ αἰσχρουργία σοι ἐκεῖ ἐπιφανεστέρα, καὶ τοὔνομα ἐπὶ τούτοις μεῖζον, καὶ ἐπὶ πᾶσιν ἀκάλυπτος ἡ κεφαλή. Quod veteres variis occaſionibus conſueverint caput operire, ut pudore ſuffuſi, aut ad triſte & exoſum ſpectaculum, iam dixerunt interpretes ad *Cap. 7 p. 46.* Afferam tamen etiam ego exempla quædam. *Herodotus V, 67*: ταῦτα δὲ εἰπὼν καὶ κατακαλυψάμενος ἤιε ἐκ τοῦ θεήτρου ἐς τὰ ἑωυτοῦ οἰκία, nempe pudo-

pudore ſuffuſus; quoniam a regno depoſitus fuerat. Conf. *Plutarch.* I, 849, A. 859, E, *Xenoph. Sympoſ.* 874, C, συγκαλυψάμενος κατέκειτο; propter mœrórem; ut ſequitur: ἀλλ' ἡ ὀδύνη σε εἴληφε. *Philoſtr.* I. *V. A. T.* p. 44. f.: ὑπὸ μὲν δὴ λόγων τούτων ὁ Δάμις οὕτω διατεθῆναι φησὶν, ὡς ξυγκαλύψασθαί τε ἐφ' οἷς εἰρηκὼς ἔτυχε, παραιτεῖσθαί τε τὸν Ἀπολλώνιον ξυγγνώμην αὐτῷ ἔχειν. Ubi vid. *Olear.* Idem *Cap. XXI* p. 26: ὁ δὲ τὸν ἄνδρα ἰδὼν αὐχμοῦ πλέων ἀνέκραγε τε, ὥσπερ τὰ δειλὰ τῶν γυναίων καὶ ξυνεκαλύψατο, quaſi territus ad horridum ſpectaculum viri ſqualidi, ipſe mollis & delicatulus. *Ariſtides II pag.* 59 *antep.*: ἆρ' ἀφυκτὰ αὐτοὶ ἐρωτῶν φήσομεν καὶ συγκαλυψόμεθα; *ſcilicet pudore ſuffuſi, quod reſpondere neſciamus. Libanius T. II pag.* 171: μηδ' ἀποπέμψῃς ἄπρακτον εἰς τὴν πατρίδα, κύπτοντα, ἐρυθριῶντα, ἐγκεκαλυμμένον, αἰσχυνόμενον. Lucem hæc obſervatio accendit iſti eiusdem *Libanii* loco in *Panegyr. in Iulianum Imp. Coſ.* p. 242. D. ubi *Cyro* ipſum componit: ὑποχωρείτω τοίνυν τῷ βασιλεῖ ὁ Κῦρος ἐν θεοφιλῶν κρίσει· καὶ γὰρ εἰ τοῦ ποιμένος ἔτυχεν ἐς σωτηρίαν, ἀλλὰ μεμάχηται γε τῷ πάππῳ, καί τι καὶ πλέον, ὡς Ἰσοκράτης φησὶν, ὅθ' ὁμοῦ Μήδους τε εἶχε καὶ συνεκαλύπτετο. σοὶ δὲ κάλλιων τοῦ κληθέντος ὁ τῆς κλήσεως τρόπος. καθαρᾷ τῇ χειρὶ προσελθόντι πρὸς τὸ πᾶν. Quem locum prorſus non intellexit Fed. *Morellus*, homo ineptus, qui debuerat omnino ab interpretatione *Libanii* abſtinere, cui par non erat, & in qua vix locum reliquit, ubi digitum ponas, a craſſæ notis ignorantiæ &

inſanæ

inſanæ fatuitatis vacuum. Verũ ſic debet: *Ergo noſtro Imperatori etiam magnus ille Cyrus concedat in negotio comparationis* τῶν θεοφιλῶν, *regum, qui Diis cari fuerunt. Nam, etſi Cyrus paſtorem nactus fuit a fautrice fortuna ſuæ vitæ conſervatorem,* (quod Dii nemini, quem non ament, conceſſuri merito reputantur,) *verum tamen in eo ſe indignum titulo* τȣ̃ θεοφιλȣ̃ς *fecit, quod avo ſuo bellum intulit, &, ut ait Iſocrates, etiam aliquid plus quam bellum*, (jacturam regni, & necem,) *adeo ut uno eodemque tempore & regnum acceperit Medicum, & opus habuerit*, (ob inique raptam poteſtatem, & parricidii crimen,) *caput obvelare. Tibi vero modus acquiſiti* (regni) *ipſo acquiſito* (regno) *pulchrior atque deſiderabilior contigit*, quandoquidem *manu a ſanguine pura ad capeſſendam ſummam poteſtatem acceſſiſti.* Hinc etiam pro ſumma ὕβρει & afflictione reputatum, aliquem ἐγκεκαλυμμένον vi ἀποκαλύπτειν. *Dio Caſſius*, triſtem *Sejani* narrans exitum, *Lib. LVIII pag. 702:* ὃν ςεφάνων πρότερον ἠξίȣν, τȣ́τῳ τότε δέσμα περιέθεσαν. ὃν δ' ἐδορυφόρȣν ὡς δεσπότην, τȣ̃τον ἐφρȣ́ρȣν ὡς δραπέτην, καὶ ἀπεκάλυπτον ἐπικαλυπτόμενον, καὶ ὃν τῷ περιπορφύρῳ ἱματίῳ ἐκεκοσμήκεσαν, τȣ̃τον ἐπὶ κόῤῥης ἔπαιον.

Aſſem ærarium nemini debeo) *Plaut. Pœn. III, 130. ſq.*

Pag. 377: febriculoſus) Sic reſcripſi olim pro vulgato *læticuloſus*. Cuius me facti nunc pœnitet, poſtquam deprehendi, *blacticuloſus* legendum eſſe. *c* & *e* ſimilia eſſe, & ſæpe permutari, palam eſt. Forte *b* ante *l* fuit ob præ-

cedens

cedens υ omiſſum. Voces Græcæ Βλὰξ, βλακεία, βλακεύειν, ignotæ ſunt nemini. Ab hac venit vox Latinis haud dubie uſitata, *blacticuloſus*. Derivationis rationem monſtrabo. A *febris* fit *febricus* (a quo *febricitare*). A *febricus* fit *febriculus*; cuius fœmininum *febricula* neminem latet. Inde fit *febriculoſus*. Sic a *blax* fit βλάκος & βλάκτος. Ab hoc fit βλακτὴς & βλακτὴρ. Ab hoc βλακτὴρ venit Latinis uſitatum verbum *blactero*, *deblactero*, quod ſequens ætas male mutavit in *blatero*, *deblatero*, eiecta litera eſſentiali, & ſervili retenta. Sed a βλακτὴς venit βλακτικὸς, ab hoc *blacticulus*, βλακτίκυλος, & inde *blacticuloſus*. (Terminatio enim in υλος bene Græca eſt, & eſt forma deminutiva, ut apparet ex Ἀνθράκυλλος apud *Ariſtophanem Acharn*. 612: τί δ' Ἀνθράκυλλος, non, ut vulgo male circumfertur, τὶ δαὶ Δράκυλλος.) Quod autem *deblactero* ſcribendum ſit, non *deblatero*, probat *Feſtus* p. XLVII: *Deblacterare eſt ſtulte loqui; nam Græci βλάκας ſtultos appellant*. Et *Cæcil. Hymn.* quem *Bourdelotus* infr. *pag*. 801. *a*. ſic citat: *Sine* (id eſt, deſine,) *blacterare*, *nihil agit in amore inermis*. Βλὰξ Græcis idem eſt atque ἀμαθὴς, ἀναίσθητος, εὐήθης, μωρός. *Heraclitus*: Βλὰξ ἄνθρωπος ἐπὶ παντὶ λόγῳ ἐπτοῆσθαι φιλεῖ. Inde βλακεύειν, contumacem ſe præbere, & indocilem; quod non perſpexit *Morellus* in iſto *Libanii pag*. 170 C.: εἰ δὲ σοφιστὴς ἡμῖν ἐτύγχανες (πάντως δ' ἂν, εἰ μὴ τοῦτο ἤσθα τὸ μέγιστον καὶ θειότατον, ἀντηγωνίζου μοι νῦν) (ſic diſtinguendum)

ἔπειτα

ἔπειτα τῶν σῶν τις ὁμιλητῶν ἐβλάκευεν· ἆρ' ἂν ἐπέτρεπες. οὐκ ἔστι. ἀλλ' ἐσήγετ' ἂν τό σκύτος. οὕτω δὴ καὶ νῦν ἅπασα πόλις μαθέτω τὴν Βασιλέως ἐπιδημίαν φέρειν. *Quod ſi Sophiſta fores*, o Iuliane Imperator, (*procul dubio autem concertares nunc mecum in palæſtra ſophiſtica & rhetorica, niſi maximum illud & divinum fores*, nempe Imperator,) *& tunc aliquis diſcipulorum tuorum contumacem ſe atque indocilem exhiberet, an id ipſi impune permitteres? Neutiquam. Sed introduceres tecum in ſcholam ſcuticam* (vel *ferulam*), *& in uſum vocares. Ergo nunc quoque diſcat urbs regis hoſpitis præſentiam ferre.* Adhuc noto, quod inadvertentia quadam contigerit, ut comma, vel punctum, poſt *ma* (in *nec mu nec ma*) ponendum, exciderit, rogoque *Petronii* & harum notularum noſtrarum lectores, velint illud ſuis exemplaribus adpingere. Senſus eſt: tu blacticuloſus, qui nec mu, nec ma, potes effari præ ſtupore, tune argutas? Ita referunt Arabes de celebri illo ſuo μωρῷ, *Bakel*, باقل (βακήλῳ); quod, cum aliquando agens coram ſe capellam, quam emerat, interrogaretur, quanti eam emiſſet, non reſponderit verbis, ſed omnes ſuos decem digitos exſeruerit, & linguam ex ore; quo geſtu indicare volebat, ſuum pecus undecim drachmis emtum fuiſſe.

Pag. 378: *lentior cantbelio*) Sic repoſui pro vulgato *lentior, non melior*. Quod non debueram. Eſt quidem peſſima latinitas, *lentior non melior*;

melior; ſed erat eorum temporum & hominum. Vid. Not. ad *pag. 448 tanto melior*. Canthelium eleganter deſcribit *Apulejus pag. 709*. Vid. quoque *D'Arnaud Animadv. Cap. IX p. 50*, ubi elegans *Soſibii* fragmentum tractat, ſed præter unam atque alteram emendationem, easque doctas, non multum affert, quo iuvemur. Hic locus non eſt, erit alibi, elegans illud monumentum integre correctum edendi.

Ibid. *Homini megaloſto & dignitoſo*) Id eſt, homini μεγάλου ἀξιώματος. *Dignitoſus* idem eſt atque ἀξιωματικός. *Megaloſto* autem ut ſcriberem, inducebat me *Herodotus*, apud quem eam vocem me legiſſe, tunc temporis erat in recente memoria. Sed locum nunc non reperio. *Stephani* quidem *Theſaurum* excutiens, reperio μεγαλωςὶ ex *Herodoto* citatum, item ex *Apollonio Rhodio*, *Luciano*, & *Homero*, (a quo habuerunt omnes, qui ea voce uſi ſunt,) ſed μεγαλωςὸς non reperio. Locus *Homeri* eſt *Iliad.* Π.: Κεῖτο μέγας μεγαλωςὶ, quem expreſſit & imitatus fuit *Ariſtides Tom. II pag. 250, 9*: ἡ μὲν θάλατλα ὥσπερ ζώνη τις ἐν μέσῳ τῆς οἰκουμένης, ὁμοίως δὲ καὶ τῆς ὑμετέρας ἡγεμονίας, τέταλαι (ſic legendum, non τέτυκλαι,) περὶ δὲ αὐτὴν αἱ ἤπειροι μεγάλαι μεγαλωςὶ κέκλινλαι. Ex hoc loco poſſit aliquis in eam venire ſuſpicionem, *Homerum* non κεῖτο, ſed κλῖτο, ſcripſiſſe. Qua de re videant alii. Mihi non placet, quod *H. Stephanus* cenſet, μεγαλωςὶ fieri ex μεγάλως per appoſitionem particulæ τὶ. Ego vero putem, ut a πολλὸς (anti-

qua

quia forma) fieri μεγαλεςός: & ſic ab adverbio μεγάλως, μεγαλωςὶ, πολλωςὶ, νεωςί. Verum, ut fatear, ipſi mihi nunc diſplicet mea mutatio. In Codice eſt *mali iſto*. Forte fuerat rectius *maliſto*, μαλίςῳ, id eſt, μεγίςῳ. Quod adjectivum ſit μάλιςος, apparet non tantum ex comparativo neutro μᾶλλον, ſed etiam ex vulgatiſſima phraſi τὰ μάλιςα, & ex illa τὰ μάλιςα ἁμαρτάνειν, quæ, ut palam eſt, idem notat atque uſitatior altera τὰ μέγιςα ἁμαρτάνειν. Occurrit illa apud *Dionem Chryſoſtomum* p. 474. A.: τοῖς θεοῖς ἐγκαλῦμεν, ὡς κακῶν παρέχουσι τοῖς ἀνθρώποις αἰτίας, καὶ ὔ φαμὲν αὐτὺς εἶναι δικαίυς, ὐδὲ φιλανθρώπυς, ὅταν τὰ μάλιςα ἡμῖν ἡμαρτηκόσιν ἐπιτιμῶσι σὺν τῇ δίκῃ. Quo in loco aut dicendum eſt, τὰ μέγιςα legi debere pro τὰ μάλιςα, aut concedendum, τὰ μάλιςα & τὰ μέγιςα unum & idem eſſe; aut tandem τὰ μάλιςα conſtruendum cum verbo ἐπιτιμῶσι.

Cepa capillata) Sic ſcripſi, recte, ut puto pro vulgato *cepa pirrata*. Conf. *pag.* 385: *Longe tibi ſit comula iſta beſſalis*. Caput humanum ſolet cum cucurbitis, & capitibus papaveris, & in genere cum omnibus fructibus bulboſis, comparari; ideoque etiam cum cepis. *Hermippus* apud *Athenæum pag.* 59. C.: τὴν κεφαλὴν ὅσην κολοκύνθη ἔχει. Unde forte habet *Apulejus pag.* 409. Confer. *Plutarch.* I, 70, D, E, & *Bourdelot.* *ad pag.* 652 *b. lin.* 29 *ſeq.* Quod autem addit *capillata*, reſpicit ad filamenta, e cœpis dependentia. Sed ſimul eſt valde invidioſum, & virulen-

rum. Nam per *capillatos* ſolebant *pathicos* denotare. Vid. *Apulej. pag. 709*, & *Salmuth* ad *Panciroll. Nov. Rep. Cap. VIII p. 371*, qui ſine dubio ex *H. Junio de Coma* habet.

O Saturnalia. Rogo menſis December eſt?) Male hinc infertur, hanc cœnam fuiſſe habitam menſe Decembri, ipſis Saturnalibus. *Io Saturnalia* clamabant, quoties cumque volebant dicaci ſervo, aut ſuperbo liberto, os obturare. Clare patet hoc ex *Dione Casſio pag. 779, B.* Milites in Britanniam ire juſſi ὡς ἔξω τῆς οἰκουμένης στρατεύσοντες ἠγανάκτουν, καὶ οὐ πρότερόν γε ἐπείσθησαν πρὶν τὸν Νάρκισσον ὑπὸ τοῦ Κλαυδίου πεμφθέντα ἀναβῆναί τε ἐπὶ τὸ τοῦ Πλαυτίου βῆμα, καὶ δημηγορῆσαί τι ἐθελῆσαι. τότε γὰρ πολλῷ που μᾶλλον ἐπ' αὐτῷ ἀχθεσθέντες οὔτε τι ἐκείνῳ εἰπεῖν ἐπέτρεψαν, συμβοήσαντες ἐξαίφνης τοῦτο δὴ τὸ θρυλλούμενον, ἰὼ σατουρνάλια. ἐπειδήπερ ἐν τοῖς Κρονίοις οἱ δοῦλοι, τὸ τῶν δεσποτῶν σχῆμα μεταλαμβάνοντες, ἑορτάζουσι. καὶ τῷ Πλαυτίῳ εὐθὺς συνείποντο αὖθις ἑκούσιοι.

Quid faciat?) Ut τί ποιήσει; *Syneſius* in *Dione*: τί, ποιήσει; ποῖ καὶ τρέψεται; Ita *quid agat?* pro, quid ageret, vel aget? *Plaut. Capt. III, 4, 79.* Convertit ſermonem, & ad ſe, vel alium proxime accubantem, loquitur, ut ſæpe in dramatibus. Ita *Plaut. Trinum. II, 4, 15.*

Pag. 383: *egregii*) Ironice. Sic & apud Græcos χρηστός. Exemplis parco in re nota & triviali. Ad *geugæ*, videant alii, num quid faciat *gugga Plauti Pœn. V, 2, 17*, ubi notat impoſtorem nigrum, Afrum, *einen Ziegeuner*, ut Germani appel-

appellant, *un Egyptien*, ut Galli, *een Heyde*, ut Batavi. *Qui tibi non imperant*, id eſt, qui te non coercent, non retinent in officio, *qualis dominus, talis & ſervus*. Ἄξιος τοῦ δεσπότου δοῦλος, *Achill. Tat.* pag. 401, 7. [illegible]

Pag. 384. *mur*) Ob deſpectum, parvitatem, & naſutum ingenium. Solent enim ſæpe mures audaces e cavernis prodire, & in feles incidere. Sic tu quoque, ait, in me incidiſti. Probe te deſpectum. Alias paraſiti mures appellantur, quia regum ſuorum panes & pernas, [illegible] arrodunt. Vid. *Plaut.* Quo reſpectu *Victor Epit.* 41. etiam ſpadones appellat *tineas & ſorices palatii*. Alias veteratores, [illegible], appellabant *ſtelliones*. Conf. *Plutarch.* II, 632, C.

Pag. 385. *Longe tibi ſit*) Id eſt, efficiam, ut nihil tibi proſit. Conf. *Dukerus* ad *Flor.* II, 2, 8, pag. 218. *Longe illis mantica artes.*

Athana) Jurabant etiam mares per Minervam temere, id eſt, nullo certo reſpectu ad *Minervam* καθ' ἕξιν habito. *Philoſtratus V*, 29, pag. 212: καὶ τὰ τὴν Ἀθηνᾶν — [illegible] Vid. *Olearius* ad IV, 27, n. 6, pag. 155. Sed debueram *Sathana* ſervare, quod confirmari e *pag.* 216, 1, *Petronii* huius, adſcripſi meo exemplari. Sed procul dubio aliud volui ſcribere, & manus aberravit. Legi certe aliquid, quod me potuit a mea mutatione alienare. Neque valet obiectio, *Petronium*, inde effici, Chriſtianum fuiſſe, aut ſaltem Traguriani fragmentum ſuppoſitum. Id adhuc controverſum eſt. Sunt apud Latinos

Auctores, præſertim poſteriores, quæ illos eodem ex capite νοθείας poſſent ſuſpectos reddere. Ut mihi certe mirum accidit, apud *Apulejum pag.* *766* toties *matrem Domini* commemorari. Sed annon potuit *Apulejus* de *Maria* virgine inaudiviſſe; & *Petronius* de Sathana? Et an non potuerunt hi convivæ?

Pag. 386: *Qui te primus de cureo deficit*) Id eſt, qui te nuper ex tonſtrino in ſuum ſervitium tranſtulit. *Primus* hic poſitum pro *primum*, id eſt, nuper. *Virg. Æneid. I, 28. Ælian. Var. XII, 64*: σῶμα ἐν ᾧ τὸ πρῶτον ἐνῴκησε. *Philoſtr. III, 43, pag.* 131: ἐπειδὴ γὰρ πρῶτα ἐνέτυχον, *quum primum incidebant. Dio Chryſoſt. pag.* 106. Οἱ τὰς πρώτας ἐπιδημήσαντας τῇ πόλει, *recens, vel pridem, vel prima vice, in urbem allatos*. *De cureo* feci ex vulgata *de vero*. Quod *Giton* fuerit tonſor, aut in tonſtrino verſatus, haud obſcure apparet ex *Cap.* 94: *Hæc locutus Giton, mercenario Eumolpi novaculam rapit* —— *Rudis enim novacula & in hoc retuſa, ut pueris diſcentibus* (artem barbatoriam) *audaciam tonſoris daret.* Item *Cap.* 108: *Tunc fortiſſimus Giton ad virilia ſua admovit novaculam infeſtam,* —— *qua jam ſibi cervicem præciderat.*

Pag. 388: *lemma*) Sic ſcripſi pro *lamna*. Conf. *Wolfius* ad *Liban. pag.* 288, *Galenus I pag.* 119 *lin.* 42 ed. Baſil. *Plutarch. Lyſandr. pag.* 819 ed. *Stephan. lin.* 11. Corrigam hac occaſione *Arrianum Epictetum Lib. I Cap.* 7 *pag.* : 102 ed. Cantabr.: Οὐκ ἂν ἐλήλυθεν ἡμῖν; ὡς ἡ περὶ τῶν συναγόντων λό-

γυνὴ καὶ τρόπου πραγματεία καὶ γαμικὴ ὠφέλιμος καὶ ἀναγκαία πέφηνεν· ἀλλὰ δὴ ἐστὶν ἐξ ὧν δεδώκαμεν ὑγιῶς τὰ λήμματα, καὶ συμβαίνειν τι ἐξ αὐτῶν. Sic legendum. *Libanius II p.* 515 *D.* ἄνθρωπος οὗτος δυοῖν λημμάτοιν ἐκκαρποῦται τὴν πόλιν. Sic legendus & hic locus. *Hic homo pro duobus* (quæ novit) *axiomatibus* (aut *ſyllogiſmis*) *expilat urbem.*

Pag. 389: *Currit & de loco non movetur*) Conf. *Plato de Republ. IV pag.* 642 *C, D.* Aliquatenus etiam huc pertinet illud *Lucilii pag.* 5 ed. *Douſ. Ergo oculis equitat &c.*

Qui te natum non putat) *Ariſtoph. Veſp.* 556: ὅς μ' οὐδ' ἂν ζῶντ' ᾔδει, ubi Schol. ὅστις οὐδ' ἂν λόγου με ἠξίωσεν.

Pag. 390: *Anulos*) Servorum quoque geſtamen anulos fuiſſe, fere concludas ex illo *Plauti Caſin. III, 5, 63: Soleas tibi dabo, & annulum in digito aureum.* In *Trinummo IV, 3, 7. Staſimus* queritur, ſibi anulum a ſui ſimilibus ablatum. Sane probabile non eſt, omnes fuiſſe equites, quos commemorat S. *Jacobus in Epiſtola* ſua δακτυλιοφόρους.

Occuponem) Quem Græci κερδῷον, & κλήσιον apud *Plut. II, 838, A.*

Pag. 393: *mufrius*) Eſt vox Syriaca, ut *Malchus*, unde Trimalchio, *Ambubaje*, *Mampbula*, & aliæ, notatque *magiſtrum*, *doctorem*, idem, quod Hebræis *Rabbi*. Conf. Præfatio *Pocokii* ad *Hiſtoriam Dynaſtiarum Abilfaragii*, ubi hic in titulo appellatur مفرينا, *Mu-*

ſtrina, doctor noſter. Sed, quid huc faciat ratione ſenſus, non extrico.

Pag. 393: *recta domum, cave circumſpicias,*) *Xenoph. Republ. Lacед. p. 679 B.*: τὸ αἰδεῖσθαι ἰσχυρῶς ἐμφυτεῦσαι (ſic leg.) βουλόμενος αὐτοῖς καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐπέταξεν ἐντὸς μὲν τοῦ ἱματίου τὼ χεῖρε ἔχειν, σιγῇ δὲ πορεύεσθαι, περιβλέπειν δὲ μηδαμοῖ, ἀλλ' αὐτὰ τὰ πρὸ τῶν ποδῶν ὁρᾷν. *Ariſtides T. II. p. 95. lin. 7, 8*: τί δὲ; οὐχὶ καὶ αἱ τίτθαι τοῖς παιδαρίοις ταῦτα λέγουσι; καὶ οἱ γραμματισταὶ, καὶ οἱ παιδαγωγοὶ; ὑπερεμπιπλᾶσθαί σε οὐ χρή. καὶ βαδίζειν ἐν ταῖς ὁδοῖς ὅτι χρὴ κοσμίως, καὶ τοῖς πρεσβυτέροις ὑπανίστασθαι, &c.

Pag. 394: *Scordalias*) Id eſt, convicia ſordida, fœtida, alliorum inſtar, Germanice *Stankereyen.* Putatur eſus allii pugnaces facere. Conf. *Ariſtoph. Acharn.* de Thracibus ἐσκοροδισμένοις *verſ. 155.* Sic idem quoque *Agoracrito* præbet allium (*Equit. 490.*) tanquam gallo pugnaturo. ἵν' ἄμεινον, ὦ τᾶν, ait, ἐσκοροδισμένος μάχῃ. Inde σκοροδάλμην τινὸς καταςπένδειν (*Equit. 1093*) idem eſt atque opprobria, convicia, infamiam ſummam, in aliquem effundere, aliquem putidum facere, ut Scriptura loquitur. Item σκορόδοις ἀλείφειν idem eſt atque παροξύνειν, *Pac. v. 501.* Ita μυττωτεύειν τινὰ Græci dicunt, id eſt proprie, aliquem moreto, ex allio, cepis, & muria, parato, & deinceps metaphorice conviciorum iuſculo, perfundere, a cuius fœtore omnes procul aufugiant. *Ariſtoph. Veſp. v. 63. Plaut. Pæn. V. 5, 35. Scordon* autem veteres pro *Scorodon* quoque dicebant. Vid. *Herodot. IV, 16.*

Pag.

Pag. 395: Prai, mitis, hilaris,) Id eſt, πρᾶοι, *mites, hilares*. Vulgata quondam erat *aprimitis hilares*, Mutavi *hilares* in *hilaris*, ob præcedens *mitis*. Sed opus non fuerat. Sic enim etiam *Apulejus p. 412: teneras & teretis & mel ſimiles genas*, ubi non opus, ob ſimilitudinem vel *teretes*, aut *ſimilis*, ſcribere. Sed eſt res levis. Coniungit *Themiſtius p. 89, 5*, πρᾴως & μειλιχίως. *Libanius pro templis p. 7 ed. Gothofr.* ἤπιος καὶ πρᾶος. *Plutarch. I, 52, F.* πρᾴως, & ἱλαρῶς. Πρᾶος ad mentem & mores, ἱλαρὸς ad vultum pertinet. Videbitur emendatio mea quibusdam ideo dubia, quod idem ſit atque tautologum *prai & mites*. Verum eſtne *Trimalchio* talis homo, in quem ineptiæ & corruptus ſermo non cadant? Sit tautologus. Id facit in rem *Petronii* noſtri. Eo videbitur ineptior, ſtolidior, & magis ridiculus. Et præterea obſervavi haud pauca vel apud optimos ſcriptores aperte tautologa, quæ, ſi opus foret, hic poſſem expromere. Agedum, oſtendamus ſpecimen, in ordine ſervando non multum ſolliciti. *Euripid. Ion. 594*: μηδὲν καὶ οὐδὲν ὢν κεκλήσομαι. *Ariſtoph. Lyſiſtr. 10, 37*: ὀρθῶς κοὐ κακῶς εἰρημένον. *Nicander Ther. 478.* σκολιὴν καὶ οὐκ ἰθεῖαν. *Themiſt. p. 306, C*, βούλεται καὶ ἐθέλει, quod habet ex *Platone p. 642, F*, qui ut duo diverſa ponit. *Ælianus V. H. I, 31*, ὄντες ἐν γεωργίᾳ, καὶ περὶ γῆν πονούμενοι. Idem *IX, 16*: διὰ τὸ εὔυδρον, καὶ ὅτι ποταμοῖς ἐστι κατάρρυτος. *Dio Chryſoſtom. p. 221*: περὶ ἀπαιδείας, εἰ τοὶ μὴ γίγνοιτο παῖδες. *Demoſthenes de Coron.* ἐγὼ ὁ βάσκανος εἶτος καὶ κεκραγώς. *Æſchines* ὁ ῥίτωρ...

φρονέοντες, βλέποντες ἔνδοθεν ὑμῶν ὑφελόμενοι. *Plutarch. Vit. ar.* p. 388 ed. *Steph.* τραφεὶς ὑπὸ μητρὶ χήρᾳ, πάντες ὀρφανός. Poterat poſterius abeſſe. *Herodot. IV, 161*: χωλὸς καὶ οὐκ ἀρτίπους. *VII, 222*: ἀέκοντες καὶ οὐ βουλόμενοι. *Æſchylus* valde frequenter e. c. *Agamemn. v. 70*: ὑποκλαίων, ὑπολείβων, δακρύων. *Ariſtophan. Theſm. 801*: εἴπερ ἀληθῶς ἔνδοθεν εἴρηται φαῦλον τὸ κακόν, καὶ μὴ καταλαμβάνετ' ἔνδον. *Euſtathius* quidem poſſet etiam huc ſymbolam ſuam conferre, qui *Iſmen.* p. 88: ἄφωνοι, ἀναυδάλητες, ἄφραστος coniungit. Sed in cenſum ille bonorum Auctorum non venit. Tranſeo potius ad Latinos. *Florus II, 3, 1: Sed ſtatim ac ſine mora patuit*; & 12: *memoria & recordatio ſuæ nobilitatis. Iuvenalis: Minuti ſemper & infirmi eſt animi exiguique voluptas Ultio.*

Homeriſtæ Græcis verſibus colloquerentur) Forte, ſic ut *Harpades* apud *Alciphronem* p. 416: καθάπερ τραγῳδὸν Ἀρπαίδης ὁ γραμματικὸς ἐποίει, Ὁμήρου, ὡς ἔφασκεν, ἐπιλέγων στιχίδιον ἀμηχάνως αὐτῷ πρὸς τὰς ἀρχὰς τῶν βρωμάτων ἡρμοσμένον. Καὶ φαγέμεν πιέμεν τε ἐπεί κα δὴ χρὴ τι φέρεσθαι. Conſ. *Platonis Ion*, & *Athenæi I*, 11, ubi quis cœnam verſibus *Homericis* deſcribit.

Pag. 398: *alabaſtris unguenti*) *Herodot. III*, 20, p. 163, *Lucian.* in *Dial. Meretr. Philoſtrat. V. A. T.*

Pag. 399: *reſpiciens*) Forte melius *reſpicientes ad menſam (nam illic — more vulgato) avidius ad pompam manus porreximus.* Si quis tamen defendere velit, poterit ex illis duris tamen & ingratis græciſmis, quibus prima perſona ſingularis

laris primæ plurali iungitur, ut in illo *Euripidis* *Hercul. Fur.* v. 858: μαρτυρόμεσθα (pro μαρτυρό-μαι) δρῶσ' ἃ δρᾶν οὐ βούλομαι. Et *Helen.* v. 654: ἄελπτον ἡδονάν, εἶτ' ἔλαβον. πόσιν ἐμὸν ἔχομεν, ἔχο-μεν. *Andrом.* 144: δεσποτᾶν ἐμῶν φόβῳ ἡσυχίαν ἄγομεν. τὸ δὲ σὸν οἴκτῳ φέρουσα τυγχάνω. *Ion.* 391: κελευόμεσθα μὴ μανθάνειν ἃ βούλομαι. 418: ἔχω δὴ πάνθ' ὅσων ἐχρῄζομεν. Ipſe *Burmannus* pag. *penult.* Præfationis in *Petronium* poterit huic loco patrocinari, ubi ſic in *Clericum* invehitur: *Sed miſſum te faciamus*, inquit, *præfationem, non libellum, nos ſcribere cogitantes, quid in hiſtoriæ priſcæ cognitione profligaveris,* —— *mox ſub-nectam.* Forte poſſint alia plura ex eius viri Præfationibus & Orationibus, ſi opus foret, συλ-λεγῆναι. Neque mirum, utique, ſcribendis deditum periodis, tortuoſis, prolixis, & fine ca-rentibus, in quas, quotquot habet, cogitationes omnes, tanquam in ſacciperium, infercit, & eundem præterea limæ parcum adhibendæ, & relegendi ſcripta negligentem, quando ad finem periodi pervenit, obliviſci eorum, quæ initio ſcripſerat.

Pag. 401: *Cerdonem*) Latine *Lucrionem*. *Fe-ſtus* p. XXXIII: *Cerdona Græci appellant ubique lucrari cupientem, quem nos quoque Lucrionem appellamus*. Sic legendus corruptus ille locus. *Quaſi* κέρδωνα eſt emendatio, a docto lectore ad pravum *cercopa* adſcripta. Forte quædam de *Cercope* exciderunt, id non negarim; ut *Cercopa*, *veteratorem*, &c. Mihi videtur hinc lux illi *Lu-*

cilli puer oſtendi; *Coquere domi ſunt Cerdius, an-cillæ, pueri, zonarii, textor.* Puto, *Cerdius* idem eſſe atque *Κερδῶς*, *Cerdius*; & nomen ſervile eſſe. Item iſti *Perſii IV, 50*, ubi *Cerdo* maiore litera ſcribendum eſt. Debuerat *Caſaubonus ibid.* hunc *Petronii* locum vidiſſe, ſed per tempora ipſi non licuit. De heroe Spartanorum *Cerdone* (quaſi dicas *Carpo*) vid. *Athen. p. 22, a.*

Felicionem) Græce εὐτυχῶν. *Plutarch. I, 293, E.* & τυγχάνων apud *Salmaſ.* ad *Hiſt. Aug.* & *Epitynchanum.* Pro quo corrupta pronuntiatione *Pitynchanum* dicebant. Item *Tychiaden.*

Lucionem) Non video rationem *Lucrionem* reſcribendi cum *Heinſio*, cum *Cerdonem* præceſſerit, quod idem eſt. *Λύκων* & *Λεύκων* ſunt nomina ſervorum & mercenariorum apud *Xenoph. Epheſ. p. 23 fin. Theophr. Charact. Cap. 8.* Inde *Lucion* bene poteſt formari, ut a Κέρδων Κερδίων, comparativa forma, unde κέρδιον apud *Homer. Od. XX, 304.* Et ſimul eſt alluſio boni ominis ad *Lucem.* Αὐγή, ὄμμα, felicitatem omnem apud Tragicos notat.

Pag. 493: *Solebas ſuavius eſſe in convictu*) *Suavius* hic adverbialiter ſumendum eſt pro ἐπιχα-ρεστέρως. *Solebas te ſuavius, venuſtius, lepidius gerere. Du pflegteſt ſonſten aufgeraumter zu ſeyn.* Eodem prorſus modo *Achilles Tatius V, p. 315:* οὐδὲν γὰρ ἄβατον τῷ θεῷ. ἐν θαλάσσῃ δὲ μὴ καὶ οἰκειό-τερόν ἐστιν Ἔρωτι καὶ ἀφροδισίοις μυστηρίοις. *Nihil Deo Amori inacceſſum. Vide tamen, annon in mari ſit familiarius & magis indigenum atque domeſticum* habi-

[illegible] *[illegible]* & *furtis* [illegible]. Idem eſt ac ſi [illegible]. Vel [illegible], vel [illegible] ſubintelligitur. *Bergleri* mutationem (vid. ad *Alciphr.* p. 74 *Ep.* 19.) non probo. Poſſet quoque dici, *ſuavius* hic poſitum pro *ſuavior*; qui Græciſmus eſt; ut apud *Ariſtoph. Veſp.* 1292: [illegible] δὲ [illegible] (pro [illegible]) ἐςί [illegible] Χ[illegible]. Et v. 1??: ὦ δέσποθ' ἥρως, [illegible] (pro χαλεπῶς) [illegible]. *Theophr. Char. Cap.* 19: [illegible] εἴ τι χρήσαιμι αὐτῷ γέγονε. *Philoſtrat. p.* [illegible] *VI*, 16: ἔτι γὰρ ἡ [illegible] τῆς [illegible] (ſic leg.) καὶ αὐτὴ βέλτιον [illegible] τοῦ γήρως: id eſt, καὶ αὐτὴ [illegible] βέλτιον [illegible].

Pag. 406: *per ſcutum per ocream egraginavi*) Cenſeo, *per ſcutum per ocream* retinenda eſſe; & notare per medios obſtantes hoſtes ſcutatos & ocreatos. Ut διὰ ξιφῶν [illegible] apud *Achill. Tat.* pag. 289. Quid autem *egraginavi* ſit, non expedio. An pro *ecraginavi*, *erupi*, ἐκρήγνυμι, *ich habe mich durchgeriſſen*. *Heſych.* ἐξ[illegible] ταχέως. Sane *g* & *c* permutantur ſæpiſſime. Ut *coturnium* pro *gutturnium*. *Cerrones* & *gerrones*. *Coſticillus* pro *goſticillus*. *Clucidare* a γλυκυδιῶν. *Cluma* & *gluma*. *Clypeus* a γλύφω. *Dagnades* pro *Dacnades*. *Heſych.* ἐγρ[illegible] pro ἐκρ[illegible]. Sed nihil affirmo.

Pag. 408: *abocula**mus nos*) Paullo rectius fuerat *apoculamus nos*. Nam *ap* ſæpe in membranis pro *ab* reperitur. Vid. *Faern.* ad *Terent.* Senſus eſt, *ſemovemus nos e conſpectu*. Ut

enim

enim omnino ab viſu de conſpiciendum dare, *Tertullian. Apolog. pag.* 213, ed. *Havercan.* ita *aboculare* ex oculis removere. *Inoculare* eſt apud *Apulejum pag.* 532, 683; *exoculare* apud *Plaut. Rud.* Sed hæc alterius generis. Magis huc pertinent *exædificare*, ex ædibus exigere. *Plaut. Trin. V*, 2, 4. *Evitare*, pro e vita amovere, vita privare, apud *Ennium* in *Fragm. Delrii p.* 97; *expectorare*, a pectore removere, ex pectore amollere, *ibid. p.* 135; *expudorata frons*, a pudore remota, pudore privata, *Cap.* 39 ſupra, *p.* 235.

Luna lucebat tanquam meridie) Recte vidit *Burmannus*, mente ſupplendum eſſe *tanquam ſol meridie*. Eſt illa Græcorum βραχυλογία, de qua *Caſaubonus* ad illud notum *Theophraſti Char.* 2: τὰ τέκνα ὁμοιότερα αὐτῷ πατρὶ εἶναι, ubi dicendum fuerat αὐτοῦ τῷ πατρί. Miror, in hoc loco *Pavium* non offendiſſe. Sic quoque *Euripides*, forte metri cauſa, vocem neceſſariam omittit, tacite ſupplendam, *Oreſt. v.* 742: οὐκ ἐκεῖνος, ἀλλ' ἐκείνη κεῖνον ἐνθάδ' ἤγαγεν. Suppl. ἐκ ἐκεῖνος ἐκείνην. *Non ille illam, ſed illa illum, huc adduxit.* Melius, meo quidem indicio, hunc locum, quam illum *Sophoclis*, in exemplum aphæreſeos, *Dionyſius Halicarnaſſenſis p.* 64 ed. *Uptoni* adduxiſſet.

Pag. 409: *ad ſtelas facere*) Sic pro *ad ſtellas facere* reſcripſi. Id eſt, cœpit ad cippos ſepulcrales, ſive ad monumenta mortuorum, ſe conferre. Integra phraſis fuerat, *ad ſtelas ſeſe facere*, *ſich an die Gräber machen*, ita ut *Apu-*

aliquo dixit p. 392, *intra lectum ſeſe fecit*. Deinde omiſſum fuit illud *ſeſe*, & *facere* ſimpliciter dictum pro *ſeſe facere*, vel *ſeſe conferre*, *aliquo*. Quemodo Græci ἄγειν, περιάγειν, nude dicunt, pro ἄγειν ἑαυτὸν, *ire*, *tendere*, *accedere*. ἀπελθεῖν εἰς τὸ ἄγε *Lucian*. *Navig*. *Sich fortſchieben*, *fortpacken*. Item [illegible] *Eccleſ*. 813, [illegible] τὴν γνάθον χαλκῶν ἔχων Ubi [illegible] eſt *abſtuli*, neque cohæret cum γνάθον, (nam id cum ἔχων cohæret,) ſed eſt pro [illegible] *ich habe mich aufgemacht*. Ut in Codice ſacro: *Herr*, *hebe dich auf*, id eſt, *prodi*, [illegible]. Ita ἐγκλάζων ſe medium tanquam obicem interponere. *Apoll*. *Rhod*. *III*. 307: ἠέ τις [illegible] μέσσοις μεσσηγὺς ἐνέκλασεν. Scil. ἑαυτήν. Ita *Diodor*. *Siculi* τοὺς [illegible] *pag*. 392 medi περιέσχον pro *ambire*. *Nicand*. *Ther*. [illegible] [illegible] δ', [illegible] περιέσχον; *Tales flores*, *quales ſunt violæ*, *ambiunt*. Fortè tamen ibi rectius legatur περιέσχον. Et talium poſſet magna farrago comportari. Ad ſtelam vero faciebat, vel conferebat ſe, homo magus, de quo hic ſermo eſt, quia ſtelis ad incantamenta utebantur, aut certe quoniam credebant umbras, ſeu mortuorum animas, circa ſepulcra ſua vagari & verſari. *Lucian*. in *Philopſeud*. ubi magus aliquis *Midam* reddebat ſanitati, προσαρτήσας τῷ ποδὶ τεθνηκυίας παρθένου λίθον, ἀπὸ τῆς στήλης ἐκκόψας. *Plato* in *Phædone* p. 81, D. Βαρύνεταί τε καὶ ἕλκεται πάλιν εἰς τὸν ὁρατὸν τόπον - ὥσπερ λέγεται περὶ τὰ μνήματά τε καὶ τοὺς τάφους κυλινδουμένη.

Lupus

Lupus factus eſt) Conf. *Herodot.* IV, 105, de Neuris, & *Plato* p. 724. E.

Manu citata) Non aſſeverem, ita ſcripſiſſe *Petronium*; ſed melius tum non reperiebam, cum hæc imprimerentur, neque adhucdum reperi. Video quidem, in antiqua lectione *matavitatau* latere Græcam particulam μάλα; unde veni eam in ſuſpicionem, forte μάλα βιαίως ab Auctore ſcriptum fuiſſe. Sed neque hoc maiore, quam illud, contentione tueri animus eſt.

Pag. 411: *In laurum intravi*) Id eſt, in angiportum, vel etiam in tugurium. Olim legebatur abaque ſenſu *larvam*, quod valde doctos exercuit. Ego certiſſimam hanc meam emendationem in *Petronium* invexi, non tamen primus. Quid enim premam? Id ante me iam vidit, adeoque inventionis gloriam, ſi qua eſt, ſibi vindicat, acuti vir ingenii, *Mat. Veiſſ. La Croze*, in cuius ſchedis ad *Petronium* hæc ipſa mea emendatio quoque fuit a me deprehenſa, cum hæc iam typis deſcripta eſſent. Potueram hoc celare. Schedæ enim illæ editæ non ſunt, & forte perierunt. Sed nolui Viro clariſſimo ſuam laudem perire, ipſe iacturam hac in re nullam patiens. Quamvis enim communis illa ſit emendatio nobis ambobus, & ille prior ſit inventionis tempore, nihilo minus tamen & ego ipſe meo de capite, a nemine monitus, eam excogitavi. Forte erunt, quibus mea fides videbitur ſuſpecta. Sed illi me non norunt, neque multum laborabo ipſis mei candoris fidem facere.

eſſe. Id unum ipſis dixerim, de illo, qui tot alia *Petronii* & aliorum loca novit emendare, facile credi poſſe & debere, quod etiam hanc emendationem ipſe adinvenerit. Ad rem ipſam quod attinet, & huius loci declarationem, afferam locum ex *Plutarchi* Proverbiis, a *Wolfio* citatum ad *Epiſt. Libanii* 290 p. 142: Σαμίων ἄνθη, καὶ Σαμιακὴ λαύρα, ἐπὶ τῶν ὑςάτοις ἡδοναῖς χρωμένων. ἡ Σαμιακὴ λαύρα στενωπή ἦν ἐν ᾗ τὰ ἀγοράσματα ἐπιπράσκετο. Vox eſt antiquiſſima, *Homerica*. Vid. *Odyſſ.* XXII, 128, & *Herodot.* I, 180.

Pag. 412: *Omnia pecora, tanquam lanius ſanguinem illi miſit.*) Eſt plebeium ἀνακόλουθον, Græcis etiam optimis ſcriptoribus valde frequens, (Grammatici *antiptoſin* appellant,) quo præſertim *Philoſtratus* ad nauſeam usque utitur, & ſæpe haud ſine duritie, absque gratiis, p. 108 *not.* 19, p. 129 *Cap.* 39 *lin.* 5, *pag.* 137 *penult.*. p. 168 *lin.* 3, 4, & *ult.* p. 169, 1, p. 170. 1, 2, p. 227 *Cap.* 25 *lin.* 3. In quibus videas nominativum, vel accuſativum, poni pro genitivo conſequentiæ apud Græcos, vel ablativo apud Latinos; vel etiam ſuppleri debere *quantum attinet.* Cuius rei non animadverſio viros eruditos haud raro in errores & tenebras coniecit. Ita vexant locum *Thucydidis*: ἡ νόσος πρῶτον ἤρξατο γενέσθαι τοῖς Ἀθηναίοις, λεγόμενον μὲν καὶ πρότερον πολλαχόσε ἐγκατασκῆψαι. Ubi λεγόμενον eſt pro λεγομένης, *tum dicatur*. Conf. *Lesbonax pag.* 183, a Cl. *Valckenario* editus: Ἀττικὸν σύνηθες Ξενοφῶντι

φῶντι καὶ Πλάτωνι &c. Sic explicandum illud apud *Callimach. I:* τὸν καλλαθον κατιόντα per τῦ καλάθυ κατιόντος. Sic etiam illud *Libanii* de *Angaris p. 45*, quod *Gothofredus* prorſus non fuit aſſecutus: αἱ δὲ τῶν πυλωρῶν ἁρπαγαὶ, μικρὸν εἰπεῖν χαλινὰς ὄνων καὶ ἱμάντας ἑτέρας, καὶ σχοινία καὶ ἄρτους ἐχυρωμένους κεκρυμμένους. *Quod autem ad portarum cuſtodum rapinas attinet, ſi quis de iis dicat, quod indagent aſinorum fraena, & cetera lora, & funes, & panes abſconditos; id parum eſt dicere.* Apparet, immerito tanquam mutilum tentari a Cl. *Abreſch* in *Notis ad Æſchyl. p. 323* illum *Philoſtrati* locum, quo ſic legitur: ἀναμαθόντων ἂν ὁ ἱερεὺς τὸν ἄνθρωπον, γυνὴ μὲν τούτῳ γεγόνει. Idem enim eſt, ac ſi ſcripſiſſet: ἀναμανθάνοντος ἂν τοῦ ἱερέως τὸν ἄνθρωπον. *Da nun der Prieſter dieſen Menſchen befragte, und ausforſchte, ſo hatte er eine Frau*, id eſt, *ſo befande er, daſs er eine Frau hatte.* In *Alciphrone* quoque *p. 274* omnia ſunt integra: τὸ δ' ὅλον πρόσωπον, αὐτὰς (ſic legendum, non αὐταῖς) ἐνορχεῖσθαι ταῖς παρειαῖς εἴποις ἂν τὰς Χάριτας. *Quantum vero ad totum attinet vultum*, (vel ὡς συλλαβὼν ὅλον τὸ πρόσωπον εἴπω,) *ipſas gratias in eius genis tripudiare dicas.* *Syneſius Dione p. 8:* τὰ δὲ τοῦ δευτέρου χρόνου βιβλία, ἥκιστ' ἂν ἐν αὐτοῖς ἴδοις χαῦνόν τι καὶ διαπεφρονημένον. *Damaſcius in vita Iſidori* apud *Phot. p. 1028*: οἱ δ' ὀφθαλμοί, πῶς μὲν ἂν φράσαιμι τὴν ἐν αὐτοῖς ἀνημμένην χαρίεσσαν ἀληθῶς Ἀφροδίτην. Ut etiam

Latina

Latina quædam addam exempla; nam, quæ *Burmannus* attulit, ea ſunt ἀπροσδιόνυσα, & abſque judicio allata, nihilque probant. En illud *Plauti Capt. Act. I. Sc.* 2 *v.* 1: *Iſtos captivos duos, here, quos emi de præda, his indito catenas.* Item *IV*, 2, 27:

Tum piſtores ſcrophipaſci, qui alunt furfure ſues,
Quarum odore nemo præterire piſtrinum poteſt,
Earum ſi quoiusquam ſcropham in publico conſpexero &c.

Sed iam nimius fui in re non adeo rara & ignota.

Pag. 413: *verſipellem*) Magum, præſtigiatorem. *Apulej. pag.* 194.

Pag. 414: *aſinus in tegulis*) Lepide hoc proverbium imitatus fuit *Joſ. Scaliger* in *Münſtero Hypobolimæo pag.* 41. *Scaligerum* eius libelli auctorem appello, ut res ipſa clamat. Dicitur quidem *pag.* 150 *Petronii* noſtri *Daniel Heinſius* eius auctor. Sed immerito, certe neſcio, unde. Talemne librum ſcripſerit *Daniel Heinſius*, tam doctum, tam facetum? Οὐδ' ἰκτάρ. Credo quidem, poſt exceſſum *Scaligeri Heinſium* forte ſibi illum vindicaſſe, ut cuius viri, ignavus, ignobilis, & fucorum ſimilis, animus mihi perquam notus eſt. Sed eſt procul dubio *Scaligeri* ipſius, qui evitandæ invidiæ cauſa, & ne videretur infra ſuam dignitatem deſcendere, *Jano Rutgerſio* tradebat ſuas ſchedas edendas. Et *Rutgerſius* quoque pro *Scaligeri* fœtu edidit & agnovit.

Ego certe poſſideo exemplar, cuius titulo *Janus Rutgerſius* inſcripſerat, id ſe amiciſſimo viro, *Petro de Witt*, donum dare. Mos, recens editos libros ſuos ad amicos mittendi cum elogio, adhuc in Batavia obtinet. Quod autem *Dan. Heinſius* humilem, malignum, & furacem, animum habuerit, præter alia, & præter iſtud cum *Simplicio* negotium, inde quoque maxime mihi conſtitit, quod viderim & tractaverim in Bibliotheca Leidenſi *Ariſtophanis* Baſileenſis *Geleniani* exemplar, in quod omnes eas emendationes *Heinſius* adſcripſerat, quæ deinceps in editione Leidenſi anni 1624 *le Mairiana* ſub *Joſephi Scaligeri* nomine tanquam ex Codicibus avtographis proditæ ſunt, &, quare fuerint a *Kuſtero* inſuper habitæ, miror. Huic exemplari ſuum nomen præſcripſerat *Heinſius*, ut crederent futuri ſpectatores, omnia intus ſcripta præſcripti poſſeſſoris eſſe. Veri domini, ad quem emendationes pertinebant, nusquam comparebat nomen. Sed hæc ad *Petronium* nihil faciunt. Redeamus igitur in viam.

Pag. 415: *Calliſtus*) Sic finxi ex vetere *caccitus*. Vox Græca cuivis nota, & obvia, & in elogiis prima. Inde quoque ſervorum & libertorum nomen erat proprium. Vid. *Obſerv. Nov Miſcell. Amſtel. III p. 141 c. f.* Conf. *Sueton. Claudius*, qui *Calliſtum* libertum habebat.

Pag. 416: *Omnium numerum*) Numerus, ἀριθμός, eſt ratio, conſideratio, reſpectus, dignitas, valor, pretium, cenſus. *Lucianus*:

ἄχρι

ἄχρι τέκνων, γυναῖκες ἀριθμὸς ἔςωσαν. *In tantum, in quantum pariunt liberos, veniant mulieres in cenſum.* Inde homo ἀνήριθμος *Sophocl. Ajac. v. 608* eſt ἄτιμος, ut gloſſator *Dorvillianus* exponit, homo, qui in cenſum non venit. Sed de phraſi: *hæc verba ſunt tantummodo* ἀριθμὸς, *numerus*, meum judicium ſuſpendo.

Pag. 417: *Lividum*) *Lucian. Philopſeud.*

Pag. 418: *Mulieres, quod ſurſum eſt, deorſum faciunt*) Vid. *Herodot. lib. III, 3. pag. 160*, &, quod deorſum eſt, ſurſum faciunt. *Ariſtoph. Pac. 889, Eccleſ. 265, Lyſiſtr. 774.*

Pag. 420: *Lucernæ mihi plures videbantur ardere*) Ita contingit ebriis. *Philoſtrat. pag. 88*: ὁρῶμεν τὲς μέθῃ κατεσχημένες διττὰς σελήνας ὁρᾷν καὶ διττὲς ἡλίες. Conf. *Heſychius*: ἐκ δυοῖν τρία βλέπεις. *Nicander Alex. v. 28*: τὰ δὲ διπλόα δέρκεται ὄσσοις, εἶτα χαλικραίῃ νύχιος δεδαμασμένος ἄτῃ.

Tibi dico) Hac occaſione tantum emendabo locum *Luciani* (nam phraſis illa vulgaris eſt) in *Timone*: ἀναπέμψω γάρ σοι τὸν θησαυρὸν ἀπελθών. μᾶλλον δε πᾶ (ſic legendum, non πᾶ[illegible]) (σέ φημι, θήσαυρε χρυσᾶ) ὑπάκουσον Τίμωνι &c.

Deverbia dicere mellita — abiſtis dulces caricæ) *Mel* et *caricæ* tanquam ſymbolum omnis voluptatis coniunguntur a *Theocrit. Id. I, 146*: πλῆρές τοι μέλιτος τὸ καλὸν ςόμα, Θύρσι, γένοιτο, — καὶ ἀπ' Αἰγίλω ἰσχάδα τρώγοις Ἀδεῖαν; & *Luciano* in *Bis Accuſ.*: τὸ ἡδὺ ἀνδραποδῶδως

 προ-

προαιρεμένους καὶ τὴν εὐδαιμονίαν ζητοῦντας ἐν τῷ μέλιτι καὶ ταῖς ἰσχάσι.

Pag. 422: *hortatusque*) Procul dubio *fuit* excidit, aut *hortatus* debet paſſive accipi, et punctum poſt *properaret* deleri. Adſcripſi locum *Juſtini IX*, 7, 4. Forte ibi *hortatus*, pro παρακεκλημένος, ſignificatione paſſiva legitur.

Pag. 423: *bucca*, *bucca*,) Quamvis parum interſit, abſurdi pathici nugas noſſe, attamen, quia ſemel in eo ſumus, dicam, mihi videri, *buccæ*, *buccæ*, ſcribendum. *Buccæ* appellabantur paraſiti, vel a voracitate, vel a dicacitate. *Juvenal. Satyr. III: perpetui comites notaque per oppida buccæ.* Vult dicere, ſi fas eſt argutari, quotquot adeſtis buccæ, paraſiti ἥρωες, concurrite, & exagitate, atque irridete adhuc magis *Trimalchionem* a me ὑβρισμένον.

Mel — excellente Hiſpanum) Videtur quidem prima fronte *excellens* ſcribendum. Sed omnia bene habent. *Excellente* eſt forma antiqua, & forte poſteriorum quoque temporum plebeja, neutralis, pro *excellens*. Patet hoc ex inſcriptione *Cap. 19 Lib. I Flori*, ad quam Cl. *Dukerus* ſic. „ Vett. Editt. præter primam pro *bellum Picens*, aut *Picentinum*, habent *bellum Picente*. Et ſic adſcriptum erat margini libri Duisburg.„ Ita quoque *Jul. C. Scaliger* ad *Ariſt. Hiſt. Anim. pag. 109*, *vulgus noſtrate*, neque dubito, in Inſcriptionibus, & præſertim in Indice grammatico *Scaligeri* ad *Gruterum*, talia multa reperiri.

De melle me usque tetigi.) Græce efferas haud in-

in commode μέλιτος ἀφειδῶς ἐτεγξάμην. Me ipſum ἔτεγξα, imbui. *Ich habe mich recht begoſſen.* Barbarus noſter a Græco τέγγω derivavit *tetigi.* Proprium eſt verbum de iis, qui ſe probe imbuunt, & os ſibi proluunt liquore. *Euripid. Cyclope*: τέγξας ἄδειψον νηδὺν. Supra *Cap. 34*: *tengomen* (τέγγωμεν) *os*. Γεύσασθαι, *ſe ipſum imbuere*, δεύσασθαι idem, βρέχεσθαι *ſe madefacere*, τέγγεσθαι, omnia dicuntur de ebriis. De melle id æque poſſe dici atque de vino, nullus dubito, cum liquidum pariter ſit atque illud, neque minus inebriet.

Pag. 432: *Urſinæ fruſtum.*) Conf. *Plutarch. II, 927, D*: *Urſus homuncionem comeſt* &c. Vere paraſitice. *Lucianus*: ὁ δὲ παράσιτος αὐτὰ τὰ (τὰ θηρία) ἐπιόντα μένει καὶ δέχεται ῥᾳδίως, μεμελετηκὼς αὐτῶν ἐν τοῖς δείπνοις καταφρονεῖν, καὶ οὔτ' ἔλαφος οὔτε σῦς αὐτὸν ἐκπλήττει πεφρικώς, ἀλλὰ κἂν ἐπ' αὐτὸν ὁ σῦς τὸν ὀδόντα θήγῃ, καὶ ὁ παράσιτος ἐπὶ τὸν σῦν ἀντιθήγει. *De arte Paraſit.*

Pag. 434: *Nos pugno ſuſtulerunt*) Aut *ſuſtulerunt* eſt pro diſcuſſerunt, abegerunt, extruſerunt, ἐξηγκωνίζοντο, aut *nos* Græco more poſitum pro *nobis*, ὧν τινα καὶ μάργοι τινες ἡμᾶς ἀφείλοντο. Notum ἀφαιρεῖσθαι τινά τι, aliquem aliquid auferre. Semper tamen durum *pugno tollere aliquem*, pro *adimere aliquid alicui, pugnis extruſo.*

Pag. 436: *Sudario manus tergens*) Taxat hoc *Valeſius T. II pag. 353.* Non feciſſet, ſi *Salmaſium* ad *H. A. p. 357* legiſſet.

Pag. 437; *Mulieris compedes*) Vid. *Herodot. III*, 22, *pag.* 168, *lin.* 4 *ſeq* *Euripid. Ion.* 1007 & 1009. *Cyclope* τὸν χρυσίον κλοιὸν φέρων περὶ μέσον τὸν αὐχένα. Conf. *Caſaub. de Poeſ. Sat. p.* 221, *ed. Paris.*

Ib. *Sic nos barcalæde ſpoliamus.*) Reſcripſi: *Sit. Nos margitæ deſpoliamur.* Ex *Trag.* reduxi *ſit.* Idem eſt atque Græcum εἶεν. *Quod*, præter alios uſus, etiam eſt patientium, dolentium, ſicco ore devorantium. Vid. *Alciphron. III*, 4, *lin.* 3, *p.* 282, *Liban. II*, 165, *antepen.* Corrigamus hac occaſione *Dionem Chryſoſtom. VII, p.* 119, *B. c. f.* εἶεν. (Eſto, id eſt, tantum hactenus, vel hac de re.) ἤδη δὴ περὶ τῶν ἐν ἄςει πενήτων σκεπτέον. Sic legendum. Ex *barcalæ* non difficulter effingitur *margitæ.* Forte tamen quis βάκηλοι (de quo ſupra) præferat. Mihi perinde eſt. Senſus utriusque vocis eſt idem.

Pag. 440. 2. *eſcoracizaſti me*) ἐσκοράκιζες, vel ἐσκοράκισας. Olim erat *excatarizaſti me*, verbi monſtrum, de quo variæ meam mentem conjecturæ ſubierunt, quarum eam nulla tam feriit, tam ſimilis antiquo ductui literarum viſa fuit, tam conveniens requiſito ſenſui, quam hæc. Multa poſſem huc exempla τοῦ σκορακίζειν, σκορακισμοῦ, ἀποσκορακίζειν, ἐς κόρακας, allegare. Sed omnia nota ſunt. Conf. *Heſych.* μὴ ἀπώσῃ. μὴ ἀποσκορακίσῃς με, quæ jungenda. Cogitavi quoque *exſcubalizaſti me.* Ἐκσκυβαλίζειν καὶ διαπτύειν eſt apud *Themiſtium Orat. XXI. p.* 254, *A*, 10. Item *excataraſaſti me*, a καταρᾶσθαί τινος.

Pag.

Pag. 441: *Induens imam rubore faciem*) Olim erat *indecens*. Sanavi quidem huius loci membrum unum. at in altero vulnus intactum reliqui. *Ima facies* nihili eſt. Interea ergo, dum rectius quid prodatur vel a nobis, vel ab alio, conjiciamus *immani rubore*. Certe *faciem immani rubore induere* non videtur inelegans dictio Latina eſſe. *Induere* certe *faciem rubore* non minus commode dici puto, quam *fœmina pudore, caſtimonia, & virtute*, induta. *Plato p. 655, A*: γυναῖκες τὴν ἀρετὴν ἀντὶ ἱματίων ἀμφιέσονται. *Aelian. V. H. VII, 9*: ἐμπείχετο τῇ σωφροσύνῃ. *Ariſtides T. I p. 72, 9*: ἀμφιεσαμένη πολλὴν αἰδῶ. *Plutarch. Præcept. Conjugal. pag. 241, 22, ed. H. Steph.*: ἡ σώφρων τὴν αἰδῶ ἀντενδύεται (vid. præcedentia) καὶ τοῦ μάλιστα φιλεῖν (ſic legendum) τῷ μάλιστα αἰδεῖσθαι συμβόλῳ πρὸς ἀλλήλους χρῶνται.

Pag. 449: *De ſtrunto*) *Spartianus* de *Commodo*: *Cibos humano ſtercore miſcebat, & nec guſtum abſtinebat.*

Pag. 450: *De bubula*) *Plutarch. II, 197, C.*

Pag. 451: *Lacum*) ληνόν. *Philoſtrat. p. 267.*

Pag. 454: *Cœperat velle ſaltare.*) Forte *velle* idem, quod μέλλειν. *Xenoph. Græc. I p. 439. B.*: ἐθέλοντος κριθῆναι. *Cum jam in eo eſſet, ut judicium ſubiret; illo jamjam judicando. Ariſtoph. Veſp. v. 535*: θελήσει κρατῆσαι, id eſt, κινδυνεύει. Vel eſt pro *fere ſaltare*. Ita θέλει εἶναι apud *Platon. p. 540, E, fere eſt.* Quod imitatus *Æneas Gazæus pag. 9*: ταῦτά με διδάσκειν ἐθέλουσιν. *Fere me hoc docent.*

Pag. 459: *In fronte P. C.*) Ad hunc locum intelligendum legenda eſt Diſſertatio Celeberrimi *Dorville* ad urnam quandam antiquam marmoream *Papenbrukianam, Vol. III Obſ. Miſc. nov. p. 140 ſeq.* ubi inter cetera cepotafium, κηποτάφιον, explicat & tuetur.

Pag. 462: *Faciatur & triclinia*) Id eſt, conſtruantur & triclinia: γένεσθω καὶ τρικλίνια. Sequior latinitas ſolebat in eo Græcos imitari, ut neutrum plurale nomen iungeret tertiæ verbi ſingulari. Cl. *Wetſtenius* in *Prolegom. ad novam edit. Novi Teſtamenti* citat ex verſione Latina Codicis Cantabrig.: *opera teſtimonium dat* (pro *dant*) *manifeſtaretur opera.* Sed & apud *Terentium* occurrit, in *Prologo ad Eunuch. v.* 17: *Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur.* Ubi vid. *Donatus.*

Columbam — & catellam) *Plutarch. I, 874, B.*

Effluant vinum) Id eſt, *effundant. Fluere* tam neutrum & intranſitivum eſt, quam activum & tranſitivum. Pariter quoque ῥεῖν. Et eius farinæ multa ſunt: ut πίπ]ειν, λάμπειν, ζεῖν, βλύζειν, χωρεῖν, βάπτειν, *cubare, ruere, manare,* &c. Afferamus exempla. *Theocrit. V,* 124: Ἱμέρα ἀνθ' ὕδατος ῥείτω γάλα. *Plutarch. de fortuna Alex. M. p.* 592, 6, *H. St.*: ποτὸν ποταμοὶ ῥέουσι. *Euripides Hecub.* 528: πλήρες δ' ἐν χεροῖν λαβὼν δέπας πάγχρυσον αἴρει χειρὶ παῖς Ἀχιλλέως χοὰς θανόντι πατρί. *Ariſtides T. II p.* 334, 4: ὕδωρ καθαρὸν καὶ πότιμον ἐκ πολλοῦ κάτωθεν ἐπὶ τοσοῦτον ἐπιῤῥεῖν τὸν Νεῖλον. Ubi hanc notionem verbi

ῥεῖν

ῥεῖν activam *Canteno* præſentem non fuiſſe, patet ex eius verſione. Vertendum fuerat: *Sive quod aliàs tantum voluerint ſuis vectoribus monſtrare, Nilum aquam puram & potabilem ex alto fundo ſurſum eructare, & in tam longinquum ſpatium projicere extra terram procul in ipſum mare.* Emendetur hinc *Heſychius* in οἰνοῤῥεῖν, pro quo legatur ἐνοῤῥεῖν. κιρνᾶν οἰνοχοεῖν, *vinum effluere*, prorſus ut hic loci noſtri *Petronii.* Ita quoque πίπτειν pro *cadere facere. Sophocl. Ajac. v. 42*: ἐμπίπτεις βάσιν, *incidere facis gradum*, id eſt, imponis, ἐνστηρίζεις, ἐνσκήπτεις. Poſſem etiam huc referre locum *Libanii pag. 362. D, 3, Tom. II*: ἔπεσε μὲν ὁ δῆμος δάκρυα. Verum tamen dubium mihi non eſt, ibi ἔσπεισε legi debere. Λάμπειν pro *colluſtrari, illuſtrare, ignem edere.* Ἰὼ λάμπουσα πέτρα πυρὸς δικόρυφον σέλας *Eurip. Ion. v. 235, O petra, reſplendens iubar ignis bicipitis.* *Æneas Gazæus p. 21*: ὁρᾷς γὰρ ὡς αὐτὸς ἑαυτῷ προστριβόμενος ὁ λόγος, οἷον οἱ πυρφόροι τῶν λίθων, φῶς ἐξέλαμψε. *Tu vero videas*, (ſic interpretatur C. *Barthius*,) *quam colliſa ſibi ipſimet inſtar ſilicis, flammæ ſemina exſpuentis, ratio lucem protulerit.* Hinc emendandus *Herodotus II, 44, p. 106, lin. 2, ed. Gronov.*: λίθου λάμποντος τὰς νύκτας μέγα φῶς, (non μέγαθος, ut vulgo male circumfertur,) *qui per noctes ingens lumen ſpargit.* ζεῖν apud *Euripidem Cyclop. 391* notat *adigere ad ebullitionem, deducere in actum ebullitionis.* Ita βάπτειν *mergere*, pro *ſe mergere, mergi. Euripid. Oreſt.*:

ἢ ναῦς γαῖῃ, ἐνλαθεῖσα πρὸς βίαν ποδὶ, ἔβαψεν, ſcilicet ἑαυτὴν. Ita περιβλύζειν, quod alias eſt *circumæſtuare*, apud *Philoſtratum* exſtat ſenſu *circumæſtuare faciendi*, *circumducendi*. Περιβλύζειν τινὶ νέκταρ@-λίμνην *pag. 116. 5.* Ita περιςάζειν, *circumfundere*, *Liban. II, pag. 291, 8:* πόλωιως δ᾽ ἑκάςης περιβόλῳ περιέςαξε χρυσὸν Sic leg. pro περιέταξε, vel etiam περιέτηξε. Ita χωρεῖν pro *ire* (*cedere*, *penetrare*,) *facere*. *Ariſtoph. Avib.* 214: γένυος ξουθῆς καθαρὰ χωρεῖ (ſic legendum) διὰ φυλλοκόμου σμίλακος ἠχὼ πρὸς Διὸς ἕδρας. Et talia occurrunt innumerabilia. Apud Latinos pariter, *cubare*, *ruere*, *manare*. *Plautus Caſin. I, 45*: *Ubi te cubes recte curabitur.* Ubi Juntina male, me judice, *ubi recubes*. *Trin. IV, 18*: *ruere antennas & ſcindere vela.* *Ruere* eſt ῥύειν, *trahere in ruinam*, convellere, de ſede ſua emoliri. Sic etiam *Virgilius*. *Horat. Ep. I, 19, 44*: *Fidis enim manare poetica mella te ſolum.* Sic etiam *Scaliger*, (vir, cuius dicta & facta non minus, quam veterum, nobis exemplo & auctoritati poſſunt eſſe,) *cortinam* dixit *flammam exuberare*, *Caſſandr. v. 198*:

Orcique flammam exuberantem funditus
Cortinam abenam, quam atra flabit, mortua
Cadavera elixans coquinatu improbo.

Pag. 464: *Nec unquam Philoſophum audivit*) Verus character νεοπλέτων καὶ ἀπαιδεύτων. Talis eſt apud *Philoſtratum V, 22, p. 205*: ἐλύγχανε μειράκιον. Sed locus nimis longus eſt. Conferant lectores, *Lucian. de arte*

para-

paraſitica, principio: Φιλοσοφίας μὲν γὰρ τοσοῦτον ἀπέχεις, ὅσον καὶ ἡ κακία. *Paraſitus*: ἐγὼ μὲν, εἰ οἷόν τε ἐστὶ, καὶ πλεῖον. ὥστε μή δόκει τοῦτο καθάπερ ἀγνοοῦντι ὀνειδίσαι. Φημί γὰρ κακὸς εἶναι, καὶ χείρων ἢ σὺ δοκεῖς. Dedecus nempe reputabant, profiteri philoſophiam, quia ſic ſimul etiam debebant ſtudium auſteræ vitæ, & ab omnibus remotæ voluptatibus, ἀνυποδησίας, ὑδροποσίας, ſuſtinendi frigoris, famis, ſitis, paupertatis, &c. profiteri. Glorioſius autem illis erat, ſuas ἡδυπαθείας jactare. *Lucianus l. c. p. 371* ed. Hagen.: φιλοσόφους μὲν ὥσπερεὶ παρασιτίᾳ σπουδάσαντας, ἔδειξα. παράσιτον δὲ οὐδεὶς ἔχει φράσαι φιλοσοφεῖν ἐθελήσαντα. καὶ μέντοι εἰ ἐστιν εὐδαιμον, τὸ μὴ πεινῆν, μηδὲ ῥιγοῦν, ταῦτα οὐδενὶ ἄλλῳ ὑπάρχει ἢ παρασίτῳ, ὥστε φιλοσόφους μὲν ἄν τις πολλοὺς καὶ ῥιγοῦντας καὶ πεινῶντας εὕροι, παράσιτον δὲ οὔ, ἢ οὐκ ἂν εἴη παράσιτος, ἀλλὰ δυστυχής τις ἢ πτωχὸς ἄνθρωπος, ἢ φιλοσόφῳ ὅμοιος.

Pag. 465: *Vera vera*) Secutus errantes duces, & ipſe erravi. Non debueram *vero, vero*, mutaſſe. *Vero* idem eſt atque Germanorum *ja*, Lat. *imo, imo vero*. *Plaut. Perſ. IV, 6, 10*: *Hunc in collum, niſi piget, impone.* Reſpondet alter: *Vero fiat. Ia, es ſoll geſchehen.* Sic etiam *Cicero Tuſc.* Diſp. *Lib. II Cap. 11*: *M. Fuiſti ſæpe, credo, cum Athenis eſſes in ſcholis Philoſophorum. A.* Vero *ac libenter quidem.* Et *de Divin. Lib. I Cap. 46*: *Illam autem dixiſſe:* vero, *mea puella, tibi concedo meas ſedes.*

VI.

FRID. OTTONIS MENCKENII LIBRORVM, HAVD ITA DIU AB INVENTA ARTE TYPOGRAPHICA EDITORVM, QVIBVS SVPPLERI POSSINT ANNALES TYPOGRAPHICI MAITTAIRIANI, DECAS TERTIA.

Nondum exaruere noſtri rivuli, ſed, quo fortius impelluntur, hoc plus undarum præbent. Tertia jam in literatum hoc theatrum librorum, antiquitate ſpectabilium, Decas prodit; nec, ſi favor lectorum meo, vetuſtiora hæc ſqualore ſuo purgandi, ſtudio reſpondeat, hæc omnium poſtrema erit. Non male hæc conveniunt ætati meæ, quæ, annos dudum iuveniles egreſſa, moroſa eſſe & auſtera incipit, & in hæc, quæ ſui ſunt ſimilia, & obſitam rugis faciem præ ſe ferunt, maiore, quam in nova quæque, & arida pumice expoſita, amore fertur.

I. *Cornucopiæ, nuper emendatum a Domino Benedicto Brugnolo, ac mirifice concinnatum cum tabula prioribus aliis copioſiori, utiliori, faciliorique. Inſuper ſupra vocabulorum tria millia, ab aliis omiſſorum,*

ſorum, excerpſimus, quorum tibi iudicium facient ſingula puncta, ſingulis dictionibus, per nos excerptis, præpoſita. Ceterum, ſi utilitatem incredibilem cognoſcere volueris, epiſtolam noſtram lege. Impreſſum Venetiis, per Ioannem de Tridino, alias Tacuinum, anno Domini MDI, die xxviii Maii, regnante inclyto Duce Aug. Bar. victo. principe. Fol.

In literariam hiſtoriam iſta operis inſcriptio, male intellecta a nonnullis, non levem invexit errorem, quem nunc demum a nobis emendari, operæ pretium videtur. Fuerunt enim, qui, cum *Cornucopiæ emendatum a Brugnolo* legerent, non dubitarent, hunc *Brugnolum* libri, cui titulum ipſe fecerit *Cornucopiæ*, Auctorem dicendum, eidemque inter hos, qui Lexica Latinæ linguæ condiderunt, locum haud poſtremum tribuendum. Ita nempe ſibi & lectoribus ſuis perſuaſit *Georg. Matth. Kœnigius* in *Bibliotheca vetere & nova pag.* 137, his utens verbis: *Cornucopiæ linguæ Latinæ Brugnolus Venetiis A. 1504 contexuit.* Hunc deinde ſecutus, quisquis in *Lexico Eruditorum* vernaculo de *Brugnolo* breviſſimis commemoravit, rem eandem, ut ſatis exploratam, & compertam omnibus, tradidit. Horum tu, Lector, diſcere exemplo potes, quod aliis etiam exemplis dudum conſtat, falli ſæpe & interdum

de

de librorum ratione ex horum inſcriptione iudicium fieri, & ſatius eſſe, libros ipſos, quam horum titulos, inſpicere. Nam, ſi præmiſſam operi a *Ioanne Tacuino*, typographo, Præfationem legiſſent illi, aut legendi copiam habuiſſent, vidiſſent ſtatim, non *Brugnoli*, qui doctrina magis inter ſuos, quam ſcriptis apud poſteros, inclaruit, ſed *Nicolai Perotti*, Sipontini Pontificis, quem, nemo neſcit, *Cornucopiæ Latinæ linguæ* edidiſſe, grammaticum hoc opus eſſe; ſi qua vero *Brugnoli* in opus hoc merita fuerint, hæc in recognoſcendi eius, & paſſim, maxime vero in Græcis, emendandi, ſtudio apparuiſſe. Quem igitur Lectorum ante oculos iam ponimus, notiſſimus omnibus *Perotti* liber eſt, ſed cui ideo non inſcripſit *Perotti* nomen *Tacuinus*, quod, neminem facile futurum, putaret, qui non, audito *Cornucopiæ* vocabulo, libri, toties prelo repetiti, etiam non monitus, Auctorem agnoſceret. Neque adeo a me quiſquam exſpectet, ut de famæ dudum vulgatiſſimæ opere; in quo qui toti deſcribendo fuerint, ſexcenti nominari ſcriptores poſſent, verbo hic commemorem, ab initio id mihi habens propoſitum, ut ſingularibus tantum, nec cuivis cognitis, animos lectorum paſcam, trita & vulgaria his, qui talia ſectantur, relinquam. Dignam autem, quæ doctis hominibus, quam huc uſque fuit, notior fiat, hanc operis editionem iudicamus, non ſolum quod ſit in rariorum numero ponenda, ſed quod variæ etiam,

iam, & præ ceteris, quæcunque prodierunt, præcipuæ, eam dotes commendent. *Petro Baelio*, vitam æque ac ſcripta *Perotti* copioſá narratione perſequenti in *Dict. hiſt. & crit. T. III pag. m. 2256*, non illius operis antiquior ulla Argentinenſi anni 1506 cognita editio fuit; nec is vera refert, cum Argentinenſem illam ætate priorem *Aldina* dicit. Non enim una illa, quam ipſe nominat, anno nempe 1513 edita, ſed præter eam quatuor aliæ, anno 1489, 1499, 1517, & 1526, ex officina *Aldi* prodierunt. Multo, quam *Balius*, inſtructiorem editionum apparatum *Maittairius* & *Fabricius*, alter in *Annal. typ. Tomi V*, ſeu *Indicis*, *Parte II pag. 130*, alter in *Biblioth. Lat. med. & inf. æt. Vol. V pag. 376*, exhibent, excuſum opus hoc *Perottinum* docentes Venetiis A. 1489, per *Paganinum de Paganis*, Brixienſem, quæ omnium ſine dubio prima eſt editio, a *Pyrrho Perotta*, Auctoris propinquo, curata; ibidem A. 1490, & 1492, per *Bernhardinum de Cor.* & 1494, & 1496, per *Ioannem de Tridino*, & 1499, per *Aldum*; Pariſiis A. 1500 per *Gering.* & *Rembolt*; Venetiis A. 1504 cum *Bened. Brugnoli* additionibus; Argentinæ A. 1506; Pariſiis A. 1510; Venetiis apud *Aldum* A. 1513, 1517, & 1526; Baſileæ A. 1521, 1526, & 1536; denique Tuſculani A. 1522. In tanta editionum copia, quæ ſunt ab illo doctiſſimorum Virorum pari multo ſtudio collectæ, mirum videri nemini non poſſit, Venetæ illius, quam nos manibus

manibus tenemus, indicium non factum, id quod ſummam eius raritatem, & inſigne pretium, haud obſcure loquitur. Prodiit hæc, ut ſupra dixi, A. 1501, unde, falli *Fabricium*, apparet, qui, ei demum editioni, quam A. 1504 Veneti curarunt, additiones *Brugnolanas* acceſſiſſe, *l. c.* nos docet; nec meliora tradi a *Kœnigio*, contextum a *Brugnolo* A. 1502 *Cornucopiæ Latinæ linguæ* perhibente. Neque vero affirmare auſim, editionum, quibus lima ſtudiumque *Brugnoli* acceſſit, primam hanc fuiſſe, quod *Maittairio* nominari aliam videam, anno iam 1496 ab eodem typographo, *Ioanne de Tridino*, curatam, cuius formam & rationem, quam noſtræ huius, eandem fuiſſe, ſi dicere certo non liceat, at nec quidquam eſt, quod coniicere nos prohibeat. Certe, quod Epiſtolæ *ad Studioſos*, quæ in fronte huius noſtræ legitur, non ſubnotatus a typographo annus eſt, id nulla mihi factum videtur alia de cauſa, quam ut, novum prorſus a ſe librum dari, lectoribus, aut potius emtoribus, perſuaderet, ex anni indicio alia facile omnia cogituris. Quam familiare omni tempore hoc artificium fuerit rem librariam quæſtus cauſa tractantibus, non ignorant ii, quibus libros tam veteres, quam novos, frequenter manibus verſare datum eſt. Iam, quid præſtitum ſit in hac editione, ex eadem, quam diximus, epiſtola typographi intelligitur. Ab hoc nempe docemur, opus hoc *Perottinum* a *Democrito Terracinenſi*, *bonas literas*, ut hic dicitur, *bene docto*,

docto, & in huiusmodi almis negotiis omnium ſolertiſſimo, ad ipſum Auctoris archetypum iterum iterumque caſtigatum; univerſum autem a *Benedicto Brugnolo, Cicerone Veronenſi*, ita recognitum, ut maculæ omnes, quas priores circumtulerant editiones, maxime vero hæ, quæ in Græcorum Scriptorum locis inſederant, feliciſſime ſint ſublatæ; denique ipſius *Tacuini*, & ſociorum eius, ſtudio acceſſiſſe huic operi, & in eius contextum quaſi inſita; vocabulorum, ex Auctoribus antiquis excerptorum, ſupra tria millia, eademque, ut diſtingui lectori a *Perottinis* poſſent, in Indice, quem idem typographus huic libro ampliſſimum, plagulasque implentem quatuor & viginti, præmiſit, ſingulis punctis ſingula notata. Eodem & Indice, & vocabulorum additamento, auctæ, poſtea editiones aliæ, *Aldina* A. 1513, *Baſileenſis* A. 1521, hiſque plures, prodierunt; ſed. alium has, quam *Perottum*, Auctorem habere, nec *Aldus*, nec quisquam alius, nos docet, ut, niſi Epiſtolam hanc *Tacuini* ante legeris, uni tribuenda omnia *Perotto* putes. Id valde ſingulare eſt, eandem, cui nomen ſuum *Tacuinus* inſcripſit, in noſtra editione epiſtolam *Ioanni de Legnano*, civi Mediolanenſi, tribui, præmiſſamque editioni operis *Perottini Mediolanenſi*, quæ A. 1502 prodiit, perhiberi a *Scipione Maffeo*, Viro egregio, in *Verona illuſtrata P. II pag. 121*, ubi partem huius epiſtolæ unam & alteram profert, unde, prorſus eandem eſſe, quam ſuæ editioni *Tacuinus* præmiſit, tam clare,

 quam

quam quod clariſſime, patet. Hoc quid rei ſit, non intelligo, qui editionem illam *Ioannis de Legnano* nunquam vidi, nec, quam dederit urbs Mediolanum, cognitam editionem ullam habeo, niſi hanc, quam, A. 1498 per *Uldaricum Scinzenzeler* excuſam, nominari video a Clariſſ. Viro, *Joſepho Antonio Saxio*, in *Hiſtoria literario-typographica Mediolanenſi*, præmiſſa *Phil. Argelati Bibliothecæ Scriptorum Mediolanenſium*, *p. 601*; ſed in quam editionem merita *Ioannis de Legnano*, quod ſciam, nulla exſtant. Id omnes vident, ſi ſuum ipſe nomen epiſtolæ inſcripſerit *Legnanus*, qui, ſi vera ducor coniectura, nec in typographorum, nec in hominum doctorum, numero ponendus eſt, ſed, ut idem docet *Saxius* in epiſtola ad Eminentiſſ. *Angelum Mariam Quirinum*, eidem *Bibliothecæ Script. Mediol.* ſubiecta, *pag. 60, liberalem* tantum *domeſtici æris opem typographo Zaroto contulit ad elegantiam ſplendoremque editionum fovendum, nec unquam deſtitit, donec vita ſuperfuit, a glorioſo hoc munere literis impertiendo*, parum abeſſe, quin is furti literarii reus agi a *Tacuino* poſſit, quippe cui, cum ante *Legnanum* ad edendum *Cornucopiæ* ſe converterit, plus, quam *Legnano*, in Epiſtolam illam eſſe iuris apparet. Sed mihi quidem, uſque dum librum ipſum videre contigerit, valde dubium videtur, an tantum ſibi licentiæ ſumturus fuerit *Legnanus*, ut nomen ſuum tali præfigeret epiſtolæ, quam anno ante compoſitam editamque a *Tacuino*,

tuo, per Italiam fortaſſe haud unus ignorabat. Stipitem eum eſſe et inſanum oportet, qui furti tam manifeſti non daturum ſe pœnas putet. Si quid coniicere hic licet, non librum novum tradere in manus noſtras, ſed ſumtus tantum conferre *Legnanus* voluit excudendo denuo eidem operi, quod paulo ante prelo Venetorum exierat; cui, ne quid deeſſet, ipſam addidit epiſtolam typographi, ſed ideo a ſe, quod ſuſpicor, non nominati, ne, ſi qui poſterorum in fronte editionis Mediolanenſis nomen *Tacuini* legerent, huic inter urbis huius typographos locum tribuerent. Mihi certe exempla non pauca editionum diverſarum, & quas varii typographi curarunt, ſunt cognita, quibus ſingulis primi typographi, etiam haud nominati, ad Lectorem Præfatio præmiſſa eſt non alia de cauſa, quam quod nihil novi a poſteris typographis ſit præſtitum. Epiſtolæ *Tacuini* in hac Veneta, quam manibus tractamus, editione ſubiectum eſt *Thomæ Genuenſis de Valerano, Correctoris, et Indicis coadiutoris, duo ad Reverendum Preſbyterum Aloyſium Zoiam, digniſſimum Plebanum S. Ioannis belemoſynarii de Rivalto, & ad Lectorem*, Epigrammata, ſatis bona, ad id compoſita a *Genuenſi*, ut tabulam, ſeu Indicem, a ſe confectum, non *Aloyſio* tantum, ſed inprimis etiam lectoribus, commendaret. Alterum ita ſe habet:

Χαῖρε πάτερ, *Cornu optatum iam tempore lapſo*
Accipe; nunc uſque quod bene diſtulimus.

 Ut-

Ut tabulam ſpectes, quam noſtra excudimus arte,
Quæ notat, inſideat quo roſa clauſa ſinu.
Spes nos ſancta fovet, fuerint cum templa Ioannis
Diruta vix ullis non adeunda viris.
Nunc, quali cultu, aſpicimus, decorentur: ut hæc ſint
Ultima, quæ fuerint nobiliora aliis:
Copia ſic cornu hac tabula illuſtrabitur; inde et
Felicem felix hic labor aſtra feret.

Alterum hoc eſt:

Eſt dignum digito monſtrarier; indicat omne
Litera cum numeris; perlege, doctus eris.

Iam vocabulorum, a *Perotto* ſive explicatorum, ſive illuſtratorum, Index, ſatis, ut dixi, diligenter inſtructus, hunc vero ipſum opus *Perottinum*, a *Brugnolo* recognitum, & cura auctum *Tacuini*, ſequitur. Id, neſcio, qua ſit de cauſa factum, quod exulare hac editione iuſſa eſt illa a *Pyrrho Perotto*, a quo omnium primo opus hoc patrui ſui, *Nicolai*, ſcimus editum, ſatis longa & lectu digna Præfatio, quam ego aliis omnibus, quæcunque mihi ſunt inſpectæ, editionibus præmiſſam vidi; niſi forte, quod nunc etiam in libris aliorum facere alienæ non ita, ſicut ſuæ, famæ ſtudioſi ſolent, hanc omittendo Præfationem, ad ſe rapere *Tacuinus*, quæ

quæ *Perotto* debebatur, primæ editionis gloriam voluit. De *Brugnolo*, cuius in hanc editionem præcipua ſunt merita, cum, qui vulgo eruditorum hominum vitas ſcriptis perſecuti ſunt, nihil, aut certe parum, commemorent, nos, quicquid nobis undecunque, maxime vero ex *Maffei Veronæ illuſtratæ P. II pag. 121*, eſt collectum, pauciſſimis dicemus. Fuit ex eorum numero hic *Brugnolus*, quibus ſatius eſt, ætati ſuæ doctrina, quam ſcriptis poſteritati, commendari. Nam, quod fama eius nunc, quam olim, multo magis in obſcuro latet, cauſa nulla eſt alia, quam quod de ſcribendis libris ipſe nunquam cogitavit; etſi in edendis recognoſcendiſque aliorum ſcriptis multum ab eo conſtet laboris ſtudiique poſitum. Mihi, præter elegantem illam ad *Laurentium Georgium* & *Iacobum Baduarios, Patricios Venetos*, Epiſtolam, *Ambroſii Camaldulenſis verſioni Latinæ Diogenis Laertii* præmiſſam, & aliam, ſatis longam, & imitatore *Ciceronis* digniſſimam, talemque prorſus, ut, magna omnia ab eo exſpectari potuiſſe, intelligere hinc liceat, ad *Laurentium Iuſtinianum*, quæ in fronte *Librorum XV Bernardi Iuſtiniani de Origine urbis Venetiarum, rebusque geſtis a Venetis*, legitur, adhuc quidem, unde de ſumma eius eruditione, paſſim celebrata, exiſtimari poſſit, nihil inſpectum. Idem *Juſtiniani*, iam mortui, opus edendum curavit *Brugnolus*, a ſe non ſolum expolitum, ſed variis etiam in locis, ubi inchoatum tantum, & mutilum relictum, ab

Auctore fuerat, feliciter perfectum, ac integritati ſuæ reſtitutum. *Schurzfleiſchio*, qui, deberi *Brugnolo* Latinam Græcorum Carminum, quæ in *Diogene Laertio* leguntur, interpretationem, eandemque cum *Ambroſii Camaldulenſis* verſione *Diogenis Laërtii* coniunctam inveniri, in *Actis literariis pag.* 6 docet, equidem haud ſcio, unde compertum fuerit hoc ipſum. Nam, quod de nonnullis Epigrammatibus & verſibus id ipſe teſtatur *Brugnolus* in illa, quam modo dixi, ad *Baduarios* epiſtola, non ideo de omnibus ac ſingulis Carminibus id affirmare *Schurzfleiſchius* debebat. Id ſatis conſtat, illam *Ambroſii* verſionem, a *Brugnolo* diligenter recognitam, huiusque ad *Baduarios* epiſtola ornatam, A. 1475 prelo *Nicolai Ienſon*, typographi Venetorum nobiliſſimi, exiiſſe. Quo quidem recognoſcendi ſtudio illud ſe conſecutum, in eadem ipſe ait epiſtola, *ut non aliter a fratre Ambroſio traductus fuerit Diogenes, quam magiſtro Nicolao a ſe traditus fuerit imprimendus.* Factum hinc eſt, ut *Henr. Stephanus* ſub finem *Diogenis Laertii*, A. 1570 a ſe editi, *Brugnoli* hanc interpretationem diceret, (teſtimonium in eo ſequor, qui ipſe editione illa careo, *Ægidii Menagii*, ita ſcribentis in *Obſervat. in Diogenem Laertium pag. m. 3*: *Græcum etiam poſtea edidit Henricus Stephanus cum Latina interpretatione Benedicti Brugnoli ad calcem, anno 1570,*) quam rectius dixiſſet a *Brugnolo* recognitam, ſicut deinde dixit in editione *Diogenis*, A. 1594 adornata,

cui

cui & adiectas non paucas in hanc verſionem animadverſiones criticas invenio, in quibus hoc inprimis agitur, ut, parum acutum alieni laboris emendatorem, nec verſatum ſatis in Græcis, fuiſſe *Brugnolum*, exemplis bene multis appareat. Similia induſtriæ *Brugnolianæ* monumenta in *Officiorum Ciceronis*, & *Priſciani*, Venetis editionibus, illa anni 1484, hac anni 1495, exſtant; quæ, quod emendatiſſimæ, & ad veteres libros valde caſtigatæ, prodierunt, id unius ſtudio *Brugnoli* debent. Itaque non puduit *Brugnolum*, operam ſuam typographis dicare, & inter præcipuos urbis Venetæ correctores librorum numerari; quo de literis bene merendi modo maius fortaſſe non ſuæ tantum, ſed poſteræ etiam, ætati officium præſtitit, quam ſi novis ipſe operibus literariam rempublicam ditaſſet. Ea certe noſtri ſeculi magna labes eſt, quod librorum, non dicam excudendorum, id quod ferri quodammodo poſſet, ſed recognoſcendorum emendandorumque, opera plerumque demandari imperitiſſimis iſtius artis hominibus, hoc eſt, ſtupidis, ab ipſo literarum ſenſu alieniſſimis, ad tundendum in piſtrino frumentum, quam iuvandam rem librariam, aptioribus, ſoleat; quo fit, ut officinis noſtris exire, non libros, ſed librorum monſtra, videamus, adeo adſpectu horrida, turpiſſimisque maculis fœdata, ut ſine ſummo faſtidio adſpicere hæc, qui elegantiæ in re tali aliquem guſtum habent, nemo poſſit. Illo, quo *Brugnolus* vixit,

 tempore

tempore hoc honeſtius iudicatum eſt illud correctoris librorum officium, quo maiori opus eſſe doctrina ad emendandos omnium linguarum tam veteres, quam novos, libros, & quo plus intereſſe literarum, ut tales legerentur libri, quales a ſuis ſunt Auctoribus compoſiti, omnes intelligebant. Ipſe *Brugnolus*, ne mediocris fortunæ hominem putes, annos quadraginta continuos, publico reipublicæ ſtipendio, in urbe Veneta literas humaniores docuit, idque tanto cum applauſu, ut ex eius ſchola, tanquam ex equo Troiano, doctiſſimi quique viri prodierint. Fama autem huius Grammatici per Italiam exteraſque regiones prorſus ſumma fuit, &, ſi quis huius in ſcriptis ſuis mentionem fecit, is multa de eo & ornate, & honorifice, & graviter, prædicavit. *Maffao* ex carmine antiquo, cuius Italicum titulum hunc facit: *L'Azion Pantea*, ſed de quo nihil mihi præterea eſt cognitum, hi afferuntur verſus:

Et Venetos, Brugnole, docens, iuſtiſſime cenſor,
Caſtigans veterum mendoſa volumina vatum.

M. Ant. Sabellicus in *Dialogo*, qui *Latinæ linguæ reparatio* inſcribitur, inter viros doctiſſimos, quos inter ſe colloquentes introducit, *Hermolaum Barbarum, Hieron. Donatum, M. Dandulum, Sebaſt. Privolium, Nic. Lipanānum, Dan. Raineriun*, hunc etiam *Brugnolum*, ſed qui *Prumulus* ei vocatur, nominat. *Aderat*, inquit, *& Benedictus Prumulus, homo impenſe doctus, qui trigeſimo & amplius abhinc anno publice in hac*

urbe eſt profeſſus. Hunc deinde, ait, *de Romana linguae reparatione ornatiſſime ac diſertisſime locutum;* eidemque *naturam non infacetam, & facile ad omnia excogitanda ingenium*, tribuit. Addo eiusdem *Sabellici* plenum amoris de *Brugnolo* iudicium, quod exſtat in *Epiſtola ad Dan. Rainerium*, (*Lib. X Epiſtolarum Sabellici*,) qui diſcipulus *Brugnoli* fuit: *Multo itaque humanior praeceptor tuus Benedictus Prunulus, multo & meus Pomponius Laetus, qui, cum doctisſimi ambo, non modo non laedunt quemquam, ſed ne ab ullo quidem laedi patiuntur, quantum in utroque eſt.* Aliis aliorum teſtimoniis facile carebit Lector, cum legerit ea, quae de laudibus & in literas meritis *Brugnoli* tanquam in compendio commemoravit ille ſaepius nobis nominatus *Tacuinus* in ſua *ad Studioſos* Epiſtola, cuius huc partem transferri, non ab hoc loco alienum videtur: *Ut ſincerisſimum cuſtodiretur Cornucopiae, Cicero Veronenſis, id eſt, Benedictus Brugnolus, omni mea praedicatione, immo nullo non praeconio, maior, univerſum recognovit, — — Nihil enim non inoffenſum, nihil non integerrimum, nihil non politisſimum, ex ſua ullo pacto vult emanare officina; de cuius doctrina & iudicio ſingulari, nihil opus eſt, quidquam dicatur. Palam enim eſt, ex cuius gymnaſio, quod annos ſupra quinquaginta honeſtisſimo Venetorum ſtipendio florentisſimum perſtitit, plures omnibus diſciplinis clarisſimos exiſſe cognovimus, quaſi ex equo Troiano duces praeſtantisſimos: ad quem, & Homerum & Thucydidem & alios*

Auctores, non ſolum Græcos, ſed etiam Quintilianum & alios Latinos, & Rhetoricam Ciceronis, frequentiſſimo auditorio narrantem, cum veniſſet Domitius Calderinus, iam ſatis doctus, bienniumque & etiam amplius audiſſet, profeſſus eſt ipſe migrans Romam, ſe longe alium abire, multo magis inſtructum, quam veniſſet. Præſtantia Brugnoli cognita, Bernardus Juſtinianus, Orator præcipuus, Hiſtorias ſuas emendandas, & pro ſententia caſtigandas, ei teſtamento reliquit. Brugnolum Antonius Cornelius, Hermolaus Barbarus, moribus ſemidei, & eruditione & omni genere ſcientiarum præſtantiſſimi, unice probabant: unum Brugnolum Hieronymus Donatus, omni virtute & ſcientia præditus, Marcus Antonius Sabellicus, Livio Patavino ætate duntaxat poſtponendus, laudant & admirantur: nec mirum quidem. Nemo artem oratoriam commodius; nemo Poëtarum venuſtatem utilius; nemo Ariſtotelis ſeu Ethicam, ſeu Phyſicos libros volueris, facilius edocet; nemo quoſvis Auctores Græcos fidelius interpretatur. Neque vero certius ullum ac perennius de virtute & doctrina *Brugnoli* teſtimonium illo eſt, quod inſcriptum monumento ſepulcrali, memoriæ *Brugnoli* conſecrato, poſitoque Venetiis in templo Fratrum Conventualium, *Maffæus* teſtatur. Id iuvat integrum hic legere: *Benedictum Brugnolum, Veronenſem, virum integerrimum, optimum Grammatices, Rhetorices, Philoſophiæque, Profeſſorem, literarum bonarum parentem, utriusque linguæ peritiſſimum, ac in erudiendis*

per quadraginta amplius annos publice ſtipendio diſcipulis de Republ. Veneta optime meritum, Joan. Quirinus Nicolai benevolentiæ gratitudinisque gratia hoc Sarcophago decoravit, MDV. Mira ſunt, & portento ſimilia quodammodo, quæ accidiſſe *Iul. Caſ. Scaligero*, oblatam ſibi in ſomno ſpeciem huius *Brugnoli*, nec viſi ſibi antea, nec auditi, horrenti, referuntur ab eius filio, *Ioſepho*, in *Epiſtola de Vetuſtate & ſplendore gentis Scaligeræ, & Iul. Caſ. Scaligeri vita, pag.* 48 Lectu iucunda eſt illa narratio, atque adeo, quæ hic repetatur, digniſſima. *Prodigioſa*; ait *Ioſephus*, *usque ad miraculum ex ſomniis vaticinatio. Unum de multis referam. Cum Heroum ſuorum opus contexens, ad multum noctis lucubraſſet, abſoluto libro, poſt cœnulam quiete compoſitus imaginatus eſt, in æde Mariæ antiquæ Veronenſis, ubi ſunt monimenta gentis noſtræ, hominem procerum, ac gravem, ſibi obviam factum, ſecum expoſtulare, quod ſe inter Heroas ſuos non collocaſſet. Orare igitur, ut hoc faceret; ſe Benedictum Brugnolum eſſe, domo Leniaco, qui patrem Benedictum ac patruos literas primas docuiſſet; ipſum quoque puerulum aliquando inter ulnas geſtaſſet. Venetiis ſe ultimum diem obiiſſe, ibique ſepultum eſſe. Experrectus ſomnium elegia elegantiſſima expreſſit, quæ calci Heroum addita eſt. Ipſe vero nunquam ſcivit, quis eſſet Brugnolus ille, neque quid portenderet ſomnium. Et profecto ego quoque nihil unquam aliud, quam ſomnium, credidi, donec anno* 1566, *cum eſſem in*

Italia,

Italia, & M. Antonio Mureto expoſuiſſem, me habere in animo, Venetias proficiſci, ille inter alia, quæ in ea urbe digna cognitu ſunt, refert, monimentum eſſe Benedicti Brugnoli, Leniacenſis, excellentisſimi ævo ſuo Grammatici, qui, ut eius epitaphium fert, & principes & proceres ævi ſui in Norico literas docuerit. Id ſepulcrum dignum eſſe, quod ſtudioſos antiquitatis oculos moraretur. Neque tamen magis meminerat Muretus ſomnii patris mei, quam pater meus ſciebat, quis eſſet Benedictus Brugnolus. Legat totam elegiam, qui volet, & inveniet, quod ſatis mirari non poſſit. Quam quidem *Scaligeri*, patris, elegiam, non ſolum eius *Poematibus*, horumque parti illi, quæ inſcripta eſt *Heroes*, adiectam, ſed repetitam etiam in *primis Scaligeranis*, cum Præfatione *T. Fabri* Ultraiecti A. 1670 editis, *pag.* 24, ubi de eodem patris ſomnio tanquam de re inaudita filius commemorat, multi fortaſſe Lectorum meorum cum voluptate legent. Eſt igitur hæc:

Vera canam: vos vera Deæ ſpirate canenti,
Et date nectareos in mea verba modos.
Finieram heroos multa de nocte labores.
Præbuit inde levem ſobria menſa cibum.
Umbra ſibi hibernas biſſex exegerat horas:
Membra quies molli blanda refecit ope.
Viſus eram auguſti ſancta in penetralia templi
Audacem a primo limine ferre pedem.

Lætus

Lætus ibi tumulos, tumuliſque impoſta tropæa,
Martiaque armata corpora ſtare manu.
Qualia Scaligero ſunt conſpicienda ſacello,
Quod noſtra Antiqui nomine ſigna capit,
Dum miror: celſo vox eſt mihi reddita muro.
Si memini, murum hunc marmora pura tegunt.
Sum Benedictus ego: Brugnolum ſecula dicunt:
Ipſe tuum docui prima elementa patrem:
Et patrem, & patruos, totamque ab origine gentem,
In quam ſum accitus, Norica terra fuit.
Noricus huc à Leniaco me Cæſar adegit,
Cui genitor pacis nomina ferre dedit.
Primus eo Latias adduxi candidus artes,
Græcaque non noto tunc elementa ſono.
Te quoque vix natum primis geſtavimus ulnis:
Profuit & ſi quid, vota preceſque tuli.
Heu quod non licuit ſacram mihi texere laurum:
Dum decus hoc aliis fata parare volunt:
Nec noctes vigilare tibi, nec condere luces:
Sors famæ ad cumulum defuit illa mihi.
Dura pater patruique ſimul ſunt arma ſecuti:
Me Veneta externo pulvere terra tegit.
At tu, per generis monumenta inſignia veſtri,
Quæque tibi a magnis gloria venit avis,
Eripe me ingratis o nunquam erepte tenebris;
Et novus heroo nomine ſurgat honor.

Iſta

Iſta ſimul, ſimul ecce cavi de fornice muri
Exilit ingentis maxima forma viri.
Et porrecta meo circumdans brachia collo,
Hoc tollam, inquit, ego ſumma ſub aſtra caput.
Magnus ego & celſo ſurrectus corpore, verum
Pectore tum toto grandior ille fuit.
Nunc quoque, cum ſcribo, trepidos rigor occupat artus:
Et ſtupida a facie lumina ſplendor habet.
Parcite Brugnoli, mihi iam nova Numina, manes:
Nulla aures tetigit nominis aura meas.
Cum Pater exactos memoraret ſedulus annos,
Poſſe reor nomen forſan habere tuum.
Te tamen, ut iuſſiſti, habeo pro Numine vero,
Sive opus eſt ſacro carmine, ſive focis.
Sancte vale: patremque meum patruoſque ſaluta,
Teque precor ſimilem ſæpe redire mihi.

Habeant hoc, qui ſomniis delectantur, & his multum tribuunt, dulce pabulum ingenii ſui, &, cuius vigilantis ſenſus noſtris ſimiles fuerunt, in ſomno divinitatis cuiusdam participem factam animam *Scaligeri* mirentur. Mihi primum admirari poetam *Scaligerum*, fictione non eleganti tantum, ſed probabili etiam, & omnis ævi Poetis uſitatiſſima, utentem; deinde ridere filium, *Ioſephum*, liceat, eorum quippe, quæ ipſe credi pater noluerat, valde credulum, & iocorum plauſibilium ineptiſſimum interpretem. Sed ridebimus etiam ſatis ridiculum errorem, in

Actis

Actis literariis Schurzfleiſchianis pag. 13 mihi obſervatum, ubi, *Muretum*, legimus, *Ioſ. Scaligero* dixiſſe, ſe vidiſſe Venetiis in templo quodam *ſpectrum viri eius, qui Scaligero patri Veronæ per ſomnium apparuerat.* Inepta hæc, & a mente *Mureti* alieniſſima; qui nunquam dixit, *ſpectrum Brugnoli*, ſed *ſepulcrum* eius *ſpectri*, quod ſomnianti ſe *Scaligero* obtulerat, Venetiis a ſe viſum. Transſumta hæc, ſed male transſumta, a *Schurzfleiſchio* ex *Primis Scaligeranis*, a *T. Fabro* editis, *pag.* 23, ubi clara & perſpicua ſunt verba: *Muretus decem poſt annis Romæ Ioſepho Scaligero dixit, ſe vidiſſe in templo quodam Venetiis ſepulcrum eius ſpectri, quod ipſi apparuit in ſomnis, cui ſepulcro hac verba inſcribuntur: Brugnolus, maximus ſui temporis Grammaticus.* De qua quidem ſepulcri inſcriptione ideo dubitare nobis liceat, quod ea fruſtra quæratur in monumento illo, cuius nobis copiam *Maffæus* fecit, & de quo nos paulo ante diximus. Idem *Maffæus* meminit *Orationis*, publice a neſcio quo in laudem & memoriam *Brugnoli* recitatæ, & forma maiore editæ, unde, ſi cui hæc ad manus fuerit, non dubito, hauriri ei, quam nobis dare licuit, multo plura, & certiora, poſſe. Nos interim de inſtaurata memoria viri ætate ſua maximi, & inter præcipua Seculi XV ornamenta numerandi, fortaſſe aliquam a Lectoribus gratiam feremus.

II. *Divo Maximiliano Cæſ. Auguſto, Princi-*

pi

pi magnanimo & invicto Oratio, nomine Gymnaſii Viennenſis, per Ioachimum Vadianum, Helvetium, Oratorem, & Poetam ab eodem Laureatum, XI. Kalen. Auguſti Anno MDXV, in celebri ſummæ nobilitatis præſentia, exhibita. Vegetius a principio primi de re militari: Nihil equidem recte incboatur, niſi poſt Deum faverit Imperator. Impreſſum Viennæ per Ioannem Singrenium Anno MDXV. 4.

Id nemo a me exſpectet, ut, quæ de vita & ſcriptis *Ioachimi Vadiani*, ortu Helvetii, ſed Vindobonenſis Academiæ doctoris ac Rectoris nobiliſſimi, quo nemo feliciori ingenio ſtudia inter ſe valde diſſona, Theologiam, Medicinam, Hiſtoriam, eloquentiam, poeſin, & omnis generis elegantiores literas, complexus eſt, aut poſſunt commemorari, aut commemorata ſunt dudum notiſſimis Vitarum ſcriptoribus, *Iovio*, *Geſnero*, *Adami*, *Frebero*, *Teisſierio*, & aliis, hic, in unum veluti cumulum congeſta, cupidis ſelectioris doctrinæ lectoribus apponam. Huius ſaltem, cuius modo indicem adſcripſi, *Orationis Vadianeæ* non prætermittendam mentionem putavi, partim quod eam *Maittairius*, ſcriptorum *Vadiani* nihil, niſi *Orationem, in conventu Cæſaris & trium Regum* recitatam, quæ Viennæ prelo *Victoris* A. 1515 exiit, & *Epitomen*

men topographicam totius orbis, Antverpiæ A. 1535 typis exſcriptam, habens cognitum, ignoret, partim quod, qui ſcriptorum eius inſtructiſſimos dederunt indices *Geſnerus* in *Bibl. p.398*, & *Teiſſierius* in *Elog. des homm. ſav. T. II pag. 98*, hanc ne nominaverint quidem Orationem, fortaſſe, quæ ab interitu & ſilentio vindicetur, digniſſimam. Scripta hæc eſt ac edita eodem anno, quo recitatam, ac publica donatam luce, ſcimus alteram illam, tot celebratam ſcriptoribus, *Orationem, qua, in conventu Imperatoris & trium Regum, Sigiſmundum, Poloniarum Regem, ſalutavit* Vadianus, & famæ illi, quam poſtea doctrina & ſcriptis ſuis conſecutus eſt, egregie prælufit. Harum *Orationum* utram recitaverit priorem, inde iudicatu eſt facillimum, quod in hac, quam manibus tenemus, adventum *Sigiſmundi* ſatis copioſe, ſed non aliter ac rem præteritam, commemoret. Dicavit hanc, quæ iam dicendi nobis materiam ſuppeditat, laudibus Imperatoris *Maximiliani*, nec me falli putem, ſi grati animi cauſa ſcriptam dixero a *Vadiano*, Imperatoria liberalitate paulo ante, anno nempe 1514, ut *Melch. Adami* conſtat teſtimonio, laurea donato. Nuncupavit ipſe hanc Orationem *Georgio, Epiſcopo Vienneſi, Muſarum amantisſimo Præſuli*, epiſtola non ineleganti, *Orationi* præmiſſa, & Calendis Auguſti anni 1515 data; ex qua diſcimus, *Orationem* hanc, priuſquam ederetur, manu exſcribendam, &, præſente Gymnaſio, offerendam ſibi, iuſſiſſe Imperatorem *Maximilianum*, quod maximis & ampliſſimis negotiis, quo minus eam, ut animo

deſtinaverat, audiret, fuiſſet impeditus; huius deinde lectione non Imperatorem tantum, ſed primarios quosque in aula viros, maxime vero *Iacobum Spiegelium*, Iureconſultum, & Imperatoriis a ſecretis, ita delectatos, ut dignam, quæ ederetur legereturque publice ab omnibus, iudicarent; horum igitur precibus & quaſi minis factum eſſe, ut ipſe, invitus licet, prelo ſubmitti ſuum hunc laborem pateretur, de quo ipſe modeſtiſſime, his quidem verbis, ſentit: *Officio pro virili feci ſatis, ea maxime ſpe, ut nihil horum exiturum in lucem conſiderem, quæ tumultuaria cogitatione, in ſubito rei eventu, congeſſeram; nam alioqui tempus per me deſtinatum erat his ſtudiis, quibus tanti Principis laus auctior aliquanto, &, ut geſta ſua virtusque mereri videbantur, impenſiori opera magis illuſtris, in eruditorum conſpectum prodiret. — — — Cuius* (Spiegelii) *quaſi minis factum eſt, ut, quod ipſe, animo diffidens, ultro nolebam, coactus peregerim. Non ob id quidem, quod Cæſarem laudare aut nollem, aut non poſſem, ſed ob eam cauſam, quod, quæ dicturus fueram, haud omnino rei mihi conceptæ reſpondere videbantur. Orationis*, quam nomine Gymnaſii *Vadianus*, ut ipſe ſibi dicitur, *Gymnaſiarcha*, recitavit, argumentum, ut diximus, hiſtoria virtutum & factorum *Maximiliani* eſt, quorum nihil facile, unde laudis aliqua materia deſumi poteſt, a prima inde infantia ad iuſtam eius ætatem progreſſus, aut non diligenter deſcribit, aut non, pro

argu-

argumenti dignitate, magnifice extollit. Quicquid igitur immortali dignum memoria, omnique commemorabile poſteritati, bello ac pace, a maximo illo libertatis Germanicæ conſervatore ac vindice, cuius imperio nullum aliud feliciſſimis eventis ditius, nullum Germaniæ noſtræ auſpicatius, fuit, geſtum eſt, hic, velut in tabula quadam, ſpectandum exhibetur lectoribus; divinæ autem illæ & incomparabiles virtutes, quæ Principem hunc civibus æque ſuis ac remotiſſimis populis admirabilem amabilemque effecerunt, magnitudo animi, iuris rectique ſtudium, in adverſis conſtantia, clementia & optimo cuique bene faciendi ardor, inprimis vero amor literarum, & erga Viennenſe Gymnaſium benigniſſima propenſio, iuſtis ac debitis præconiis celebrantur. Quæ cum ſint per ſe illuſtria, & in communi omnium admiratione poſita, tum ab arte & eloquentia Oratoris novum quaſi quoddam lumen & ſplendorem accipiunt. Eſt enim genus dicendi rebus, quæ explicantur, inprimis accommodatum, hoc eſt, nobile ac ſublime, vim ad perſuadendum habens maximam, ſententiarum tanquam floribus conſperſum, verbis non aptis tantum, ſed valde etiam ſonoris, exornatum, atque adeo ad exemplum veterum vel maxime compoſitum, &, ſi a levioribus nonnullis diſceſſeris, ſatis etiam purum. Quæ cum ornamenta nemo non, qui aliquem harum literarum ſenſum habet, in *Oratione* hac facillime agnoſcat;

ſcat; hinc mirari aliquis poſſit, cur nec, qui famæ tantæ Principis ſunt ſtudioſi, nec qui commendatam iuventuti eloquentiam Romanam cupiunt, ad hunc diem de tribuendo ei, quem præ multis aliis meretur, honore, hoc eſt, de ea iterum edenda, atque adeo ab iniuria ætatis & interitu vindicanda, cogitaverint; quam ſi operam nunc etiam honeſtus aliquis, & literis ex animo deditus, alumnus Muſarum ſuſceperit, habet-is utique, cur, de elegantioribus ſtudiis meriturum ſe optime, exiſtimet, nec parum gratiæ initurum ab his, quibus illa ſunt curæ cordique, ſperet.

III. *Oratio tumultuaria ad illuſtriſſimum & generoſisſimum Principem Do. Do. Caſimirum, Marchionem Brandenburgenſem, Stetinenſem, Pomeraniæ, Caſſubiæ, Sclavorumque Ducem, Burgravium Neurenbergenſem, & Rugiæ Principem, Magiſtri Chriſtophori Craſſi, Helvetii, in magna procerum frequentia, Viennæ Pannoniæ habita.* (Iam Marchionatus Brandenburgici inſignia ſpectantur, quibus hæc ſubſcripta:) *Ad illuſtriſſ. Principem Caſimirum, Marchionem Brandenburgenſem, Ioachimi Vadiani, Helvetii, Tetraſtichon:*

Hæc, quæ de magnis Atavis inſignia ſerpunt,
Sunt meritò duplicis munere parta boni.

Stat

Stat virtute prius, reliquum fortuna repoſcit,
Cum ſit utrumque tuum, certe & imago tua eſt.

Craſſi tetraſtichon:

Quid maius poteras, Princeps, ſperare ſub orbe,
Imperio maius vel quid habere ſoli?
Dii tibi dent ſuperi, quicquid, Caſimire, mereris,
Et rata perpetuo, quæ tribuere, velint.
Impreſſum Viennæ per Ioannem Singrenium,
MDXV. 4.

Non incommode hanc *Craſſi Orationem* illi alteri *Vadiani* iungimus, quippe eodem anno, eademque in urbe, recitatam, neç magis cognitam *Maittairio*, aut ſimilibus Scriptoribus, quam illa fuit. Scripta & habita eſt Gymnaſii Viennenſis nomine, eiusdemque *Caſimiro*, heroi in toga & ſaxo maximo, commendandi cauſa. Quam ſalutaria *Caſimirus* iſte, priusquam cum fratre imperii paterni habenas ſuſcepit, id quod eodem, quo dicta hæc *Oratio*, factum anno eſt, Imperatori *Maximiliano* in expeditionibus bellicis officia præſtiterit, & quam fidus lateri eius Achates adhæſerit, nemo eorum, qui rerum Germaniæ noſtræ paulo curioſiores ſunt, ignorare poteſt. Sapienti igitur conſilio eius ſibi Viri tutelam & patrocinium implorandum duxerunt Viennenſis Gymnaſii doctores, quem plurimum poſſe apud Imperatorem, quotidianis ipſi documentis intelligebant, & cuius commendationem ſibi fore utiliſſimam, certa

ſpe præcipiebant. Factum id autem tali Oratione, quam merito *tumultuariam* inſcripſit Auctor, & in qua ſcribenda nec temporis multum, nec multum ingenii, conſumtum videtur. Vagis enim, & quas alius quisque magnus Princeps æque ſibi vindicare poſſit, cumulatum, aut obrutum potius, *Caſimirum* laudibus videmus; quæ, ſi a narratione rerum ab eo geſtarum ponderis aliquid accepiſſent, tolerabiles videri poſſent, iam, cum nudæ & verbis magis, quam factis, ornatæ, appareant, ſunt eiusmodi, ut ad *Caſimiriani* nominis immortalitatem nihil, aut valde parum, conferant. Abiectiſſimæ adulationis notam habent, non veræ laudationis nomen merentur, verba hæc, ipſi, ni fallor, *Caſimiro* faſtidioſiſſime legenda: *Quid memorem Scipiones, Fabios, Camillos, Torquatos, Valerios, & fulgentiſſima Romanæ maieſtatis (ut ipſis placuit,) ſidera, quos omnes non modo ſapientia, affabilitate, clementia, conſtantia, fortitudine, antecedis, ſed longo intervallo relinquis. Horum facta tuis ſi conferantur, Lunam Soli, tenebras luci, comparaſſe videbimur.* Quibus ſimilia hæc ſunt: *Accedat Quintiliani acumen, gravitas Frontonis, Ciceronis facundia, Plinii levitas, hercle factis tuis offutias obiicient, & quis tandem omnium illam belle laudarit, cuius facta ſortem humanam egrediuntur, cuiusque laudibus nemo mortalium (utcunque grave tonet) ſatis eſt, nec ſi centum linguis ferreaque voce utatur?* Quid dices deinde, cum *Caſimirum* hunc *Alexandro Magno* non comparatum tantum, ſed longiſſime etiam prælatum,

&

& ſolum habere, laudum quicquid poſſedimus omnes, leges? Talia, robore ac nervo deſtituta, vel ipſum legiſſe *Caſimirum* pudeat, nec, ſi præcipua oratoris in perſuadendo virtus conſiſtit, ſatis ego; quam in animis lectorum hæc loquentia verius, quam eloquentia, habere poſſit vim, intelligo. Putidum autem & riſu inprimis dignum eſt, quod ex tot tantisque virtutibus, quarum divinus enituiſſe in *Caſimiro* ſplendor dicitur, nulli plus ab oratore tributum eſt, quam liberalitati, nec, hanc ſemel laudaſſe, ei ſatis fuit, ſed ſæpius, quaſi Deam, thure & odoribus veneratus eſt; unde lectoribus ſuſpicari licet, voluiſſe eum in ſe ipſo, aut Viennenſi ſaltem Gymnaſio, illuſtria illius virtutis documenta edi. Nec in ſtilo Orationis multa ſunt, quæ caſti & ad exempla veterum expreſſi ſermonis amatoribus placere poſſint. *Apuleianum* dictionis genus eſt, nimiis, & qui nauſeam delicatis lectoribus faciant, verborum & ſententiarum floſculis conſperſum. Nec ſatis a barbaris & corruptis locutionibus ſibi cavit Orator, hoc magis in eo reprehendendus, quod talia publicum Gymnaſii doctorem decere minime omnium videantur. In fronte *Orationis* legitur Auctoris *ad generoſum ampliſſimumque Virum, Ioannem Herman Oxinbach, Caſimiri, illuſtriſſ. Principis Brandenburgenſis, Secretarium*, Epiſtola, X Calend. Julii data, nuncupandæ huic *Oxinbachio* Orationis, & captandæ per hunc benevolentiæ Principis, cauſa ſcripta; in qua de ſua ipſe Oratione *Caſſus* teſtatur, *eam*

aliis, etſi non emunctam, ut exſpectabatur, non tamen protritam, ut par erat, viſam eſſe. Epiſtolam hanc comitatur *Auguſtini Marii Ulmani, Canonici, ad Caſmirum, invicti roboris Principem, Decaſtichon*:

Principis eſt magnum meritas depromere laudes,
Maius at eſt dictis facta referre vicem.
Plura canit Craſſus, ſed adhuc ſunt plurima, divis
Quæ te conſtituunt efficiuntque parem.
Id, Caſmire, ſacer Princeps, tibi contigit uni,
Ut ſuperes geſtis munia cuncta tuis.
Plurima non tetigit, poſthac tacturus abunde,
Senſerit ut ſe non diſplicuiſſe tibi.
Eſt tibi devotus, quem ſi digneris amore,
In toto (dicas) nil magis orbe velim.
Nil ſine menda.

Aliud ipſius *Craſſi* ad *Ioannem Biderman, rerum ſacrarum Antiſtitem meritisſimum, & Principis Caſmiri, Herculei animi, ſummum ſacellanum, Hexaſtichon*, Orationi, velut ſigilli loco, adiectum eſt:

Quid virtus poſſit, ſapientia, ſplendor avitus,
Aut quid maiorum fortia facta Ducum,
Principis exemplo liceat cognoſcere. Solus
Germani fertur gloria prima ſoli.
Eſt in eo pietas, ſunt & ſine crimine mores,
Diſpeream, (ſi non) omnia ſolus habet.

De

De Auctore Orationis, *Craſſo*, quod doceam Lectores, nihil habeo. Nemo enim hunc novit, etiam eorum, quibus cognita eſſe Hiſtoriæ literariæ minutiſſima quæque ſolent. Nec præter hanc *Orationem* quidquam mihi viſum unquam ſcriptorum eius. Helvetium fuiſſe, cum inſcriptio *Orationis* doceat; hinc eum putem eodem tempore cum *Vadiano* ex Helvetia Viennam conceſſiſſe, & ab utroque in Gymnaſio Viennenſi publici doctoris locum occupatum. Et *Vadianum* regendi Gymnaſii munere perfunctum, ſupra diximus; *Craſſo* autem, ſi non æqualem, at paulo inferiorem, honorem contigiſſe, non ſolum, quod ipſe ſibi tribuit, *Magiſtri* nomen, ſed illud etiam inprimis, docet, quod *Orationem* hanc publice, totius nomine Gymnaſii, corám Principe illius ætatis maximo recitavit.

IV. *In hoc Volumine hæc continentur: C. Suetonii Tranquilli XII Cæſares. Sexti Aurelii Victoris a D. Cæſare Auguſto uſque ad Theodoſium excerpta. Eutropii de geſtis Romanorum Lib. X. Pauli Diaconi Libri VIII, ad Eutropii Hiſtoriam additi. Venetiis, in ædibus Aldi, & Andreæ, ſoceri, menſe Auguſto MDXVI. 8.*

Hanc *Suetonii*, & aliorum Romanæ Hiſtoriæ Scriptorum, editionem, quantumvis & *Fabricio*, & Lectorum meorum fortaſſe multis, cognitam, tamen vel hoc nomine inter rario-

 res,

res, ideoque in pretio habendas, non immerito ponemus, quod in magno illo editionum *Suetonii*, quas *Maittairius* collegit, numero hæc fruſtra quæratur. Ad id igitur, ut ſupplementum aliquod habeant typographici Annales, de libro hoc vel pauciſſimis dicemus. *Aldinis* editionibus plerisque omnibus id contigit, ut Præfatione aut ipſius *Aldi*, aut unius ex eius hæredibus, ornatæ prodirent. Inſolitum igitur, & mirum quodammodo, ornamento tali editionem hanc *Suetonii* carere. Ab *Aldo* quidem eiusmodi nihil exſpectaveris; quippe quem tunc temporis jam mortuum, præmiſſa huic libro *Io. Bapt. Egnatii* Præfatio teſtatur; ut adeo manifeſtus hinc error *Ge. Matth. Koenigii*, in *Biblioth. vet. & nov.* pag. 504, & Auctoris *Lexici Eruditorum* vernaculi, *T. II p.* 54, pateat, qui, floruiſſe hunc *Aldum* circa annum 1520, neſcio unde hoc edocti, ſcribunt. Debetur, quicquid eſt huius editionis, unius ſtudio *Egnatij*, Grammaticorum illa ætate doctiſſimi, cuius & in alios Auctores veteres ſatis præclara merita fuere. Is non ſolum, ut ex *Aldina* officina ſcripta *Suetonii, Victoris*, *Eutropii*, & *Diaconi*, prodirent emendatiſſima, curavit, ſed nonnulla etiam *Suetonii* obſcuriora loca doctis aut explicavit, aut illuſtravit, annotationibus, &, *Vitas Imperatorum* ſuis Capitibus diſtinguendo, ſummaque horum argumenta brevioribus ſententiis complectendo, lectionem *Suetonii* multo, quam ante fuit, commodiorem effecit. Id unum dolemus,

lemus, non, quibus ſubſidiis in adornanda hac editione uſus ſit, librosne manu ſcriptos, an meliores tantum editiones, ſecutus, id uſquam verbo nos doceri ab *Egnatio*; cui ſatis fuit, huic editioni quamplurimum laboris ac vigiliarum impenſum a ſe eſſe, profiteri. Nihil præterea ſignificat, quæ præmiſſa eſt operi ad *Ioannem Grolierium, Chriſtianiſſimi Francorum Regis a Secretis, & Inſubriæ Quæſtorem primarium*, epiſtola, tota in prædicandis *Grolierii* erga *Egnatium* meritis eximiis, & in commendanda huic *Grolierio*, ſtudioſisque bonarum literarum univerſe omnibus, *Suetonii*, præſtantiſſimi Hiſtoricorum, lectione. Suarum in *Suetonium* notarum, plagulas non niſi duas implentium, in quibus, ſi ipſum audias, *locos aliquot aut in melius emendavit, aut dilucidius explicavit*, modeſtiſſimus ipſe æſtimator eſt, & ipſa ratio Notarum docet, alieniſſimum a more eorum, quibus in hoc genere laboris pompa & phaleræ placent, utilia tantum, & honori futura literis, ſectatum. Laude magis, quam vituperatione, digna hæc in dicendo brevitas eſt, quam & ipſi probabiliter excuſanti *Egnatio* omnis poſteritas favebit. *Non ab re*, inquit, *futurum exiſtimavi*, *quando hoc totum induſtriæ dicatum eſt a me bonis ac literatis viris, ſi, quos locos aut in melius emendavi, aut dilucidius explicavi, ſubnecterem, eosque nullo maiore verborum apparatu, aut copia, publicarem, tum quod nec otii ſatis erat longe maioribus diſtricto, tum quod ab oſtentatione ſemper abfui;*

quæ, cum in omni re odioſa ſit, tum in rebus parvis odioſiſſima eſſe iure ſolet. Accedit ad hæc, quod doceri tantum lectores hoc tempore volui: quos eo mihi æquiores futuros arbitrabar, quo maturius illos dimiſiſſem. Properantes videlicet, et in hæc, ut ex iuſto itinere viatores, otii cauſa divertentes. De his autem Notis, quæ poſtea ſæpiſſime prelo repetitæ, nemini facile eorum, qui *Suetonium* legunt, non ſunt cognitæ, nihil opus eſt hic pluribus commemorari. In eo, ni fallor, omnes conſentiunt, ſatis pro inſtituto *Egnatii*, cui nunquam in animo fuit, amplos in *Suetonium* commentarios excudere, & aliis bene de hoc Scriptore merendi materiam præripere, bonas & ſuo auctore dignas eſſe, & obſcurioribus, ſive verba, ſive res ipſæ, ſpectentur, *Suetonii* nonnullis locis tantum hinc lucis accendi, quantum a doctrina talis viri, qualis *Egnatius* fuit, exſpectari poſſit. Fuit enim ex eorum numero *Egnatius*, qui inſtaurandis in Italia bonis literis haud parum contulerunt, & magna imperii ac doctrinæ laude floruerunt; quæ cauſa eſt, cur de vita & ſcriptis huius *Egnatii* vulgares quique Hiſtoriæ literariæ ſcriptores dicendum ſibi copioſiſſime putaverint.

V. Ἀριςοφάνους εὐτραπελωτάτου Κωμικοῦ Πλοῦτος. *Ariſtophanis, Comici facetiſſimi, Plutus, Græci ſermonis ſtudioſis mire utilis. Hagenoiæ, ex Academia Anshelmiana, menſe Novemb. Anno MDXVII. 4.*

Quam

Quam nec *Fabricius* in *Bibliotheca Græca*, nec *Maittairius* in *typographicis Annalibus*, *Ariſtophaneæ* Fabulæ editionem nominarunt, non abs re fuerit, doctis hominibus, quam ante fuit, notiorem fieri, inprimis cum ex officina nobili, quæ libros nitidiſſime excuſos, & maxime caſtigatos, dedit, prodierit, & externa elegantia præ multis aliis commendari poſſit. Nam, quæ *Academia Anshelmiana* dicitur, officina *Thomæ Anshelmi* fuit, *viri*, ut *Petro Moſellano* in epiſtola, huic libro præmiſſa, vocatur, *miro ingenio*, & cum *Ioanne Frobenio* comparandi, *qui quantum momenti ſtudiis afferre queat, cum ante & Græcis & Latinis, adde etiam Hebraicis, Auctoribus impreſſis oſtendit, tum de cetero hac Ariſtophanis, facetiſſimi hominis, Comœdia apud omnes teſtatum reliquit.* Huic *Anshelmo* excudendæ prelo ſuo Fabulæ antiquæ, cui inter *Ariſtophaneas* nulla par habetur, auctor fuit *Petrus Moſellanus*, clariſſimus ille Græcarum & Latinarum literarum in Lipſienſi Academia Profeſſor, cuius tot aliis in Auctores antiquos meritis, omnium dudum ore celebratis, hoc etiam, vulgo præter meritum neglectum, & indigniſſimo ſcriptorum ſilentio ſepultum, quam maxime addendum eſt. Quod igitur emendatiſſimus, & aliarum editionum maculis purgatus, contextus *Ariſtophanis* hic legitur, id huius curæ & ſtudio *Moſellani*, ad poliendos veteres Auctores prorſus nati, debetur. Is cum, Græcas literas docendi munere probe functurus, præ ceteris

Comœdias

Comœdias antiquas, quæ iuventuti prælegerentur, dignas iudicaret; *Menandri* autem illas, quarum lectio maxime commendata a *Quintiliano* eſt, periiſſe ſive bellorum & ætatis iniuria, ſive maiorum noſtrorum negligentia, ſciret; ex ceteris omnibus *Ariſtophaneas*, in his vero eam, quæ inſcribitur Πλοῦτος, delegit, non ſane præpoſtero conſilio, quod, *eam octo reliquas, ad ætatem noſtram transmiſſas, vel argumenti commoditate, vel morum correctione, vel feſtivis, ſed tamen caſtis, ſalibus antecellere*, vere iudicaret. Hanc igitur, in uſum, ut ipſe ait, cum aliorum ſtudioſorum, qui hinc proficient, tum vero maxime ſuorum auditorum, in *Thomæ Anshelmi*, cuius in excudendo fidem & diligentiam maxime perſpectam habebat, officina denuo edendam curavit, nullis, ut videtur, libris manuſcriptis, (horum enim nihil commemorat,) ſed antiquioribus, quæ ſatis caſtigatæ exſtant, editionibus, & ſuæ doctrinæ adminiculis, adiutus. Prudenter autem in eo, & ad uſum iuventutis accommodate fecit, quod nudum Græcæ fabulæ contextum, nec, quod hac ætate fieri inprimis ſolet, cum Latina verſione, utilitatis prorſus nihil, incommodi autem ad adoleſcentum ſtudia permultum, habitura, coniunctum, dedit. Recte enim intelligebat, & nunc etiam ſapientiſſimi quique ſcholarum magiſtri intelligunt, interpretis Latini conſuetudine a Græcis avocari iuventutem; quæ, ſi nullum ignorantiæ, aut negligentiæ, refugium videat,

velut

velut adhæreſcere in Græcis, & omne ſuum in his ſtudium defigere induſtriamque, debet. Nec huic editioni quidquam accedere notarum voluit, non alio ad edendum animo converſus, quam ut auditoribus ſuis, quos conſtat illum humaniorum literarum magiſtrum ad invidiam usque multos habuiſſe, eius libri, quem publicis prælectionibus explicandum ſibi ac illuſtrandum ſumſerat, correcta exemplaria in manus daret. Ipſæ autem prælectiones ſine dubio fuere tales, unde enaſci, ſi id ætas illa, & inſtitutum *Moſellani*, tuliſſent, doctiſſimi in *Plutum Ariſtophanis* commentarii potuiſſent. Nihil igitur huic operi de ſuo addidit *Moſellanus*, niſi epiſtolam ad *Ioannem Cæſarium, Iuliacenſem, Medicum utriuſque literaturæ doctisſimum*, dedicandi cauſa ſcriptam. Eſt hæc, ut *Moſellani* omnia, ſermone caſto & ſatis eleganti compoſita, laudes primum *Aldi*, *Frobenii*, & *Anshelmi*, typographorum de arte ſua & literis præclare meritorum, deinde Græcorum Comicorum veterum, & in his maxime *Ariſtophanis*, denique commendationem inſtituti huius, & adornatæ in Academicæ iuventutis uſum præſentis editionis, continens. *Cæſario* illi, cui inſcripta eſt epiſtola, nemo invidebit hunc honorem, qui novit doctrinam & ſcripta huius viri, inter elegantiores, & vere doctos, Medicos ſuo iure collocandi. Hunc *Moſellanus præceptorem*, &, neſcio quo ſenſu, *parentem optimum*, dicit, huius *præceptionibus ingenioli ſui agellum diligenter excultum*, &, *quicquid iſte agellus produxit*,

duxit, id totum ei deberi, profitetur. Itaque gratiam habere huic *Caſario* omnis poſteritas debet, quod inſtitutione ſua *Moſellanum* aliquem, hoc eſt, virum talem, perfecit, quem humaniores literæ præcipuum in Germania dignitatis ſuæ vindicem habuerunt, & cui nunc etiam Academia noſtra incrementi ſui debere ſe plurimum fatetur.

VI. *Martialis. Venetiis, in ædibus Aldi & Andreæ Soceri, menſe Decembri MDXVII. 8.*

Ex officina *Aldi* editiones *Martialis* prodiiſſe duas ſcimus, A. 1502 alteram, alteram A. 1517. Harum nullam cognitam *Fabricius* habuit; illam autem anni 1517 *Maittairius* meus ignoravit. Utriusque tanta inter ſe ſimilitudo eſt, ut, præter anni indicium, poſtremæ paginæ adſcriptum, & inſigne *Aldi* typographicum, quod ſola editio poſterior in fronte gerit, diverſi prorſus nihil habeant. Alteram ipſe ſine dubio *Aldus* curavit; alteram autem, ſi, quod paulo ante dixi, iam A. 1516 in vivis eſſe deſiit *Aldus*, ab eius hæredibus adornatam, neceſſe eſt. Præfationem nec *Aldus* ſuæ, nec eius hæredes huic alteri, editioni præmiſerunt; ut adeo, quæ edendi ratio, quæ ſubſidia, ſint adhibita, non ſit, unde cognoſci poſſit. Præfationis locum ſuſtinet *Plinii* iunioris notiſſima ad *Cornelium Priſcum* epiſtola, qua Poetæ *Martialis* laudes continentur. Nihil præterea notatu & obſervatu

dignum

dignum invenio in hac editione; quam eſſe elegantiſſimam, ipſa inſpectio, & ſatis, ut *Aldi* pleraque, emendatam, uſus & lectio, docent.

VII. *Ad magnificum dominum Sigiſmundum de Erberſtain, Equitem auratum, Conſiliarium & Oratorem inviciſſimi Maximiliani Caſaris ſemper Auguſti ad Sereniſſimum Sigiſmundum, Poloniæ Regem, &c. & magnum Moſchorum Ducem, Ioannis Dantiſci Soteria.* 4.

In pagina ultimam præcedente hæc leguntur: *Exactum Cracoviæ, imperante Invictiſſimo Maximiliano Caeſare Auguſto Romanorum regni anno XXXII, regnante vero Sereniſſimo Sigiſmundo, Poloniae Rege, &c. anno XII, in aedibus famati Ioannis Hāller, poſt Chriſti nativitatem MDXVIII.* Primam autem paginam, qua continetur inſcriptio, ornat inſigne, ni fallor, gentilitium, *Sigiſmundi* fortaſſe *de Herberſtain*, in lignum inciſum, ſpectandam nobis præbens aquilam coronatam, quam maiuſcula litera *S* velut includit totam. Adſcriptum huic inſigni diſtichon eſt:

Sum regina avium, peto ſidera, tuta triſulco
Fulmine, & Arctoi fida miniſtra Jovis.

Et *Dantiſcum* ipſum, Carminis Auctorem, qui, abiecto, quod a parentibus habuit, *Flachsbinderi* nomine, primum *a Curiis*, poſtea a patria *Dantiſcus*, dictus fuit, & quicquid ab eo aliorum editum eſt Carminum, *Maittairius* ignorat. Meretur autem, quicquid ſummi huius viri, qui tribus Poloniarum Regibus, *Ioanni Alberto*, *Alexandro*, & *Sigiſmundo*, a conſiliis ſanctioribus fuit, & illuſtriſſimas ad Imperatores Romanos, *Maximilianum I* & *Carolum V*, ad Regem Bohemiae *Ferdinandum*, & ad ſummum Pontificem, *Leonem X*, legationes obiit, elegantiſſima Muſa cecinit, non ſolum poſteritati commendari, ſed ab interitu etiam, quantum fieri poteſt, vindicari. Sunt haec eius Carmina nominatim indicata ab *Andrea Charitio* in *Commentatione de Viris eruditis Gedani ortis*, A. 1715 edita, *pag. 56*, quo etiam in loco de commemorabili *Dantiſci* vita ſatis actum diligenter fuit. Cognita igi-

tur huic Auctori ipſa etiam haec *Soteria* fuerint, ſed, quod raritatem huius carminis teſtatur, inſpecta nunquam. Id enim colligere ex eo licet, quod anni, quem libellus hic natalem habuit, indicium non addidit. Inſcripſit pulcherrim hoc ſuum opus *Dantiſcus*, *Sereniſſimi Poloniae Regis*, ut ipſe ſibi vocatur, *Secretarius*, *praeſtantiſſimo domino*, *Jacobo Spiegel*, *Jurium Doctori*, *& ſacratiſſimae Caeſareae Maieſtatis Secretario*, breviori quidem, at amoris plena, epiſtola, 4 idus Februarii A. 1518 conſcripta; in qua, non *patricia* tantum *& equeſtri dignitate*, ſed *Laureae* etiam *& Jurium faſcibus*, ab Imperatore ſe donatum, gaudens refert, & datas pro ſe ab eodem Imperatore ad Regem Poloniarum literas memorat. Suum autem hocce Carmen *tumultuarium & praecipitanter effuſum potius*, *quam editum*, ipſe dicit, vel modeſtia hac ſingulari amari ab omnibus digniſſimus. Non poterat autem illuſtrius, in quo veneres & ſuavitates omnes conſumeret Muſa *Dantiſci*, argumentum inveniri laudibus eius herois, quo non aetas illa doctiorem habuit, & qui publicas inter graviſſimasque rerum civilium curas rem literariam praeſtantiſſimis operibus, *Commentariis rerum Moſcoviticarum*, *Deſcriptione Lithuaniae*, & *de rebus admirandis naturae libro*, ditavit, *Itinera* vero ſua, &, quas ab anno inde 1506 ad 1558 obiit, *legationes*, luculentis commentariis, ſed, ut ex *Bibliotheca Menckeniana pag*: 823 patet, nondum editis, deſcripſit. Huius nempe virtuti iuſtum honorem habuit *Dantiſcus*, heroica eius facta decantando, idque tali genere carminis, quod eſſe quaſi proprium heroum ac peculiare ſolet. Hoc igitur Carmen, ſi, quod ipſe ait Auctor, tumultuario labore effuſum eſt, ſatis tolerabile putari poteſt; ſin multo ſtudio compoſitum, non mihi videtur eſſe eiusmodi, ut magni Poetae laudem acquirat auctori ſuo. A *Virgiliana* certe dicendi maieſtate, & ab igneo illo ſpiritu, qui agitare Poetas ſolet, longius hic noſter abeſt, ſimplicem rerum deſcriptionem verſibus dediſſe facile fluentibus contentus. Vel ultima carminis, in quibus omnem ille ingenii ſui experiri vim debebat, etiam in poeſi tironem aliquem ſcripſiſſe pudeat:

Aſt ego, perpetuo qui te complector amore,
O equitum, Siſmunde, decus, conflata calore
Hæc ſubito, mecum ſiquidem retinere nequivi,
Da veniam paucis, tibi poſtea plura dabuntur.

Heroico huic Carmini comes data eſt *ad Grineam*, tenerrime amatam *Dantiſco* virginem, elegia mollis, & tenerrimi amoris plena, cum brevi ad *Sigiſmundum de Herberſtain* Epigrammate, quo, ei roganti Elegiam hanc, olim a ſe, fervente aetatis aeſtu, conſcriptam, transmitti, ſignificat. Habet Elegia illa, qua in regiones exteras abitum parans, *Grineae* ſuae triſtiſſimum vale dicit Poeta, & venuſtatis, & facilitatis tantum, ut cum *Tibullianis* non immerito comparari poſſit. Multis certe modis praeferendam hanc Elegiam alteri illi ad *Sigiſmundum* carmini, ego quidem, quicquid ſentiant alii, decreverim. Jam legitur *ad magnificum dominum Sigiſmundum de Erberſtain, Equitem auratum, Conſiliarium, & Oratorem invictiſſimi Caeſaris Maximiliani ad victorioſiſſimum Sigiſmundum, Poloniae Regem, &c. & magnum Moſcborum Ducem, Rudolfi Agricolae iunioris, Poetae a Caeſare Laureati, congratulatio*; cui multum cedit alterum illud *Dantiſci* carmen magnificentia & ſublimitate dictionis, & rerum ab heroe illo geſtarum quaſi heroica narratione. Inter alia venae non infelicis ſpecimina, erunt fortaſſe, qui illi ad nomen *Herberſtain* alludendi artificio non parum faveant:

Te, Siſmunde, inquam, forti quem pectore nunquam
Rebus in adverſis fortuna deiicit æſtus,
Unde tibi tetrico potius cognomina ſaxo
Defluxiſſe reor, tumidis quod fluctibus obſtat,
Prima Latinorum ſi non eſt litera; honeſti
Nomen habes lapidis, ratio tamen utraque, partem
In quamcunque velis exponere, vera probatur;
I mediam expunges, domini quæ ſyllaba ſaxum
Conſtituit, meritum poteris deducere nomen.

Accedit huic carmini eiusdem *Agricolae* brevior *de patria magnifici domini Sigiſmundi* elegia, qua Carniola regio, eiusque locus ille, qui natales dedit *Sigiſ-*

mundo, non ineleganter deſcribitur. Quis fuerit, & unde ortus, hic *Agricola*, qui me doceat, nemo eſt. Nam, quod *iunior* vocatur hic *Agricola*, id non ita accipiendum, quod filius fuerit alterius *Rudolphi Agricolae*, Philoſophi clariſſimi, quippe quem ad ipſum vitae finem vixiſſe in caelibatu conſtat, ſed quod aetate ei aliquanto fuerit inferior. Nec, ſitne aliorum quidquam aut carminum, aut ſcriptorum, ab eo editum, dicere mihi, in illo Scriptorum, quos evolvi, ſilentio, liceat. Unus eſt, qui *Agricolae* huius mentionem faciat, *Ge. Matth. Kœnigius* in *Bibl. vet. & nova pag. 17*, ſed a quo nihil, niſi quod iam ante noveramus, diſcimus, floruiſſe eum A. 1518, &, de quo paullo ante diximus, carmen ſcripſiſſe. *Sigiſmundo* huic, cuius ipſe laudes cecinit, a ſecretis legationum fuiſſe, inde colligo, quod, ei Cracoviae fuiſſe comitem, *Io. Dantiſcus* in illa, quam ſuo carmini praemiſit, ad *Spiegelium* epiſtola teſtetur; niſi forte Poetae tantum munere in comitatu *Sigiſmundi* functus eſt. Certe *Poeta a Caeſare laureatus* ipſe ſibi in Carminis, quod diximus, inſcriptione vocatur. Felix Poetarum veterum imitator, cuius ſi, quaecunque ſcripſit, ad poſteros transmiſſa Carmina eſſent, non dubito, dulciſſimum animi ſui pabulum iſtiusmodi deliciarum amatores habituros. Claudunt libellum hunc noſtrum duo *incerti Auctoris Epigrammata*, quorum altero *Io. Sambocz-kius ad Taxum, equum ſuum, morientem*, verba loquens ultima & lugubria inducitur, alterum inſcribitur *Epitaphium equi Sambociani, in duello Cracoviae interemti*, in quorum utroque nemo non lectorum venuſtatem *Catulli*, aut ſimilium Poetarum veterum, agnoſcat.

VIII. *Iacobi Sadoleti, E. Carpent. Leonis X. Pont. Max. a ſecretis, in Promulgatione generalium Induciarum Oratio, in beatæ ſemper Virginis ad Minervam habita decimo nono Id. Aprilis MDXVIII.* 8.

Breviſſimi erimus in memoranda feliciſſimi *Ciceronianæ* eloquentiæ imitatoris, *Sadoleti*, Oratione, quam, etſi nec *Maittairio*, nec, qui ſunt in recenſendis magni huius viri ſcriptis ſatis diligenter verſati, *Geſnero*, *Egſio*, & aliis, nominatam

nominatam invenio, tamen, cur in vulgo incognitis, & ætatis paſſis iniuriam; ponam, vel ideo non habeo, quod ei videam locum datum in recentiſſima *Operum Iacobi Sadoleti*, quæ Veronæ A. 1738 quatuor formae quadruplicatae *Voluminibus* prodiit, editione, eiusque *Tomo II pag. 157.* Occaſionem ei, ut ex inſcriptione patet, quinquennalium induciarum promulgatio, materiam vero laudes Pontificis Max. *Leonis X*, nec non *Franciſci I*, Gallorum Regis, & *Caroli V*, Imperatoris, praebuerunt. Erant enim illo, quo dicta eſt Oratio, tempore *Franciſcus* & *Carolus*, poſt longas ac luctuoſas bellorum acerbitates, in amiciſſima pacis fœdera ituri; cuius adeo pacis hanc quaſi praenuntiam eſſe *Sadoletus* Orationem voluit. Itaque Oratorem hic, ut in *Sadoleti* omnibus, gravem & facundum, publicarum rerum haud vulgariter peritum, imitatione omnium digniſſimum, admiramur. Editioni, quam manibus teneo, nec annus natalis, nec ſimile quidquam, eſt ſubnotatum; at ex vetuſta typorum forma facile coniicias, omnium fuiſſe primam, nec adeo diu a recitata Oratione, eadem in urbe, in qua habita eſt, hoc eſt, Romana, prodiiſſe. Nuda hic legitur Oratio, nec Praefationis, aut ornamenti, ei quidquam acceſſit, praeter figuram, quam titulus ſpectandam exhibet, in lignum inciſam, quae induciarum ex ſacro ſuggeſtu a S. Pontifice promulgatarum ſolennitati dicata eſt, nec iniucundum oculis lectorum ſpectaculum praebet.

IX. *Trogi Pompeii externæ hiſtoriæ, in compendium ab Juſtino redactæ. Externorum Imperatorum vitæ, authore Æmylio Probo. Venetiis, in ædibus Aldi & Andreæ Aſulani, ſoceri, menſe Jan. MDXXII. 8.*

Mirum eſt, etiam *Aldinas* editiones, quarum præcipuam habere curam debebat, non ſatis diligenter a *Maittairio* notatas. Alia exempla ſupra adduximus; iam novum illis addimus, *Juſtinum* & *Aemilium*, aut, qui verus Auctor dici debebat, *Nepotem*, typographicis Annalibus præter ſuum meritum exulare iuſſos. Habet pulchrum hoc officinæ *Aldinæ* ſpecimen magnam ab elegantia externa commendationem; nec facile nitidiore habitu indutos uſquam alibi

duos hos Scriptores antiquos invenias. Notarum huic editioni, ut *Aldinis* plerisque, nihil acceſſit; nec talia expetunt ornamenta, qui legere Auctores ipſos, eosque emendatos, cupiunt, de trivialibus Commentatorum explicationibus, & inutilibus ſæpe coniecturis, parum laborantes. Memorari autem & laudari meretur, quæ præmiſſa eſt operi a *Franciſco Aſulano*, filio *Andreæ*, qui ſocer fuit *Aldi*, ſatis longa, & diſerta, & polita, ad *Joannem Cornelium*, *Georgii filium*, epiſtola, ornatiſſimas continens laudes, primum hiſtoriæ, quæ non de iucunditate tantum, ſed inprimis etiam de utilitate, unicuique, non tam erudito, quam cuiuscunque ſortis & conditionis homini, ad cognoſcenda omnium gentium vetera & nova inſtituta, & ex his vitæ prudenter tranſigendæ exemplum capiendum, ſtudioſiſſime commendatur; deinde *Juſtini* & *Æmilii*, quorum utrumque *Aſulanus* ſcriptorem & *ſapientem* & *bonum* vocat, *Juſtinum* inprimis adverſus eos, qui, turpi quadam *Trogi Pompeii* invidia & inhoneſta æmulatione ad ſcribendum hiſtoriarum opus adductum, criminantur, fortiter defendens; tum *Joannis Cornelii*, cui inſcripta eſt epiſtola, & patris eius, *Georgii*, quorum & in rem publicam merita illuſtria, & ſtudiis literarum, maxime vero omnium ætatum hiſtoriæ, deditiſſimus animus, exquiſitis verbis celebrantur; denique ipſius *Cornelianæ* gentis, unde ortum duxit *Joannes* ille, quæ non antiquitate tantum, ſed factorum etiam gloria, cum illuſtriſſimis comparatur. Quam in edendo ipſe rationem ſit ſecutus, nihil nos in hac epiſtola *Aſulanus* docet; niſi quod utrumque Scriptorem *diligentiſſime* dicit a ſe *caſtigatum* edi. Codices igitur antiquos, quos, ſi ad manum habuiſſet, fortaſſe nominatim indicaſſet, non ab eo putem adhibitos; nec aliis, quam vetuſtiorum editionum, quæ ſatis multæ prodierunt ad probatiſſimos Codices expreſſæ, ipſe uſus ſubſidiis videtur, ſatis ſe conſecuturum laudis arbitratus, ſi reddidiſſe nobis contextum Scriptorum talem, qualem antiquiores illæ & emendatæ dederant editiones, diceretur. In quo num deſtinatis eventus reſponderit, ipſe te, ſi ſcire volueris, Lector, uſus docebit.

Luciani Samoſatenſis Hermotimus, *ſeu de*

Sectis

Sectis Dialogus ſane perquam elegans ac feſtivus, Obſopœo interprete. Eiusdem item Dialogi amatorii quatuor, Chiliano Manſueto interprete. Plutarchi Chæronenſis de liberorum educatione libellus, Ioanne Metzler interprete. Iam omnia hæc recens verſa ac edita. Haganoæ, per Ioan. Secerium, Anno MDXXVII, menſe Iunio. 8.

Caruit huius libri notitia *Maittairius*; nec *Fabricius*, *Bibliothecæ Græcæ* Auctor doctiſſimus, niſi hoc unum habuit cognitum, quod *Luciani de Sectis* Dialogum Latine interpretatus ſit *Obſopœus*; de *Manſueti* in *Dialogos Luciani amatorios*, & *Metzleri* in *Plutarchum*, meritis is prorſus tacet, nec editionem hanc libri Hagenoenſem uſquam indicat. Videmur igitur hiſtoriam ſcriptorum *Luciani* & *Plutarchi*, quam huc uſque fuit, facturi pleniorem, ſi, quæ nobis de Triumvirorum ex parte doctiſſimorum Auctores veteres vertendi ſtudio diſcere ex ipſa operis inſpectione licet, ea hic breviter ediſſeramus. Quod igitur primum ad laborem *Obſopæi*, cui prænomen *Vincentii* fuit, attinet, fuerunt hæc quaſi primordia induſtriæ, ab *Obſopœo* in vertendo *Luciano* poſitæ, cuius plura deinde ſpecimina Haganoae A. 1529 ab eo edita, teſtatur *Jo. Jac. Friſius* in *Supplementis Bibliothecæ Geſnerianæ pag. 817*. Nec indigebit hoc teſte, ſi quis ad manum habet *Luciani Operum* editionem *Bourdelotianam*, quæ nobis Latine converſos ab *Obſopœo* exhibet hos Dialogos: *Herodotum, vel Aetionem, Zeuxin, vel Antiochum, Harmonidem, Scytham, ſeu Hoſpitem, Phalarin primum, Phalarin ſecundum, de Saltatione, Demonactis vitam, Imagines, pro Imaginibus, Jovem tragœdum, de Paraſito, Anacharſin, ſeu de Gymnaſiis, Hippiam, ſeu Balneum, Allocutionem, ſeu Bacchida, de Electro, ſeu Cycnis, Macrobios, patriæ encomium, de Dipſadibus, Diſſertationem cum Heſiodo de morte peregrini, & Deorum Concilium.* Nimirum in hoc genere laboris eruditi multum deſudavit *Obſopœus*, pluribus non ſui is tantum generis, ſed aliis etiam, ſcriptis clariſſimus,

ex inſtituto nominatis a *Conr. Geſnero* in *Biblioth. univ. pag. m. 616*; ut hinc mirari vix ſatis poſſim paupertatem *Lexici eruditorum* vernaculi, unde unum hoc diſcas, Poëtam Francum fuiſſe *Obſopœum*, cuius *de arte bibendi Carmen* exſtet. Jam una nos occupat *Hermotimi Lucianei* interpretatio Latina, cui ſi additus eſſet, quod non factum dolemus, contextus Græcus, certius, ſatisne illa menti Auctoris Græci reſpondeat, nobis liceret iudicare. Praemiſit ei *Obſopœus* breve *ad Philoſophos* Epigramma Græcum, his lectionem Dialogi *Lucianei* vehementer commendans; nec non Præfationem, *Clariſſimo Viro, Chriſtophoro Gugelio, Legum imperialium Doctori peritiſſimo*, inſcriptam, cui, ut ſub eius finem legitur, ultimam Auctor manum Norimbergæ XV Calend. Martii A. 1527 impoſuit. Tribuendum ei hoc laudis eſt, quod ſit eleganter æque ac graviter compoſita, quippe inutiles Philoſophorum inter ſe diſſenſiones acerbe perſtringens, & in tota *Philoſophia nihil cerni aliud, quam confuſiſſimam quandam repugnantiſſimarum opinionum confuſionem, & pugnas verborum nunquam finiendas*, omnium ætatum exemplis oſtendens. Videtur inprimis in ſui temporis Philoſophos capitale paene ac internecinum odium concepiſſe, horum in ſectas varias abeundi, & inter ſe congladiandi, ſtudium talibus caſtigans verbis, quæ, pauciſſimis mutatis, recte accommodare aliquis ætati noſtræ poterit. *Si hoc tempore*, inquit, *reviviſceret Lucianus, & nonnullorum Gymnaſiorum ſtudia vigilantius conſideraret, Dii boni, quot illi miſero Hermotimi ferent conſcribendi. Nam, ſi quis, facta collatione, noſtros Philoſophos cum veteribus compoſuerit, & utrorumque Philoſophiam penitius excuſſerit, non dici poteſt, quanto feliciores priſci illi noſtris exiſtimandi ſint. Qui, tametſi in multas hæreſes erant diſtracti, & omnibus ferme opinionibus inter ſeſe diſcordabant, digniores tamen habuere magiſtros, quos ſequerentur, nempe Platonem, Ariſtotelem, Cratippum, Zenonem, Epictetum, alioſque innumeros. Noſtri plane neminem, (neglectis his, quorum nominibus & titulis impudenter gloriari ſolent,) quam ſpurciſſimam illam fecem indoctiſſimorum Sophiſtarum, & immundiſſimas illas ranas, neque non loculoquaciſſimas, Occam, Scotum, Thomam, & qui in-[illegible] ſunt, Eccios, Lempos, Oxenfardios, Bruxellenſes,*

Uſingios,

Uſingios, Tartaretos, Verſores, & id genus innumerabiles perverſores, rectiorum ſtudiorum peſtes præſentiſſimas, ſectarum Magiſtros ſtupidiſſimos Modernalium, Realium, Thomiſtarum, &c. Quos tu non ſemel pro ſua immunda concluſionum ſaliva, hoc eſt, de lana caprina, ad aras uſque immodeſtiſſime depugnantes vidiſti. — — Jam, quanquam & apud Germanos rectiora ſtudia caput erigere cœperint, mirum tamen, quam multis adhuc in locis frigeant, regnante etiamdum perverſæ & inanis Philoſophiæ ſtudio Magiſtrorum noſtrorum propugnatione & opera. Et formantur adhuc artium & philoſophiæ Magiſtri, belli ſcilicet & inſignes aſini, quibus ne nomen quidem philoſophiæ recte cognitum eſt. Non, quod hunc ritum in Gymnaſiis coronandi, aut ornandi, meritos damnem: ſed quod indignum facinus eſſe putem, eiusmodi beſtias hoc potiſſimum inſigniri titulo, a quo abſunt longiſſime, ſive eorum vitam ſpectes, ſive eruditionem perpendas. Nam, cum perhibeant ex philoſophia utrumque iuxta & morum elegantiam, & multarum rerum cognitionem, parari, illi tamen interim neque ulla morum civilitate ſunt ornati, neque ulla literarum peritia, aut rerum vel tenui judicio, perpoliti. Et hi tandem ſunt, quibus in Academiis integrum eſt docere literas, clavum ſcholæ tenere, juventutis Magiſtros eſſe, melioribus & doctioribus per ſycophantiam & impudentiam loco motis & eiectis. Vides, quam haec belle noſtro ſeculo conveniant, quo ſub barbaro quodam & tyrannico non Philoſophiæ, quae bonarum artium, ſi recte tractetur, quaſi parens & conſervatrix eſt, ſed Philoſophorum, qui prorſus nati ſunt pellendis orbe literis, imperio rectiora ingenia miſerrime gemunt; & quam iuſtas ſuperiori etiam aetates homines vere docti de perverſa, Philoſophiam ore ſcriptisque docendi, ratione conquerendi cauſas habuerint. Iam, quod ad ipſum vertendi laborem attinet, ideo Dialogum hunc *Luciani* a ſe, ait *Obſopœus*, redditum Latine eſſe, quod eſſet *ſumme elegans, & adhuc a nemine*, quantum ipſe quidem ſciat, *verſus*; ſi quis autem futurus ſit lectorum, cui *non ſatis ipſe Lucianicæ elegantiæ delicias expreſſiſſe, aut paſſim ſententiam non aſſecutus*, dicatur, eum hoc inprimis cogitare iubet, *prima hæc ſua eiusmodi laboris experimenta eſſe &*

progymnaſmata; quibus adeo æquiſſimus quisque index facile veniam ſit conceſſurus. Ex multis igitur, quos ſtudio hoc ſuo dignos iudicavit, *Luciani Dialogis* hunc primum, qui & in *Operibus Luciani* ordine prior eſt ceteris, ipſe adhuc iuvenis fortaſſe, Latio donavit. Nobis minime iam vacat, Latina *Obſopœi* cum Græcis *Luciani* comparare, &, ſitne iſte *Obſopœi* aliis aliorum, quos *Lucianus* deinde nactus eſt, interpretum laboribus præferendus, definire; illud tamen mihi videor ex locis aliquot, fugiente oculo inſpectis, cognoviſſe, a Græco contextu aut nunquam, aut certe in leviſſimis, hanc recedere interpretationem, ceterum lectu facilem & iucundam eſſe, talemque prorſus, qualem ipſe fortaſſis, ſi Latino ſibi utendum ſermone duxiſſet, ſcripſiſſet *Lucianus*. Huic adiunctus eſt *Chiliani Manſueti* labor, *Dialogi* nempe *Luciani amatorii quatuor*, *Glycera & Thais*, *Crobyle & Corinna*, *Chelidonium & Droſe*, *Dorio & Myrtale*, ab eo Latine redditi. Breviores ſunt, ſed non ideo omnium, quos ſcripſit *Lucianus*, intellectu facillimi, Dialogi. Itaque laudandus eſt conatus *Manſueti*, in ipſis adoleſcentiæ annis, & vitæ Academicæ quaſi tirociniis, talia conantis, quibus, niſi qui Græcæ & Latinæ linguæ ſatis ſit peritus, vix ſufficiat. Putabam primum, fictum & adſcitum eſſe, non gentilitium, *Manſueti* nomen; idque mihi coniicere hoc certius videbar, quod nemini Scriptorum, qui de viris doctis ex inſtituto egerunt, laudatum hunc *Manſuetum*, aut nominatum ſaltem, invenirem; at alia deinde omnia me docuit præmiſſa huic labori a *Manſueto* ad *Henrichum ab Eppendorph, iuxta natalibus ac eruditione præclarum, Mecænatem ſuum omnium longe benigniſſimum*, epiſtola, Argentinæ XXIV Calend. Jun. anni MDXXVI data, qua lecta, nemo facile dubitet, verum interpretis nomen *Chiliani Manſueti* fuiſſe. Eſt hic idem *Eppendorphius*, quem notum omni poſteritati, quas cum *Eraſmo* habuit, controverſiæ fecerunt, & cui æternum memoriæ monumentum poſitum eſt a politiſſimæ doctrinæ Viro, *Chriſtophoro Saxio*, edita Lipſiæ A. 1745 *de Henrico Eppendorpio* eleganti Commentatione. Huic equitum Miſnenſium ornamen-

ornamento iſtas Muſæ ſuæ primitias *Manſuetus* grati animi cauſa inſcripſit, quod eius beneficio & ſumtibus Academica ſtudia Argentinæ per annum integrum tractaſſet, ſuosque adeo in Græcis literis profectus ei debere ſe præ multis aliis, agnoſceret. Factum id, ut dixi, epiſtola, quæ, ſi argumentum ſpectetur, ipſi *Dialogorum* interpretationi eſſe Præfationis loco poteſt; idque lectores docet, non ante *Manſuetum* ab alio quoquam hos *Dialogos* in Latinum translatos, ipſi autem non ſolum aggrediendi huius laboris auctorem, ſed in eodem adiutorem etiam, fuiſſe *Iacobum Bedrotum*, ſuum in Græcis literis præceptorem, hominem, quod aliunde etiam notum lectoribus puto, haud vulgariter eruditum, cuius opera & inſtitutione factum ſit, ut mentem Auctoris in obſcurioribus nonnullis locis, *quæ vel longe exercitatioribus in vertendo negotium exhibere potuiſſent*, non male ſit aſſecutus; ceterum, quod hos potiſſimum, nec alios materiæ ſeverioris, Dialogos ſibi ſumſerit vertendos, eam maxime cauſam eſſe, quod, qui totius *Luciani* ipſi copiam faceret, nuſquam inveniri amicus potuerit. Addit tamen & hæc: *Nos, alioqui haud illibenter in his nugis ſtilum exercentes, a gravioribus abſtinemus, quando ea eſt temporum noſtrorum indignitas, ut impunius hæc tractare liceat, quam argumento magis ſerio animum, atque adeo calamum, applicare.* De ipſa interpretatione, quam ſub iudicium criticum vocare, non eſt inſtituti mei, unum hoc dicam, & accuratiorem eſſe, & elegantiorem, quam exſpectare a iuvene & in caſtris Muſarum tirone liceat, dignamque adeo videri, cui de levioribus, ſi qua animadvertere hic liceat, peccatis ab æquiore lectore venia haud negetur. Supereſt, ut, quæ de *Plutarchi* verſione, poſtremum in hoc opere locum occupante, dicenda habemus, breviſſimis expediamus. Sacra illius *Metzleri*, cui debetur iſte labor, memoria habetur Vratiſlavienſi æque, ac eruditæ, reipublicæ, quarum utramque ſibi & factis, & ſcriptis, præclariſſimis devinxit. Nimirum in hoc *Metzlero*, quem & de noſtra olim Academia, publice docendo Græcas literas, optime promeritum, gaudentes recordamur, rariſſimum, hac

certe

certe ætate, admirari exemplum licet Iurium doctoris & cauſarum patroni, cum graviſſimis fori negotiis haud vulgare Græcarum ac Latinarum literarum ſtudium coniungentis, hiſque iuventuti prælegendis partem laboris temporiſque ſui maximam dicantis. Atque honeſtiſſimo hoc laborum genere, cui nunc, ut eſt ætas noſtra, parum haberi honoris ſolet, viam ſibi ad illuſtriſſimas primum Senatoris in Vratislavienſi republica, poſtea totius *Sileſiaci Ducatus* (ita vocatur munus) *Capitanei*, dignitates viam aperuit, & famam ſibi inter ſuos talem peperit, ut mortuo tabula ſepulcralis cum hac inſcriptione poneretur: *Clariſſ. D. Ioannes Metzler, J. U. D. Conſularis Ordinis, in hac Rep. Senior Collega, Vir prudens, fidelis, & in utriusque facultate, Latinæ & Græcæ, celebris, doctiſſ. Obiit Anni Domini M. D. XXXVIII. d. II. Octobr.* Alia multa ſive de vita huius *Metzleri*, cum laude acta, ſive de ſcriptis eius, magnum humaniorum literarum vindicem loquentibus, commemoravit *Martinus Haukius* in *Libro ſingulari de Sileſiis indigenis eruditis Cap. 77 pag. 250. ſeq* unde haec, ſi quis ſciendi cupidus ſit Lectorum, cum voluptate hauriet. Idem vero *Hankius*, cum libelli *de puerorum educatione* interpretationem, de qua ſermo nobis, editam Francofurti ad Viadrum A. 1554 dicit, ſi illo anno primum putat editam, multum quidem fallitur, &, quam lectorum ante oculos iam ponimus, parum ſibi fuiſſe cognitam editionem, oſtendit. Et hanc noſtram quidem ipſius *Metzleri* cura prodiiſſe, eſſe dubium haud poteſt legentibus præmiſſam ei a *Metzlero ad inclytæ Urbis Vratislavienſis Senatum prudentiſſimum* epiſtolam, quæ data eſt Vratislaviæ anni 1527 Januariis Calendis. Qua in epiſtola, dedicandi cauſa ſcripta, & inſignem Vratislavienſis Senatus, ut aliis in rebus, ita in iuventute inprimis educanda, curam & prudentiam, celebrante, de ſuo hoc vertendi inſtituto ipſe varia nos docet: ex eo nempe aggrediendi laboris huius occaſionem ipſi natam, quod publicis prælectionibus explicare *Plutarchi* hunc libellum inſtituiſſet; nec unquam ſibi in mentem veniſſe, hos privati ſtudii fructus luce publica donare, ſed

unum

unum id a ſe actum, *ut in utraque lingua, ubi a negotiis forenſibus vacaret, ſe exerceret, atque amicis nonnullis, qui, quæ Plutarchus præciperet, Latine ex ipſo intelligere volebant, ſatisfaceret.* Factum autem, ita pergit, amicorum, qui viderant & approbaverant laborem, non cohortatione tantum, ſed precibus etiam & flagitatione, ut, quicquid huius eſt privato ſtudio confecti operis, ex Muſei ſui tenebris in publicam exire lucem pateretur, & gratiæ non omnino nihil habiturum apud eos ipſos confideret, qui, iam ante eidem *Plutarchi* libello doctum contigiſſe interpretem, *Guarinum Veronenſem*, meminiſſent. Epiſtolam hanc ſequitur eiusdem *Metzleri* longa & erudita *in Libellum Plutarchi de liberorum educatione Prælectio,* cuius nobile & ſalutare argumentum eſt *de recta liberorum educatione & inſtitutione*, quam eſſe & utilem, & neceſſariam, oſtenditur. Ubi, cum ſint variæ in literis ætates ſpectandæ, *infantia* nempe, *pueritia*, & *adoleſcentia*, pro varia harum ætatum ratione varia Auctor educationis praecepta tradit, rei, quae per ſe ſatis clara eſt, & nullis orationis pigmentis indiget, ſelectis ex omni hiſtoria exemplis, & ſermonis gravitate, quoddam quaſi robur & momentum afferens. Iam locus datus ipſi *Plutarchi* interpretationi, de qua, diligenter mihi inſpecta, profiteri liceat palam, talem eſſe, & tam accurate, tamque eleganter, confectam, ut, nullam eius ab his, qui ab illo indetempore libellum hunc *Plutarchi* ediderunt, rationem habitam, ſed alias ei aliorum, quæcunque prodierunt, non certe hac ipſa meliores, huius operis interpretationes prælatas, mirari vix ſatis poſſim, &, ſi quis aliquando editioni novæ manum admovendam ſtatuat, nec abeſſe ab ea debere interpretationem Latinam putet, facturum hunc bene & iuventutis commodo exiſtimem, ſi, neglectis aliis aliorum laboribus, *Metzleriano* huic praecipuum & prorſus meritum honorem habeat. Iam librum hunc de manibus poſituri, videmus, acceſſiſſe ei ſub finem breviora duo *Philippi Melanchthonis* opuſcula, alterum de *inſtituendis pueris* pauciſſima praecepta continens, alterum *male inſtitutæ iuventutis exemplar*, *Iulianum Imperatorem*, ex *Gregorio Nazianzeno* deſumtum, exhiben-

beris; quae ſinene ab ipſo *Melanchthone* cum typographo *Secerio* recens communicata, an ab hoc *Secerio* ex editis *Melanchthonis* ſcriptis huc translata, iam quidem, nemine hic quidquam me docente, non definio. Uterque ſatis, ut dixi, brevis, at dignus tamen ſuo Auctore, labor eſt, operique per ſe bono, ac rerum utilium pleniſſimo, non leve ornamentum praebet.

Pag. 529 lin. 24 pro *inſcripſit, in noſtra editione epiſtolam* &c. legendum: *inſcripſit in noſtra editione, epiſtolam* &c. & *pag. 531 lin. 20* pro *ſubiectum eſt* leg. *ſubiecta ſunt.*

INDEX DISSERTATIONVM,

QVAE
VOLVMINIS SEXTI
PARTE TERTIA
CONTINENTVR:

I. IACOBI ELSNERI, Theologi Berolinenſis, Commentatio in difficillimum locum *Matth. XXVII, 8.* Pag. 385-400.

II. PETRI ZORNII Diſſertatio poſthuma de Chriſto Deo, eccleſiam proprio ſanguine ſibi acquirente, ad *Actorum Apoſtolicorum* XX, 28. Pag. 400-406.

III. IO. CHRISTOPH. HARENBERGII Continuatio quarta Supplementi in *Hadriani Relandi* Librum de Urbibus & vicis Palæſtinæ. Pag. 406-446.

IV. PAVLI ERNESTI IABLONSKI Obſervatio de Neitha, Ægyptiorum Dea, quam Græci Minervam interpretantur. Pag. 447-488.

V. IOANNIS IACOBI REISKE Libellus Animadverſionum ad alteram editionem *Burmannianam Petronii. Pars III.* Pag. 488-524.

VI. FRID. OTTONIS MENCKENII Librorum, haud ita diu ab inventa arte typographica editorum, quibus ſuppleri poſſint Annales typographici Maittairiani, Decas tertia. Pag. 524-576.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM

SCIENTIARVM,

AB HIS,

QVI SVNT IN COLLIGENDIS

ERVDITORVM NOVIS ACTIS

OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA.

VOLVMINIS SEXTI PARS QUARTA,

QVÆ EST VLTIMA.

CVM PRIVIL. REG. POL. ET ELECT. SAX.

LIPSIAE,

APVD B. LANCKISII HÆREDES,

MDCCXLIX.



I.

CAROLI HENR. ZEIBICHII,
P. P.
DE
COETIBVS ILLIS,
QVOS LITERIS SVIS APOSTOLI CHRISTI SALVTARVNT,
DISSERTATIO.

I.

Subnaſcebatur haud ita pridem in animo meo quaeſtio, quomodo exiſtimandum uideatur de Coetibus illis, quibus ſuas dedicarunt Epiſtolas viri, divini Numinis ſpiritu agitati, fuerintne ea, quae graviter copioſeque a *Paulo* inprimis diſputantur, non tam Judæorum, quam Ethnicorum potius, ſacris oppoſita, eo ſpeciatim fine, ut, pulſis cacodaemonis tenebris, cultorum Numinis, non commentitii, ut olim, ſed veri uniusque, men-

tes divina luce colluſtrarentur. Intelligebam ego, accuratius expendens argumentum illud, exſtitiſſe omnino Viros quosdam emunctae naris ac politiſſimi iudicii, ſummoque in dignitatis gradu conſtitutos, qui gentes quidem profanas excludendas non prorſus eſſe duxerint, nihilo tamen ſecius, plurima eorum, quæ de graviſſimis traduntur quæſtionibus, ad eos pertinere rati fuerint, qui ex *Judaiſmo* ad diſciplinam Servatoris, voce Apoſtolorum, virtutis divinæ plena, invitati, acceſſerant. Suadent ideo illi, ut ad Judæorum, non profanarum gentium, conſuetudines, magna ubique copia inſperſas, lectorum animi advertantur.

II. Largior ego Viris celeberrimis, multumque auctoritatis, ob doctrinæ & amplitudinem, & elegantiam, apud eos etiam, qui in profeſſione fidei cum iis diſſident, conſecutis, Judæos, ea aetate in toto terrarum orbe diſperſos, non ſolum ſingulas urbium earum, ad quas *Pauli* aliorumque Numinis praeconum miſſae ſunt Epiſtolæ, ſed & plures alias, nominis celebritate florentes, occupaſſe. Id enim tam ex deſcriptione Panegyris illius Pentecoſtalis, a *Luca Actuum Apoſt. Cap. II* ſuppeditata, ubi Judæi Romani, Aſiatici, aliique, commemorantur, quam ex teſtimoniis *Flavii Joſephi*, de quibus *Nathanael Lardnerus Fid. Hiſt. Evang. Lib. I Cap. III* legatur, maxime autem ex inſigni *Philonis* in *Legat. ad Cajum, Opp. p. 1031 ſeq.* loco, quo, ingentes Judæorum colonias in omni

Europa,

Europa, Aſia, Africa, ſive terra continens, ſive Inſulae celeberrimae ſpectentur, reſediſſe, teſtatus eſt, ſine ulla difficultate relinquitur. Recteque ex *Luca* illuſtrat eundem *Philonis* locum Editor illius recentiſſimus præſtantiſſimusque, *Thomas Mangey*, ſed ita, ut pro Καππαδοκίαν, quam vocem *Auguſtinus* in Ἀρμενίαν mutandam eſſe cenſuerat, ſi Codicum adeſſet auctoritas, legere velit Κιλικίαν. Conf. *Nova Acta Erud. Lipſ. A.* 1745 *p.* 401, 402. Tranſeat hoc. Inde tamen confectum eſt, ipſam etiam Laodiceam, Smyrnam, aliaſque Aſiae urbes, in *Apocalypſi* per *Joannem* ſalutatas, Judaicis haud caruiſſe colonis, quarum tamen urbium nomina cur præterierint, qui ſingulas Epiſtolarum, non a *Paulo* ſolum, ſed *Jacobo* etiam ac *Petro*, confectarum, ſigillatim examinarunt, dignum admiratione videtur.

III. Sed dabo & hoc diſſentientibus a me meaque ſententia, eoſdem Judæos & Synagogas ibi, & Academias, habuiſſe, pluribusque uſos eſſe beneficiis atque immunitatibus, ab Imperatoribus Romanis collatis, ut ex *Edictis* illis *Romanis* atque *Aſiaticis* relinquitur, quae, pro Judæis, in minoris Aſiæ oppidis habitantibus, cultus divini, libere exercendi cauſa, divulgata, & collegit, & animadverſionibus donavit, Vir doctiſſimus, *Jacobus Gronovius*. Ipſe *Paulus*, Hebræus ex Hebræis, tametſi, in urbe Tarſo, Ciliciæ campeſtris metropoli, pro-

gnatus, Cilix ortu eſſet, jure tamen Romanæ civitatis uſus eſt, a parentibus, ut videtur, eadem dignitate olim inſignitis, accepto. At, quo minus ideo eidem ſubſcribam ſententiæ, varia, quae impedire videntur, ſeſe mihi offerunt. Profecto enim *Paulus*, quod neminem præterire arbitror, ἐθνῶν Ἀπόστολος, *gentium* ſalutatur *Apoſtolus*, *Rom.* XI, 3, non tantum, quod terras earum ſuis in profectionibus luſtraverat, earumque incolas, ut, repudiato Numinum commentitiorum cultu, *Chriſto* nomen darent, permoverat, ſed etiam, quod, easdem gentes per literas in fide agnita confirmare, ſuum eſſe duxerat. Id quod & *Galatis* ſuis *II*, 7, ſignificat, ſibi εὐαγγέλιον τῆς ἀκροβυστίας, hoc eſt, *verbum gentibus profanis annuntiandum*, commiſſum eſſe, teſtatus. Non impugno ea, quæ de Judæis, temporibus *Ptolemæi Lagi* inſigniter multiplicatis, de lege divina, *Ptolemæi Philadelphi* juſſu, Judæorum Ægyptiacorum, Græcorum, atque Aſiaticorum, cauſa, translata, de negotiatione Judæorum inter gentes, per claſſem *Salomonis* ac naves *Joſaphati* atque *Ochoziæ* promota, de colonis Judæis, per captivitatem, cum Aſſyriacam, tum Babylonicam, gentibus donatis, advocari ad opinionem illam roborandam poſſunt. Exinde enim facillimum intellectu eſt, nullum fere exſtitiſſe terrarum angulum, in quo non ſparſi diſpalatique Judæi, gentibus mixti, reſederint. Atque hi ſunt illi διασπειρόμενοι ἐν τοῖς Ἔθνεσι, pro quibus ſacerdo-

tes

tes Palæſtini preces offerunt, 2 *Macc. I*, 27. Dimitto ea, quæ de *decem Tribubus*, in partibus orbis remotiſſimis atque obſcuriſſimis latitantibus, tum ab *Hermanno Witſio*, tum ab *Auguſtino Calmeto*, illiusque explanatore, *Jo. Laur. Moſhemio*, pluribus diſputantur. Ipſum tamen Cœtum Judæorum illis in locis ſua gentes pro-fanas ſuperaſſe amplitudine, nondum evictum eſt. Expendi potius velim nomina & virorum, & fœminarum, quibus ſalutem impertiri *Paulus* jubet in calce epiſtolarum, quæ non tam ex Grajorum & Romanorum, quam Hebræorum, petita ſermone fuiſſe,[l] apparebit. Neque obſtabit tortuoſa illa interpretatio, qua nomina, *Tryphæna* ac *Tryphoſa*, a *Grotio* & *Braunio* ad originem Judaicam præpoſtera quadam judicandi ratione revocantur. Ut enim omnis contorta explicatio alios, ut ſubſcribant, difficulter movet; ſic ipſa illa nominis utriusque forma & ſtructura legibus, in Hebraiſmo receptis, adſtringi ita nequit, ut omnis renitentium diſſenſus auferatur. Nondum etiam confectum eſt rationum ponderibus, quod *Heinſio* viſum eſt cum *Scaligero*, Helleniſtas illos, quorum mentio in paginis ſanctioribus facta eſt, Judæorum potius addictos fidei fuiſſe, quam ſuperſtitioni ethnicæ, in Grajorum terris vigenti; cui quidem poſteriori ſententiæ, quam non auctoritate ſolum ſua, ſed judicio inprimis, *Claud. Salmaſius* tuetur, ſi vis ineſt, ut opinor, aliqua, eo

non tam adverſari cauſæ meæ, quam firmare eam, poterit.

IV. Addo & illud, ſingularem Cœtui *Judæorum*, ad *Chriſti* doctrinam perductorum, inſcripſiſſe Epiſtolam eundem Apoſtolum, qua forſitan ſuperſediſſet opera, ſi in Epiſtolarum ſingulis Judæorum præ ceteris incolis rem agere conſtituiſſet, iisque cum intexuiſſet ea, quæ de ſtructura Tabernaculi typica, de multiplici Sacrificiorum ordine, de functione Pontificis Max. anniverſaria, de argumentis aliis, quorum ratio ſolis Hebræis perſpecta fuit, copioſiſſime ſcripſit. Non latet me, eſſe Viros doctiſſimos, qui, quæ ceteris in Epiſtolis Judæorum cauſa inſperſit Apoſtolus, pro argumento habeant, quo confici poſſit, hanc ſolis *Palæſtinis*, aut ſolis forte *Hieroſolymitanis*, fuiſſe dedicatam. Illudque eos incitat, ut cum *Euſebio*, *Hieronymo*, *Clemente Alexandrino*, Hebræum & Syrochaldaicum, non Græcum, idioma, quo Judæi, in orbe diſpalati, uti conſueverant, pro θεοπνεύςῳ epiſtolæ ſermone venditare conentur. Quanquam autem hæc priſcæ ætati mirifice probaverit ſe opinio, quam recentiori tempore cum quibuſdam aliis, Doctiſſ. *Io. Dav. Michaelis* in *Diſquiſit. Jac. Peircii Commentario in Ep. ad Hebraeos* præmiſſa, qui & *Joſephi Halletti* cogitata ſuam ad rem accommodat, & Celeb. *Jo. Chriſtoph. Harenbergius* in *Diſſertatione* ſingulari, *Miſcellaneis* his *Vol. IV p. 1 ſeq.* inſerta, ornare ſtuduerunt, mihi tamen verior multo præſtantiorque

que viſa eſt ſententia eorum, qui, Judæis per Aſiam, Græciam, Macedoniam, diſſipatis, ſcriptam illam fuiſſe, haud incommode ratiocinantur. Movet me inprimis auctoritas divi *Petri*, qui, cum Ex-Judæis in Aſia, Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithynia, ſuas dedicaverit epiſtolas, *Paulum* nihilo minus eoſdem illos jam ſalutaſſe literis, clariſſimus teſtis eſt. Vid. *2 Petri III, 15.* Itaque ad animum id revocandum eſt, *Paulum*, cum peculiarem Judæorum diſperſorum cauſa confecerit epiſtolam, in hac potius, quam reliquis, rationem habere eorundem decreviſſe. Nec deterreri me patior inſolenti iſta opinione, in quam conceſſit Oratorii Presbyter, *Michael Mauduit*, qui, *Tribus XII diſperſas*, velut nomen *ſymbolicum* & *myſticum*, Chriſtianos omnes ac ſingulos huc illucve ſparſos, ſive ex Judaiſmo, ſive ex Gentiliſmo, Chriſto adducti fuerint, complecti, perſuadere ſibi potuit. *Anal. Epiſtolar. T. II Diſſ. XVII.* Quam tamen iis rationum præſidiis haud eſſe munitam, quibus vel inviti lectoris extorqueri aſſenſus poteſt, nemo non intelligit. Sic novum adeſt fulcrum, quo ſententia, quam ingreſſus ſum, egregie ſtabilitur.

V. Neque vero, illud præteriri hoc loco a me commode poſſe, exiſtimo, plura in diſputationibus *Paulinis* oracula deprehendi, de quibus anceps adhuc quæſtio eſt, fuerintne in iisdem Judæorum, an gentium, conſuetudines reſpectæ. Huc refero, quæ de cultu divino, de

cæſis hoſtiis, de pariete, Judæos ab Ethnicis ſecernente, de argumentis aliis, ad Templi ritus referendis, graviter exponuntur. Tametſi enim, ad Judæorum potiſſimum ſacra redire ea, remotum a veri ſpecie haud eſt, mihi tamen profanæ gentes vel ideo non prorſus excludendæ videntur, quod & his olim Aedem ingredi Jehovæ licuit, illiusque extremum occupare ambitum, quem, ab Atriis ſejunctum, atque antemurali proximum, הר הבית ſcitiſſime, minus tamen accurate *Atrium gentium*, eruditorum plerique dictitant, quod ſingulari declarare Diatriba ſtudui, quam a Celeb. *Conrado Ikenio* humaniſſime exceptam, *Symbolis Liter. Bremenſibus T. II P. I p. 75 ſeq.* inſertam, & *p. 105 ſeq.* contra *Judam Leonem* eruditiſſime defenſam fuiſſe, mirifice lætor. Exhibita fuit eadem, quoad partes potiores, ſed compendiaria ratione, pro inſtituti natura, a Magnif. *Io. Gottlob Carpzovio* in *Appar. Antiquitatum S. Cod. & gent. Hebr. p. 294.* Pace tamen ſummi Viri unum illud adjicere mihi liceat, nondum ſatis me aſſequi diſſenſum R. *Abrahami*, Medici, הר הבית, *Montem Templi*, qui in extrema Aedis Hieroſolymitanæ parte ſitus erat, gentium locum ſalutantis, quem & ego gentibus conceſſi, ab eoque *Atrium* veri nominis, חצר, vel עזרה, dictum, quod gentibus negandum erat, diſtinxi. Itaque gentes illæ ſuis ſæpenumero conſpexerunt oculis & Iſraelitas, Atrium ſuum publici cultus cauſa ingredientes, & ſacerdo-

res,

tes, miniſterio quotidiano functuros, ipſas etiam hoſtias ad σφαγὴν magno numero ductas, ut ea dimittant, quæ furtim ex ore ac ſermonibus excipi Judæorum potuiſſe, alienum a vero non eſt. Video tamen, diſſidentes a me, non omnia, ſed pleraque duntaxat, pertinere ad Judæos in ſcriptis virorum θεοπνεύστων, ratos eſſe.

VI. Ceterum ex opinione illa, tibicinibus non ſatis firmis ſuffulta, quam ſtrictim examinandam duxi, ſingularis illa profluxit quorundam ſententia, omnem fere *Eccleſiæ N. T. formam ad leges diſciplinæ Judaicæ* fuiſſe compoſitam, neque ſatis commode atque accurate inveſtigari poſſe ritus, qui in Chriſti cœtum, ab Apoſtolis collectum, introducti ſunt, niſi *Synagogæ Judaicæ* conſuetudines tam ſacræ, quam civiles, ex Scriptoribus, fide præditis, advocentur. Quæ quidem hypotheſis, quanquam, poſt *Hugonem Grotium*, *Henr. Dodwellum*, *Io. Lightfootum*, *Io. Spencerum*, *Henr. Valeſium*, *Claud. Salmaſium*, alios, eosque inprimis, qui, ex Reformatorum cœtu, Presbyterianorum in Anglia placitis favent, ſummo Viro, *Campegio Vitringæ*, ita arriſerit, ut in copioſiſſima illa *Synagogæ veteris* delineatione pluribus eam roborare firmamentis ac præſidiis conatus fuerit, non tamen ea veri ſpecie, quæ aliqua duntaxat ex parte ineſt ipſi, impedire illa potuit, quo minus Viri quidam Celeberrimi, quid quantumque periculi eandem premat, libere declaraverint.

rint. Itaque legi poſſunt, quæ cum ab Illuſtri *Moſhemio* in *Inſtitut. H. E. Major. Sec. I p. 161 ſeq.* tum a Celeberrimo *Wollio* in *Diſſ. de Vſu & abuſu Synag. Vet. in interpr. N. T. Reg. IV* non copioſe quidem, ſolide tamen ac nervoſe, diſſeruntur. Neque multis ab hac ſententia intervallis diſtat opinio eorum, qui vel *Baptiſmum Ioannis* ex *initiatione Proſelytorum Iudaica*, in qua ſacer quidam ſubmergendi, vel aſpergendi, initiandos ritus uſu receptus dicitur, ſed ex *Joſepho, Philone, Tacito*, aliis, probari nequit, cum *Io. Andr. Danzio*, atque Eccleſiæ Reformatorum luminibus quibuſdam, derivare ſtuduerunt, vel, formulam, in *Epulo Servatoris* ςαυρωσίμῳ enuntiatam, *hoc eſt corpus meum*, ex *Liturgiis Judæorum Paſchalibus* explicandam eſſe, *Baronium, Scaligerum*, aliosque, ſecuti, cenſuerunt, ideoque Sacramenti N. F. utriusque originem ex moribus inſtitutisque Synagogæ Judaicæ, quaſi nihil ineſſet periculi hujusmodi ſententiis, arceſſere non dubitarunt. Priorem ſententiam copioſiſſime exponunt lites illæ, quas ea de re in Academia noſtrate ac Jenenſi agitatas olim fuiſſe meminimus. Poſteriorem vero Diſſertatione ſingulari, qua, *S. Euchariſtiæ originem ex formula Judæorum Paſchali repetendam haud eſſe*, oſtenditur, Summe Rever. *Deylingius* ita profligavit, ut nihil ei præſidii, vel coloris, fuerit relictum. Adde adhuc eos, qui, ipſam Epiſtolam, ad *Romanos* miſſam, ſtilo exaratam Talmudico, atque ex meris fere

Docto-

Doctorum Gemaricorum diſputandi formulis compoſitam eſſe, veriſimile exiſtimant. Quanquam ſubobſcura illa ac perdifficilis doctorum Judaicorum ſcriptio, quæ, omnibus etiam adhibitis *Clavibus*, ut vocantur, *Talmudicis*, multis obſepta difficultatibus manet, auribus gentis illius, cum qua actum fuit, & cujus potior pars ex Ethnicis conſtitit, ad *Chriſtum* perductis, & Judæorum doctrinam, mores, linguam, averſantibus, intolerabilis ſine controverſia viſa eſt, non tamen deſunt, qui pluribus laborantem incommodis ſententiam illam & probare non dubitarunt, & aliis commendare. Advoco *Zeltnerum* in *Bircath Hamminim p. 76*, *Harenbergium* in *Biblioth. Lubec. Vol. VI p. 232*, *Wæhnerum* in *Antiq. Hebr. Vol. I* in *Præf.* *Schœttgenium* in *Horis Hebr. & Talm. Vol. II p. 25*, ut conſtet, me fumum non vendere, aut plura dicere, quam probare. Nec præteriri hic velim *Jacobum Rhenferdium*, qui ſtili Kabbaliſtici elegantias, ſi quæ dantur, ex Theologiæ Soharicæ præceptis illuſtrandas, tetraque caligine circumfuſas, ſermoni *Joanneo*, quo in *Apocalypſi* uſus eſt, nulla neceſſitatis lege compulſus, adſperſit. Vid. *Rhenferdii Opera Philol. p. 1 ſeq.* A qua perverſa ſentiendi ratione neque *Grellotium*, *Vitringam*, alioſque, alienos eſſe, ex B. *Wolfio* didici, *Cur. Phil. & Crit. in Apocal. p. 384.* Plura in præſenti non addam. Forte & hæc, quæ a me breviſſimis diſputata ſunt, non omni carere uſu videbuntur in ſa-

cra Scripturam interpretandi arte. Sufficiet interdum, aliquid dictum eſſe, quod ab aliis, velut nullius ponderis argumentum, tranſilitur.

II.

PETRI ZORNII DISSERTATIO POSTHVMA DE VERA ET GENVINA LECTIONE AD ROMANOS IX, 5, ADVERSVS SOCINIANOS RITE VINDICATA.

I.

Quamvis *de vera & genuina hac lectione* alio loco dixerim; 1) operæ tamen pretium nunc fuerit, *dictæ lectionis vindicias* data opera adornare. Ponamus autem, (nunquam tamen conceſſuri,) 2) vocem Θεὸς hic

1) In Diſſertatione noſtra, proxime publicanda, *de Notariorum primæ eccleſiæ in conſignandis SS. Martyrum Actis ſpectata fide, quod ad Deitatem Chriſti attinet, adverſus Auctorem Platoniſmi detecti*, §. III.

2) Inde etiam eſt, quod *Ludovicus Maraccius Parte III Prodromi ad Refutationem Alcorani Capite XV p. 55, Eraſmum Roterodamum* graviſſime inſectatus

hic eſſe *gloſſema quoddam*, adeſt tamen alia vox εὐλογητὸς, quæ & ipſa *verum Deum* denotat præſertim *apud Ebræos*, uti, præter *Gottfridum Olearium*, 3) pluribus probant *Jo. Buxtorfius*, 4) *Georgius Weigenmeierus*, 5) & *Ioannes Conradus Hottingerus.* 6) א"ס. עין סוף, *non finis*, *ſine fine*, *infinitus*. Periphraſis Dei infiniti & æterni apud *Cabaliſtas*. Unde ſæpe adjungitur ipſi ב"ה pro ברוך חוא *Benedictum illud ens infinitum.* Sic in libro שפעטל ſæpe occurrit. בא"י אמ"ה, hoc eſt, ברוך אתה אלהינו מלך העולם *benedictus ſis tu, Domine noſter, Rex hujus mundi.* 7) בא"י ש"ת. ברוך אתה יהוה שמע תפלה *benedictus ſis, ô Domine, exaudiens preces.* 8) בשכ"מלו, id eſt, ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד *benedictum ſit nomen* 9) *glorioſum*

ſectatus, veram lectionem comprobat ex verbis Verſionis Syriacæ: Et *ex ipſis revelatus fuit Chriſtus in carne, qui eſt Deus,* אלהא דאיתוהי, *qui eſt ſuper omnia, cui laus, & benedictio in ſecula ſeculorum,* ובורכן לעלם עלמין אמין.

3) In *Obſervationibus Sacris in Matthæum p. 191.*

4) In libro *de Abbreviaturis Hebraicis.*

5) In *Raſche Theboth*, ſive *Abbreviaturis Hebraicis.*

6) In Diſſertatione *ad Numerorum VI, 24, de Benedictione ſacerdotali*, §. II.

7) Apud Judæos *commune* hoc *exordium* eſt *precum*, & in libris precum, aut ubi de precibus agitur, uſitatum.

8) *In fine precum* id dicere ſolent Judæi.

9) Ex *Pſalmi LXXXIX verſu ultimo.* Tertius Liber

ſum regni eius in ſeculum & ſempiternum! Denique ה"קב. קדוש ברוך הוא *Sanctus benedictus ille.* Chaldaice & Talmudice efferri plerumque ſolet קדשא בריך הוא. Sæpius apud Rabbinos præcedit ה.

II. Quid multa? *Judæi* quoque *Marc. XIV*, *61*, hiſce verbis *ipſam Chriſti Deitatem* deſignant: σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ εὐλογητοῦ; nempe hoc demum illud crimen erat, Chriſtus, ſe filium Dei eſſe, ſatis luculenter teſtatus erat. * Ceterum *Judæi ipſi* cognoſcebant *manifeſte*, *Chriſtum facere ſe Filium Dei naturalem*, & conſequenter *æqualem Deo & Deum verum.* Hoc patet ex *Ioannis V*, *17*, ubi cum dixiſſet Chriſtus: Pater meus hactenus operatur, & ego operor, ſubjicit Evangeliſta: hanc igitur ob rem magis eum interficere conabantur, quod non ſolum Sabbatum rumperet, ἀλλὰ καὶ πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν Θεὸν, ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ Θεῷ, *ſed etiam Patrem ſuum diceret, Deum ſeſe Deo parem faciens.* Et,

ber *Pſalmorum* hoc verſu clauditur, ideoque etiam Rabbini eo uti ſolent *in librorum ſuorum, vel cujuscunque materiæ, exitu.* In *Zohar* fere in fine ſingularum Paraſcharum reperitur; videas quoque notatum ל"יא, ubi primum י valet יתברך benedictus ſit, vel יתעלה, extollatur, laudetur.

*) Eſt hoc *Epitheton veri Dei*, ut dicatur εὐλογητός. *Luc. I, 68*: εὐλογητὸς Κύριος ὁ Θεὸς τοῦ Ἰσραήλ. & *2 ad Corinthios I, 3*: εὐλογητὸς ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν χριστοῦ. Sic *ad Epheſios I, 3.*

Et, cum Chriſtus *Ioannis X, 30,* iterum dixiſſet: ego & Pater unum ſumus, Judæi rurſum lapides ſuſtulerant, ut eum lapidarent. Conquerenti vero de hoc Chriſto reſponderunt: ob præclarum opus non lapidamus te, *ſed ob impia dicta, & quod, homo cum ſis, Deum te facis.* Certe Chriſtus non dixerat, ſe eſſe Deum, ſed Filium Dei, uti conſtat ex eo, quod ſequitur: *vos, me impie loqui, dicitis, quod, me Dei filium eſſe, dixerim.* Intelligebant ſcilicet, eſſe Filium Dei abſolute & ſimpliciter importare filiationem Dei naturalem, & conſequenter æqualitatem cum Deo. Propterea etiam *Caiphas,* Pontifex ſedens pro tribunali, tam ſtudioſe exquirebat ab eo, utrum eſſet Filius Dei *Benedicti.* Cumque id ille confeſſus eſſet, Pontifex, ſcindens veſtimenta ſua, eundem blaſphemiæ condemnavit, quod certe non feciſſet, ſi putaſſet, illum intellexiſſe de filiatione Dei adoptiva. Judæi etiam dixerunt ad *Pilatum Ioannis XIX, 7: Nos legem habemus, ex qua lege noſtra debet mori, quoniam ſe Dei filium fecit.* In Lege autem nunquam cenſetur reus mortis ullus, qui putet, aut dicat, ſe eſſe Filium Dei ſolum per gratiam, vel adoptionem. Porro autem, ſicuti *Paulus* non ſolum hoc in loco, ſed etiam alibi, 10) *iſtiusmodi Doxologiam* medio verborum textui inſerit, ita & *Judæorum* idem mos eſt, id quod, præter *Joannem Buxtorfium,* pluribus probavit *Chriſtianus*

10) Vide omnino *ad Romanos I, 25, 2 ad Corinthios XI, 31.*

Schœttgenius. 11) Multum denique eſt, quod inter *Mohammedanos Ahmed ebn edris* ὁλοθυλος hoſtis eccleſiæ infenſiſſimus concedit, *Paulum ex perſecutore factum eſſe Chriſtianiſmi lumen & columen, Trinitatis clariſſimum doctorem, fortiſſimumque Deitatis Chriſti Hyperaſpiſten.* Videantur hanc in rem *Ludovicus Marraccius* 12) & *Ioannes Henricus Hottingerus.* 13) Quamvis autem Mohammedanus ille *multas admiſceat fabulas, & ſolum Paulum primum faciat hujus doctrinæ auctorem*, pro nobis tamen magis eſt, quam contra nos. *Mahumetus ipſe*, inquit *Ludovicus Marraccius*, 14) *in Alcorano ſæpe Chriſtianos redarguit ob hanc ipſam cauſam. Neque loquitur de aliqua peculiari eorum ſecta, ſed de*

Chriſtia-

11) In *Horis Hebraicis & Talmudicis in univerſum N. Teſtamentum p. 717. Tanchuma fol. 50, 3*: Sic quoque Deus S. B אברך שמו לעולם *cuius nomen benedictum in ſecula*, cum nondum creaſſet mundum &c. *Ibidem fol. 86, 2*: Cur David dicit: quærite facies eius ſemper? ut doceat, quod Deus S. B. יברך שמך *benedictum ſit nomen ejus*, aliquando ſe conſpiciendum præbet, aliquando vero non.

12) In *Refutatione Alcorani p. 189* & *729.*

13) In *Hiſtoria Orientali Libro II Capite II pag. 350 ſeq.*

14) *Prodromi ad Refutationem Alcorani Parte III Capite XVI pag. 58.*

Chriſtianis univerſis in genere. Quemadmodum autem *Petrus Allixius* 15) commonſtravit, *Socinianos nonnunquam Mohammedanorum* armis oppugnari, & refelli poſſe; ita & nos iudicamus, Socinianos aures arrigere debere, allato dicti *Ahmedis* teſtimonio.

III.

IO. CHRISTOPH. HARENBERGII CONTINVATIO QVARTA, EAQVE ULTIMA, SVPPLEMENTI IN HADRIANI RELANDI LIBRVM DE URBIBVS ET VICIS PALÆSTINÆ.

T.

Tabeerah. Locus prope Paran in Arabia petræa. *Num. XI, 3.* Paran eſt Pharan. Hanc vide ſupra.

Taboga, viculus ſecundo vix milliario Orientem verſus a Bethſaida diſiunctus, occidentali in littore lacus Tiberiadis, palmis conſitus, vix octo Maurorum tuguriolis excultus. Pro Magdala habent locum nonnulli. *Cotovicus III, 8, p. 359.*

Tachpanhes, Θαφνις LXX, Daphnæ paullo ſupra Peluſium ad ripam alvei Bubaſtici orientalem; *Ez. XXX, 18.*

Tachtim terra *2 Sam. XXIV, 6*, eſt tractus eorum, qui inferiora tenebant locorum commenta-

15) In *dem Ausſpruch der alten Iüdischen Kirchen wider die Unitarios Capite XXVII p. 341.*

memoratorum. Sic vulgo *Tibchatim* incolas urbis Tibchat deſignatos puto. Vide *Tibchat.*

Tadamora, Tadmor, Tamor, Tamar, Tamaro, eſt Engedi verſus Acrabbatenen ad lacus aſphaltitis littus occidentale, quam *Salomo* munivit בַּמִּדְבָּר *in deſertis* ſitam. Deſerta Engadina ſunt omnino nota. Qui Palmyram inde architectari ſunt, vitioſæ *Joſephi* adhæſerunt lectioni, & ex παρ᾽ ἀλμυρᾶ *Palmyram* procuderunt. Videtur Tadmor referri ad urbes Cœles Syriæ, ſeu Chamath, 2 *Par.* *VIII*, 4. At Palmyra eſt procul a Cœle Syria. Exſtiterunt prope Engadam deſerta loca, in quibus *David* latitavit. 1 *Sam.* *XXIV*, 2. Engadam tranſierunt, quotquot ex Arabia felici & Petra Hieroſolymam & Tiberiadem, Samariam, Neapolin, commercia exercebant.

Tamar 1) prope Kadeſch in limitis auſtralis ſine extremo ad Occidentem. *Ez.* *XLVII*, 19. Locus, a palmis dictus, vocatur alias Elim *Ex.* *XV*, 27, *Num.* *XXX*, 9, in ſolitudine Sin, ſeu Peluſiaca, ad orientalem oram lacus Sirbonidis. *Chriſtophorus Cellarius* ſitum huius Tamar agnovit in Diſſ. *de Imperio Palmyreno* §. 4. *Tamar* alia eſt 2) Engedi, ſeu Chatzazon Tamar. Vide nomen utrumque ſupra.

Tanis. Vide *Zoan* & *Raemſes*,

Tarichea non differunt a Naphthalitica urbe Rakkot prope Tiberiadem, inde ſita intervallo

vallo XXX ſtadiorum, *Joſepho* teſte in *Vita ſua* §. 32 *p.* 15.

Tarnegola, Ornithopolis Sidona inter & Tyrum. Tarnegolim memorantur in *Trumoth* II, 9. Vide *Ornithonpolis*, & *Tharnegol*.

Tarſchiſch, urbs, ad quam *Salomo* claſſem miſit commercia tractatum. Eſt Tarteſſus ad oſtium Bætis in Hiſpania. *Rufi Feſti Avieni* Carmen *de Ora maritima* meminit *v.* 54 *fretum Tarteſſium*. Idem *v.* 85:

Hic Gaddir urbs eſt, dicta Tarteſſus prius.
Hic ſunt columnæ pertinacis Herculis,
Abila atque Calpe — — Voll. IV. *Hudſoni*.

Confer B. *Ioannis Oldermanni* Diſſ. II *de Ophir & Tarſchiſchi*, Helmſtadii A. 1714 evulgatam.

Tecoa. De eius ſitu ſolide diſſerit *Ieremias Philadelphus* in *Bibl. Brem. Cl. VIII. Faſc.* 1 *Art.* 1 §. 18 *p.* 18. Everſus eſt locus. In monte reſtant rudera. *Troilo p.* 411. Collis ille eſt rotundus, ceteris circumiacentibus excelſior. *Cotovicus* II, 8, *p.* 225. *Nithai* vix ex Tekoa adduxit placentas ex urbe Bitter; at eas ſacerdotes non receperunt ab eo. *Challah IV*, 10. Nam oblatio prima non erat e loco extra terram Iſraelis ſito adducenda in terram Iſraelis, ſiquidem Biter locus cenſebatur extra eam terram ſitus. *Maimonides* & R. *Obadias Bartenorius* ad Vid. eum locum.

Tel Arſa, locus Iudææ, latronibus infeſtus. *Ievamoth XVI*, 7.

Telaſſar, *Es.* XXXV, 12, prope Eden in Syria, indubie Lariſſa, alibi *Ellaſſar.*

Telithon, locus transiordanicus, quem *Aretas* repopoſcit, Rex Petrææ Arabiæ, ab *Alexandro Iannæo* ſibi ademtum. *Ioſephus* eum ſtricte attigit *Ant. XIII*, 15, §. 4, *p.* 675. Videtur *Tharabaſa* dictus *XIV*, 1. §. 4, *pag.* 684.

Teman, locus Idumææ, patria *Eliphaſi Iob. IV*, 1. Viæ Themanenſes erant inſidæ, ac latronibus expoſitæ. *Iob. VI*, 19. Locus, teſte *Euſebio*, aberat à Petra quinque millibus paſſuum. Fit eius mentio *Ez. XXV*, 13. Dedan erat prope illum haud procul ab ora maris mortui occidentali ad auſtrum. *Simeon Temanita* inter Doctores Miſchnicos refertur. *Taanith III*, 7.

Terebinthus, locús prope Chebrona auſtralem, arbore terebintho memorabilis, quæ dicebatur ibi inde ab *Abrahami* ætate perdurare. *Elon* enim *Mamre* vulgo expoſitum fuit per quercetum, vel terebinthum, ad Hhebrona. Vide *Ogyges drys*. Cum didiciſſet *Conſtantinus Maximus*, Ieſum iam pridem viris quibuſdam Dei amantiſſimis præſentiam divinitatis ſuæ in Palæſtina exhibuiſſe iuxta quercum, quæ dicitur *Mamre*, δρῦν Μαμβρῆ, illic etiam baſilicam, εὐκτήριον, conſtrui præcepit. *Euſebius in Vita Conſtantini III*, 51, *p.* 606.

p. 606. Juſſit idem *Conſtantinus Acacio* Comiti, ut ſimulacra omnia ibi traderet igni, ac funditus aras everteret. *Cap. 53 p. 608.* *Hieronymus de Locis Hebraicis* ad vocem *Arboch*, id eſt, Hebron: *Quercus Abraham, quæ & Mambre, usque ad Conſtantini regis tempora ibi monſtrabatur, & mauſoleum eius impræſentiarum cernitur. Cumque a nobis* (ante nos ab illo) *iam ibidem Eccleſia ædificata ſit, a cunctis in circuitu gentibus Terebinthus ſuperſtitioſe colitur, eo quod ſub eo Angelos Abraham quondam hoſpitio ſuſceperit.* Euſebius Demonſtr. Ev. V, 9: *Viſitur illic Terebinthus, quæ etiamnum manet, &, qui ab Abrahamo hoſpitio excepti ſunt Angeli, illic in tabula picti ſunt. Hieronymus* ponit duo milliaria Chebronem inter & Terebinthum, numerans Terebintho Hieroſolymas 20 tantum milliaria. *Sozomenus* numerat ſtadia 259, i. e. 32 $\frac{3}{8}$ mill. paſſ. Confer *Relandum* ſupra *p. 712.* Magnam & proceram illam Terebinthum adhuc exſtare, refert *Troilo pag. 425. Brocardus* eam vocat arborem Sittam, quæ ibi ſteterit ab initio mundi ſemper viridis, arefacta tamen fuerit Chriſto in cruce pendente. Addit idem, eam magnæ eſſe virtutis & medicinæ, inprimis contra morbum caducum. Refert præterea, arborem iſtam a Saracenis magna diligentia cuſtodiri, ac Patriarcham tunc forte ſub ea Miſſam legiſſe, eamque ſtatim reviruiſſe, quo

miraculo multi Iudæorum & Saracenorum fuerint ad Chriſtum adducti.

Tetracomia locus e vicis quatuor conſtitit, Hippo haud procul Tiberiade ſita trans Iordanem. Videtur deſignari Sucoth. Vide *Relandum* ſupra *p.* 215. Vitioſe legitur *Terratomias* *p.* 223, rectius Tetracomias *p.* 225.

Thachath, ſtatio XXIII Iſraelidarum in Arabia Petræa.

Thadmor. Vide *Tamar*, ac *Thamara*, *Thamaro.*

Thala, *Thalcha*, *El-tolad*, locus idem in tribu Simeon.

Thamana eſt Theman, Thema. Ibi enim fuiſſe præſidium Romanorum, *Euſebius* narrat ad vocem Θεμάν. Vide *Relandum* ſupra *p.* 231. *Thamara*, quæ Thamanam ſequitur, eſt ſcribenda *Thamana*. Nam, quæ ibi commentatur *Relandus*, ſpectant ad Theman, ſeu Themanam, quæ itinere unius diei ab Elana, eiusque ſinu, abfuit.

Thamaro in tabula *Peutingeriana* diſtat Ælia, ſeu Hieroſolymis, LIII mill. paſſ. Diſtantia hæc quadrat in locum Engedi. Vide *Engedi.*

Thamna, ac tractus Thamniticus, Thamnatæ toparchia, *Gen.* *XXXVI*, 34, alia apud *Plinium* *V*, 14, a Timnatha tribus Dan *Ios.* *XIX*, 41, dicta. Teman Idumææ eſt nota ſatis.

Thana urbs, quam *Ptolemæus* Arabiæ Petrææ tribuit, videtur eſſe *Dana*, tribus Iudæ oppidum.

Thap-

Thapſacus eſt terminus terræ promiſſæ ad ſeptentriones extremus, ſcilicet Θάψακος, ſeu Orontes *Scylacis Caryandenſis.* Conf. *1 Reg. V*, 4. Non legitur Thapſacus in Ebræo *1 Reg. IX*, *16.* Thiphſach, quam expugnavit *Menahem* Rex, ſita erat haud procul Tirza *2 Reg. XV*, *16.* *Scylax* in *Periplo p. 41*: Ἀπὸ Θαψάκυ ποταμῦ ἐςὶ Τρίπολις Φοινίκων, Ἄραδος νῆσος καὶ λιμήν. LXX habent Θάψα *1 Reg. V*, 4. Illa *Menahemi* Thipſach videtur Iiſſacharitidis Bethpatzetz fuiſſe.

Thaſos, *Dathos*, a *Philippo*, Rege Macedonum, occupata, nomen ab eo obtinuit *Philippi* in Macedonia adiecta. Cl. *Büſching* in *Introd. ad Ep. Philipp. p. 17.*

Thiſbe. LXX in cauſa fuerunt, ut locus a pleriſque in Transjordanicam transferatur. Reddiderunt enim illa, מִתֹּשָׁבֵי גִלְעָד ὁ ἐκ Θεσβῶν τῆς Γαλαάδ. Videntur, Eſſebunta deſignatam eſſe, iidem arbitrati. *Ioſephus* eos aſſectatus eſt, qui *Eliam* perhibuit oriundum eſſe ἐκ πόλεως Θεσβώνης τῆς Γαλααδίτιδος χώρας, *ex urbe Thesbona Gileaditicæ regionis, Ant. Iud. VIII*, 7, *p. 285.* *Iunio* ſuboluit error ad *1 Reg. XVII*, *1.* At eum correxit infeliciter. Autor libri *Tobiæ I*, *2*, indicavit, *Tobiam* fuiſſe ἐκ Θίσβης, ἥ ἐςιν ἐκ δεξιῶν Κυδίος τῆς Νεφθαλεὶμ ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ ὑπεράνω Ἀσήρ, *ex Thisbe, quæ ſita ad dextram Cydios Naphthaliticæ in Galilæa ſupra*

Aſer. Hæc eſt Kadeſch prope Paneada. Aſer videtur indicari, quæ alias vocatur חָצוֹר, Ἄσωρος. Dici enim haud poteſt cum ratione, Aſer tribum ſupra Naphtalidem reperiri. Gilead hoc loco non eſt Gilead urbs ac regio circumiecta Gileaditis in Peræa. Urbs *Gilead*, quam *Tiglat Peleſſer*, Aſſyriæ Rex, occupavit, fuit urbs Galilææ, & quidem Naphtalitidis: 2 *Reg. XV*, 29. *Elias* natus fuit in urbe Thisbe haud procul Kadeſſa ſupra Aſor, egitque aliquamdiu inter incolas urbis Gilead, urbis Galilææ, quæ alibi vocatur *Migdal El*, *Magdalum*, *Magdala*, ad littus occidentale lacus Tiberiadis intra terram tribus Naphtali. *Hoſeas* hanc urbem æque vocavit Gilead, *XII*, 13. Fuit itaque *Elias* ortu & patria Galilæus. Iudæi quidem videntur affirmaſſe, ex Galilæa Prophetam haud prodiiſſe. *Io. VII*, 52. At ibi Propheta eximius ille, Πϱοφήτης, deſignatur, ſignificandus Littera P maiuſcula. Quis enim Iudæorum ignoravit, *Ionam* uſum fuiſſe patria *Gath bachepher* 2 *Reg. XIV*, 25, eaque Galilææ annumeranda?

Thmuis, urbs Ægypti in Delta, cuius incolæ videntur dicti fuiſſe *Metim Eſ. XXVI*, 14, 19. *Thmuitæ*, qui erant Calaſiries, ſeu homines militiæ adſcripti. *Herodotus II*, 146. Thmuis urbs erat ſita inter alveum Athribiticum & Buſiriticum, a Tanai ad occaſum XXII mill. paſſ. remota, quibus emetiendis unico die

die ſuffecit cum exercitu *Titus*. *Thmuis* deſignavit *hircum*, ſi *Hieronymo* eſt fides *adverſus Iovinianum II*, *6*, ac in *Eſaiam XLVI*, *1*. *Ammiani Marcellini* ætate hæc urbs una urbium exſtitit maximarum, *XXII*, *p. m.* *422*. *Circa eam eminuit* Θμυΐτης νόμος, *Thmuitica præfectura. Herodotus II*, *166*.

Thogarma, *Ez. XXVII*, *14*, alibi *Beth-Togarma*, Arabibus *Togar*, Antiochia Syriæ. Vide ſupra *Antiochia*.

Tholomays dicitur peræque *Achon* a *Bernhardo Guidonis* in *Vita Papæ Urbani p.* 477 *Tom. III Script. rer. Ital.* edito A. 1723 fol. Mediolani per Socios Palatinos. Deſignatur urbs *Ptolemais*, quam vide ſupra. Hanc *Saladinus* obſeſſam biduo expugnavit, ſe ac Chriſtianis eripuit A. 1188 haud ſecus ac Tiberiada, a qua dicuntur *Fones* abeſſe quatuor milliaria. Videtur legendum eſſe *Fontes*, ſeu Thermas, quæ ibi ſcaturiunt. *Philippus*, Rex Galliæ, A. 1190 Ptolemaida 4 Id. Iulii recepit, at Aſcalonem tueri haud valuit. Obiit A. 1193 *Saladinus*, cuius filii cum patruo *Saphadono* concertarunt. *Bernhardus Guidonis* in *Vita Clementis VIII p.* *479*.

Thorma in tabula *Peutingeriana* inter Rababatoram ac Neglam. Videtur ſubeſſe Tamar, ſeu Engedi.

Threſſa, *Reſſa*, Ῥῆσσα, urbs Idumææ, memorata *Ioſepho B. Jud. I*, *13*, *§. 8*, *p. 85*, ac *Ant. Iud. XIV*, *13*, *§. 9*, fuit *caſtellum*, Φρέριον, *XIV*,

 15, *§.*

15, §, 2, ac I, 21, §. 19. Sita erat prope Maſadam. Ergo in Iudæa auſtrali. Huc itaque haud quadrat Riſſa *Num. XXXIII*, 21, 22. Videtur ſubeſſe *Mareſcha Ioſ. XV*, 42.

Thubal, tractus Tibarenorum ad Pontum Euxinum, ac urbs antiqua Tibarum. Loci fit mentio *Ez. XXVII*, 13, *XXXII*, 26. Vide ſupra *Meſech*.

Tibchat, urbs Regis Aramææ *Zobia*, ſeu *Abilenes*. 1 *Par. XVIII*, 8. Additur ei Conna, ſeu Kun, oppidum. At vero 2 *Sam. VIII*, 19, urbes regis illius a *Davide* devicti memorantur *Betahh* & *Brothai*. Videtur itaque nullum *Tibchat* inter ac *Betahh* ponendum diſcrimen. Conf. *Ioannis Matthæi Haaſii Deſcriptionem regni Davidis ac Salomonis p.* 258. Vide ſupra *Cun* & *Betach*.

Tiberias. Ipſa & Sepphoris maximæ & validiſſimæ fuerunt urbes in Galilæa. *Joſephus* in *Vita ſua* §. 65. *Tiberias* a Tyro diſtat ad triginta milliaria (Romana), iudice *Wilhelmo Tyrio XI*, 5, *p.* 238. Seculo XII ineunte ad Tiberiada pugnatum fuit Francos inter & Moslemios. *Abulpharag. p.* 373.

Tin, nunc *Thine*, olim Sin ac Peluſium, Ægypti propugnaculum verſus Palæſtinam ac Syriam. Rabbinis nomen Tin eſt familiare. Vide ſupra *Peluſium* ac *Sin*.

Tiphſahh, ſeptentrionalis limes terrarum *Salomonis*, quæ inde ad Gazam usque ac alveum, Ægypti terminum ac Palæſtinæ, patebat,

bat. *1 Reg. IV, 24.* Vulgo ſubaudiunt urbem, quæ dicta fuit Thapſacus, ac Euphrati adiacuit. Sententia hæc inde eſt enata, quod, Euphratem per *Phrat flumen* deſignatum fuiſſe, exiſtimari fuit cœptum. Vide ſupra *Thapſacus.*

Tobb, Θάβη, ac adiecta regio cognominis, אֶרֶץ טוֹב, *regio Tobb,* circa Philadelphiam in Ammonitide exſtitit. In Maccabæorum hiſtoria τὰ Τωβίᾳ, cives Τωβιάνοι, memorantur. Regio Tobh varie ac paſſim eſt obvia. Vocatur ipſa *Iſchtobb regio 2 Sam. X, 6. Ptolemaeo* memoratur *Thaube* intra Arabiam deſertam eadem latitudine, ac Boſtra & Trachonitis. Haud multum disiuncta fuit a Ramoth Gileaditica. *Iud. XI, 5, 11.* Tobiani Ammonitis ſubmiſerunt adverſus *Davidem.*

Tolad, Eltolad, LXX Ἐρθωλὰ, Θωλὰδ, Ἐλβωυδάδ. Molada ab ea differt, eamque LXX ab ea diſcreverunt. In deſcribendis nominibus propriis librarii & ſæpius & admodum errarunt. Pro Ἐρθωλὰ lege Ἐλθωλὰ, & pro Ἐλβωυδὰδ lege Ἐλθωλὰδ.

Toloba in Notitia dignitatum Imperii Romani, a *Philippo Labbeeo* Pariſiis A. 1651 edita, legitur inter Admatham, ſeu Ammatham, tribus Iudæ & Haſtam, Aſcaloni & Azoto interiectam, ipſamque Azoton minorem, mari haud finitimam. Thella eſt, Thala, Thalcha, alias Ebraice Rimmon dicta *Ioſ. XIX, 7, Euſebii* ætate

tate vicus grandis Iudæorum, XVI mill. paſſ. ab Eleutheropoli verſus auſtrum.

Tophel Devt. I, 1, ſtatio Iſraelidarum trans mare mortuum in planitie ſupra Arnonem. Niſi fallor, locus a *Ioſepho* vocatus fuit *Telithon.* Conf. *Haaſius l. c. p. 184.*

Toronum, caſtellum, A. 1102 a Chriſtianis in monte excelſo ſtructum in loco, cui nomen priſcum erat Tyberim, inter mare ac Libanum, æque diſtans a Tyro & Paneade. Locus vineto commodiſſimus, frugibusque ac agriculturæ oportunus. *Wilhelmus Tyrius XI, 5, p. 238.* Fortaſſe *Phileteria.*

Tortora, Vide *Caſtrum peregrinum.*

Toxos, locus haud procul Gaza. Confer ſupra *Relandum p. 215.* Atrem Simeontidis.

Tripolis, Phœnices a ſeptentrionibus initium, colonia erat Tyri, Sidonis, ac Aradi. *Euſtathius* ad *Dionyſii Periegeſin p. 161 ſeq. Vol. IV Hudſoni. Mela* tradit *I, 12*, ſingulas colonias invicem ſtadio uno abfuiſſe. Tripolis recentior a veteri ad dimidium leucæ Anglicæ diſtat. D. *Shaw Obſervations geographiques ſur la Syrie Cap. I p. 11.* Eam deſcribunt *Troilo p. 57, Wilhelmus Tyrius* in *Deſcr. belli ſacri X, 10 & 19*, atque *Iean Zuallart* in libro *le tres devot Voyage de Ieruſalem*, edito A. 1607, 4, qui bombycum ibi cultum celebrat. Ad Tripolin exſtant fauces Libanum inter & mare Syriacum, quod Arabes Rumæum, id eſt, Aramæum, vocant. *Troilo p. 60 ſeq.* Adhæret

ei

ei propemodum *Dei facies*, ſeu promontorium, τὸ τῦ Θεῦ πρόσωπον. *Euſtathius I, p. 161.* Tripolis ab Arcis 5, vel 6, mill. paſſ. abeſt, *Wilhelmus Tyrius VII, 14, p. 254.* Ad eam mare influit decurrens ex Libano fluvius Kadicha, immo eam perfluit, eumque auget amnis *Ras Ain. De la Roque Tom. I P. I p. 216.* Credunt *Nicolius le Huen, Zuallart*, ac *Adrichomius*, ad multa ibi ex Libano ſeſe evolventia flumina olim exſtitiſſe *fontem hortorum i Cant. IV, 25*, memoratum. Veriſimile id haud exiſtimat *de la Roque p. 223.* Eminet ſupra Archin, Tripolin, ac Biblion, a parte orientali pars Libani, quem poſt *Joſuam VVilhelmus Tyrius* vocavit montem *Seir, VII, 21.* Conf. *Ioſ. XI, 17.* Terra, ad montem Seir procurrens, vocatur terra Giblitarum *Joſ. XIII, 5.* Terram Siriada *Perizonius* explicabilem eſſe, ac definiri poſſe, negat. *Joſephus Scaliger* ſitum eius prorſus ignorat. *Richardus Simon* de ea ſcripſit epiſtolam integram, in qua nihil certi. *Furmontius* ſenior deſignatum credit per eam omnino tractum montis Seir in Idumæa, quippe in qua *Oſiris*, quem putat fuiſſe *Eſau*, victorias ſuas iuſſu *Thout*, (quem pro *Elieſere* habet,) ſeu *Athotis*, inſcribi iuſſerit columnis. *Reflexions critiques ſur les hiſtoires des anciens peuples III, 8, p. 106.* Regio Serias, ſeu Seriadica, videtur monti ſeptentrionali Seir fuiſſe proxima. Aliorum de eius ſitu ſententias dat edi-

tio

tio *Sigeberti Havercampii* ad *Joſephum Ant. Iud. I*, 2, §. 3, *p.* 11, 12. Conf. *Relandum* ſupra *p.* 343. Plura ſuppeditat de Tripoli *Cellarius* in *Geogr. ant. III*, 12, *p.* 446. Promontorium Theu proſopon nautæ nunc vocant, *Capo pagro*, provinciales Galli *Cappuge*, teſte *de la Roque Tom. I P. I. p.* 168. In hoc promontorium ad ſeptentriones deſinit, teſte *Strabone*, mons Libanus. Caſtellum in promontorio cognomine, *Straboni* eidem notum. Tripolin & promontorium olim interiacebat oppidum Trieres, Τριήρης, (triremis,) quod dudum ruinis fuit involutum. Rudera viſuntur adhuc ad Libani declivis finem, duabus leucis Anglicis Tripoli admodum remota. D. *Shaw l. c. Demetrius*, *Seleuci*, Regis Syriæ, filius, Roma profugus, Tripoli Syriæ occupata, diadema ſibi impoſuit regale, teſte *Joſepho Ant. Iud. XII*, 10, §. 1, *p.* 624.

Trochon ſcribitur in libris nonnullis loco *Trachon*, nec urbem, ſed potius regionem Trachonitida, deſignat, ut apud *Joſephum de bello Iud. II*, 6, §. 3, *p.* 157, *Ant. Iud. XIII*, §. 5, *p.* 678.

Tubin, locus in transiordanica 1 *Maccab. V*, 13. In Græco legitur τὰ τῦ Τωβίυ, *regio Tob*, de qua ſupra expoſuimus.

Turris Ader. Vide Ader & Migdal Eder. *Turris* Savah. Vide *Savah* & *Scopus. Turris Stratonis.* Vide *Cæſarea* Palæſtinæ. *Turris Pſephina* occurrit ſupra in *Pſephina turris.*

Turris

Turris Tyros, ab *Hyrcano* exſtructa, fuit caſtellum validum Arabiam inter & Iudæam trans Iordanem fluvium, non procul ab Eſſebonitide. *Joſephus Ant. Iud.* XII, 4, §. 11, *p.* 607.

Tyrus, Sur hodie ac Zur, olim *Zor*, *Sor*, unde nomen Syrorum ac Syriæ profluxit. Ex Sor derivandum eſt nomen eiusdem oppidi *Sarra*. *Sam. Bocharti Canaan II*, 10. *Columella Lib.* X *p.* 411:

Iam roſa niteſcit Sarrano clarior oſtro.

Pannus Sarranus, oſtrum Sarranum, inde nomen obtinuit *ſcarlaque*, *eſcarlatte*. *Cotovicus I*, 19, *p.* 122. Purpuræ inventor fertur fuiſſe *Hercules*, Philoſophus Tyrius, teſte *Georgio Cedreno Hiſt. Lib. I* ſub initio. Artem conficiendæ purpuræ, ac huius uſum, copioſe executus fuit *Octavius Santorus* in Commentatione *Diſcorſi intorno alla Porpora degli antichi p.* 321 *ſeq. Tom. VIII* Collectionis, quæ Venetiis evulgatur, ac inſcribitur *Miſcellanea di varie operette*. Tyrus antiquiſſima fuit in continente haud procul Ptolemaide ſita. Vide ſupra *Palatyros*. Ob huius memoriam *Dionyſius* in *Periegeſi* Tyrum vocavit ὠγυγίην, *antiquam*, *v.* 911. Antiquitatem eius pariter prædicavit *Euſtathius* ad illum *p.* 160 hunc in modum: Ἔςι δὲ καὶ πορφύρα καλλίςη ἡ Τυρία — — — Ἔςι δὲ μεγίςη μετὰ Σιδῶνος ἡ Τύρος ϗ ἀρχαιοτάτη καὶ δύο λιμένας ἔχει. Magnificentiam ac divitias prædicat Autor

tor *Expoſitionis totius mundi p. 4 Vol. III Hudſoni.* Cuſtodes Tyrii in atriis conſtituerant. *Atrium Tyrium* חצר צורית memoratur in *Maaſeroth III, 5. Euſtathius* ſignificavit, *Alexandrum* effeciſſe Tyrum ex inſula continentem. Nec eam aliter ac a continente disiunctam *Scylax Caryandenſis* in *Periplo* deſcripſit *p. 42 Vol. I Hudſoni.* En verba: Αὕτη Τύρος ἡ Νῆσος βασίλεια Τυρίων καὶ ἀπέχει ςάδια ἀπὸ θαλάττης γ'. *Henricus Dodwellus* in animum induxerat credere, *Scylacem* fuiſſe *Polybio* ætate æqualem, iſthæc vero e Periplo, ætatem *Alexandri Magni* ſuperante, decerpſiſſe. Legitur Diſſ. *Dodwelli de Peripli Scylacis ætate* in *Volumine Hudſoni* eodem. *Euſtathius* ad *Dionyſii Periegeſin p. 160 Vol. IV Hudſoni*, Tyrum olim fuiſſe inſulam, ſibi perſuadet. En verba illius: *Νῆσος ποτὲ ἦν ἡ Τύρος, ἡ τότε ἐςὶ χεῤῥόνησος.* Tyrii exiſtimantur primi rem nauticam feciſſe. *Catullus Lib. II El. 8 v. 29: Prima ratem ventis credere docta Tyros.* Tyrum illuſtravit Iureconſultus *Ulpianus*, ibi quippe natus. Hic patriam ſuam animo pio vocavit *ſplendidiſſimam in Syria Phœnice coloniam, nobilem regionibus, ſerie ſeculorum antiquiſſimam, armipotentem, fœderis, quod cum Romanis percuſſit, tenaciſſimam, Dig. L. tit. 15.* Ob eam fidem D. *Severus* Imperator dedit Tyro ius Italicum. Id ipſum loco laudato addidit *Ulpianus.* Deus prædixit per *Ezechielem XXVI,*

5-14,

5-14, *Tyrum* in ſaxum ſiccum redactum iri, inſervituram non niſi ſiccandis retibus piſcatorum, nec deinceps inſtauratum iri. Vaticinio ſuus conſtitit eventus. *Henry Maundrell dans le Voyage d'Alep à Ieruſalem p. 799.* Tyrii iam olim in ſcopulis piſcatum exercuere. *Ioannis Meurſii Commentarius in Lycophronis Caſſandram p. 43.* Tyrii piſces venales Hieroſolymam olim detulerunt, ac ad portam piſcium vendiderunt. *Neh. III, 3, XIII, 16, XII, 39, Sophon. I, 20, Bochartus in Hierozoico P. III Lib. V Cap. 5 p. 720.* Plura dedit *Wilhelmus Tyrius* de Tyro, Seculo XIII ineunte ibi Epiſcopus Latinus, *XIII, 1.* Tyrii olim coluerunt ſuum *Melcartum*, *Saturnum*, *Herculem*, hoſtiis humanis placari ſolitum, ideoque a *Molocho* haud diverſum, e *Iove Demarunte*, ſi *Philoni Byblio* fides, natum, nec non *Aſtarten*, *Aſtaroth*, *Uraniam Venerem*, *Lunam*, *Iunonem*, *Aphroditen*, *Beliſamam*, ſeu reginam cœli, *Mylittam*, *Alilat*, *Myletan*, *Lucinam*, *Ilethyjam*, in Corano *Sur. XLIII* allatam, unam, eandemque Deam, matrem Deum, *Aiman*.

Tzaannaim, Tzaananim. Prius nomen eſt in Kebiv; poſterius in Kri. *Iud. IV, 11.* Locus prope Kadeſſam Naphtaliticam. *Zaanan Mich. I, 11.* *Zenan Ioſ. XV, 37.* *Tzaanannim Ioſ. XIX, 33.* Idem locus, qui dictus videtur ex ramis palmarum invicem iunctis, in quibus dacty-

li expanduntur. Nam خزن eſt Arabibus huius ſignificationis ac poteſtatis. *Golius* in *Lexico Arabico p. 835*.

Tzaphah, Scopus, adhuc templum Hieroſolymitanum conſpici poterat. *Ioſeph. Ant. Iud. XI, Cap. ult.*

Tzaphon, adytum, opertum, templi penetrale, ſpeciatim 1) urbs Gaditarum, *Zaphon, Ioſ. XIII, 27*, 2) Daphna, ſuburbium Antiochiæ in Syria, quam vide ſupra in *Daphne*, 3) templum Iovis Caſii, alias *Baalzephon*.

Tzarpath. Vide *Sarephta*.

Tzartan, urbs Gaditarum e regione Süccoth cis Iordanem. Eo usque Iordanes retorſit undas per miraculum, tranſeuntibus Iordanem Iſraelidis. *Ioſ. III, 16*. *Hermannus von der Hardt p. 26* putat, locum haud differre hunc a צרת השחר *Ios. XIII, 19*, loco Rubenitidis. At fruſtra & in miraculi detrimentum. Tzartannah enim fuit e regione Süccoth *1 Reg. VII, 46*, prope Iisreel & Scythopolin *1 Reg. IV, 12*, alias *Tzeredatha*.

Tzebojim, 1) urbs everſa in littore lacus aſphaltitis ad auſtrum, ubi poſthæc vallis nomen exinde retinuit, 2) vicus in vicino monte, cuius incolæ attulerunt primitiva ſua ante Pentecoſten. *Biccurim I, 3*. 3) Urbs tribus Benjamin *Neh. XI, 33*, alias *Gibeon*.

Tzedadah in limite terræ promiſſæ ſeptentrionali inde a mari Syriaco verſus Hhetlon, ſeu

Catalam,

Catalam, ac inde progrediendo Poſidium ad oſtium Orientis. *Ez. XLVII, 15.* Vid. *Poſidium.*

Tzephat 1) urbs dicta *Hborma* prope Aradum in tribu Iudæ auſtrali *Num. XXI, 3. Euſebius* novit vicum *Arama*, eumque diſiunctum tradit 4 mill. paſſ. a Malatha, ac 20 ab Hebrone. Locus Simeonitis fuit attributus. 2) Locus, inter quem et Tiberiada ſita fuit urbs Achabara. Vide *Cippos Hebraicos*, ab *Hottingero* editos.

Tzer alibi *Zredah.*

Tzereth baſſchachar, urbs in patrimonio Rubenitarum *Ioſ. XIII, 19*, at in fundo ac iurisdictione tribus Gad *v. 27*, ſita ad terminum orientalem campi magni prope montem, ab urbe cognominatum.

Tzidan locus in *Gittin IV, 7*, memoratur, repetiturque *VII, 5*, nec additur aliquid, unde ſitus poſſit cognoſci.

Tzinnah locus fuit prope Kadeſch barne in limite tribus Iudæ auſtrali. Proxime eum ſolitudo Zin ſeſe usquequaque diffudit.

Tzipporis. Ibi quidem lavacrum a proximo ſuo XII denariis conduxit aureis in annum. *Baba Mezia VIII, 8.* Iudices Tzipporienſes dixerunt, מעמר eſſe quatuor Caborum locum. *Baba batra VI, 7.* Vide *Sepphoris.*

Tzoar, urbs palmarum dicta, memoratur in *Ievamoth XVI, 7.* Vide *Zoar.* De dactylis palmarum conferatur *Albinus, de Plantis Ægypti* commentatus.

Tzoba, urbs haud procul ab urbe Hhemath, ſeu Heliopoli, quæ regulum ſuum habuit, a *Davide* devictum. 1 *Par. XVIII*, 3. Sita fuit cis fluvium Phrath, alibique nominatur חֲמַת צוֹבָה 2 *Par VIII*, 3, id eſt, Tzoba, ſeu *Specula*, in Cœle Syria. Plura enim fuerint in Syria, Palæſtina, & Moabitide, loca, quæ vocabantur *ſpeculæ*. Tzapheth, Saphah, Scopus, Mizpe, Zobhe, Mizpah, denotat ſigillatim *ſpeculam*. Vide ſupra *Schaveh*, *Chammathzobah*, ac *Scopus*. Zobam Syriæ fuiſſe *Abilam Lyſaniæ*, iam ſupra indicavi. *Hermannus von der Hardt* in *Medabenis p.* 15 tradit, Zobam Aramææ eſſe urbem Damaſcenes, a *Strabone* vocatam τὰ περσιμὰ, poſtea *Megeſaphar* dictam, ad ortum Damaſci ſitam. Nondum vim & argumenta huius opinionis mihi licuit exquirere, vel indagare. *Ioannes Matthias Haaſius* rationes ſuas longe ſecus putavit in *Deſcriptione regni Davidis ac Salomonis p.* 253 *ſeq.*

Tzuk, in deſertis locus, in quo hirco, *Aſaſel* dicto, erat pereundum. Eo uſque Hieroſolymis erant tabernacula decem. Ac diſtantia ipſa erat ſtadiorum nonaginta, intra quæ locus erat tabernaculis. Stadiorum autem illorum hæc erat ratio, ut ſeptem cum dimidio unum conſtituerent ac explerent Romanum milliare. Locus itaque Tzuck Hieroſolymis abfuit 13 $\frac{5}{13}$ milliaria Romana. Situs itaque fuerit oportet haud procul deſertis

ac

ac caſtello Ziph, ſeu Siph, ad lacum aſphaltiten. Rem ipſam legimus traditam in *Ioma VI*, 4, 5.

V.

V*allis Antiochi* fuit locus inter Seleuciam transjordanicam & Gamalam, teſte *Ioſepho Ant. Iud. XIII*, 15, §. 3.

Veterocaria, ſeu *Sabura*, inter Zoaram & Ailam, ſinui Elanitico adiacentem, ponitur in Notitia dignitatum Imperii Romani, à *Labbeo* edita, *Sect XXI*. Deſignatam puto urbem Bozram in Idumæa prope Petram, quaſi בֶּתֶר כְּרַךְ *Beteram urbem*. Syri vero literam S præfixerunt nominibus. Unde *Sabutra*, ſeu *Batra*, denuo prodit, eiusdem urbis nomen, in *Sabura* inflexum.

Ulam Luz eſt idem ac *olim Luz Gen. XXVIII*, 19. Luz, ſeu Luza, tertio lapide abfuit a Sichema nova, ſeu Neapoli. Vide *Relandum* p. 876.

Ulamma fuit *olim Ammaus*, חַמּוֹת, thermæ prope Tiberiada, quas attigit *Ioſephus de Bello Iud. IV*, 1, §. 3. Congruit diſtantia a Sepphori, ſeu Diocæſarea, quæ computata fuit a Rabbinis 18 mill. paſſ. Tiberiada. Vide *Sepphoris*. Abfuit itaque Ammaus Tiberiade admodum ſex mill. paſſ.

Ulatha. Vide *Oulatha*.

Umiſa, Humiſa, Humiſia, Omiſa. In libro Ponti-

ſicali, qui ſolet *Anaſtaſio* Bibliothecario adſcribi, leguntur hæc de *Aniceto*, ad A. 167 Epiſcopo Romano, *Tom. III Script. rer. Italic. Muratorii p. 98*: *Anicetus, natione Syrus, ex patre Ioanne de vico Omiſa, ſedit annos novem, menſes tres.* Manuſcripta exhibent locum varie ſcriptum. Videtur urbs Emiſſa, ſeu Emeſa, ſubeſſe. Vide eam ſupra. Urbes nonnunquam appellari vicos, præcipue ab hoſte mœnibus nudatas, notius eſt, quam ut debeat moneri.

Ummia Aſeritidis fuit Iamnia in mediterraneis ſupra Ecdippam ad auſtrum verſus amnem Belum. In vulgatis *Ioſephi* editionibus eſt *Iamnith de Bello Iud. II 20, §. 6, p. 208*, ac *de Vita ſua §. 37 p. 18*, ubi vulgo *Iamnia* legitur.

Ur caſdim. Cives Edeſſæ crediderunt iam olim, urbem ſuam olim fuiſſe ſic appellatam. Ipſa enim olim vocata fuit Urhoi, Roha, Rohais, Roaes, Roaſe, Rages. Primus Rex eius ſolet vocari *Urhois.* Vide *Theophili Sigfridi Baieri Hiſtoriam Osrhoenam & Edeſſenam, ex numis illuſtratam*, editam Petroburgi A. 1734, 4. *Iupiter Urius* ad Byzantium uſque circa Ponti oram cultus. In caſtello, quod dictum eſt *Hieron*, templum exſtitit Διὸς, *Iovis Urii*, Οὐρίε. Anonymi *Periplus Ponti Euxini p. 1 Vol. III Hudſoni.* Chaldæi eo usque ſe diffuderant, dicti poſtea Chalybes. *Cellarius* in *Geogr. ant. III, 8, p. 336.*

Fanum

Fanum *Iovis Urii* a Byzantio diſtabat 120 ſtadiis. *Arrianus* in *Periplo Ponti Euxini p.* 12 *Vol. IV Hudſoni.*

Usba. Eius incolæ ad terram Iſraelidarum relati a *Gorionide VI, 59, p.* 887. *Ioannis Lightfooti Chorographia, Matthæo præmiſſa, Cap.* 15, *p.* 34, & *Cap.* 84, *p.* 147.

Utnai pagus, in quem erat veniendum a proficiſcentibus e Galilæa in Iudæam. *Gittin VII,* 7.

Utz, patria *Iobi.* Inter fontem fluvii Letane, prope Balbec, ſeu Heliopolin, in Syria orti, ac Damaſcum exſtat pagus *Uzzi.* Prope eum eſt *Ayta.* Huc nonnulli *Iobum* transferunt, Damaſcenorum fide concinente. Alii *Auſanitida* regionem ob oculos habent, quam *Ptolemaeus* procul Damaſco in Orientem ac Arabiam deſertam collocavit. At *Autai* habitarunt ſupra verticem ſinus Arabici paullo magis ad Orientem, quam ad Septentriones. Hos novit *Plinius. Agatharchides de Rubro mari p.* 27 *Vol.* 1 *Hudſoni* de eis hæc habet: *Autai, qui ad extremum ſeceſſum, vaſto incluſum mari, ad Indiam & Gedroſiam & Germaniam* (Carmaniam) *& Perſas inſulasque — — habitant, ubique domicilia habent, qui nudo ſunt corpore tam fœminæ, quam viri. Plinius* ſtrictim *VI,* 29: *Berenice oppidum. — — Arabes Autai & Gnebadai.* Idem *VI,* 28, *Auteos* ac *Ravos* in Arabia felici ponit. Prope terram Utz filii *Edom* ſedes habuerunt. *Thren. IV,* 21. Inde coniecturam duco, *Iobum*

prope Madianitas ad oram ultimi ſinus Arabici ſeptentrionalem verſus Orientem habitaſſe. Amici eius ita habitarunt, ut ex *Themana*, *Bos*, ſeu Botnia, ac aliunde, ad eum facillimo negotio poſſent commeare.

X.

Xaloth, *Zaloth*, *Xallo*, eſt Kisloth Tabor, ſeu Keſilloth Tabor, Hakkeſilloth *Ioſ. XIX*, 18, Exalus. Locus iuxta Tabor ad auſtrum in campo magno ſitus, octo mill. paſſ. a Diocæſarea, ſeu Sippori, verſus Orientem disiunctus.

Xyſtus, locus Hieroſolymæ, quam evolve.

Z.

Zabulon, Chabulon, Cabul, Gabala. Vide *Gabala*.

Zeit, arx mari appoſita ultra Accen ad ſeptentriones porro XII mill. paſſ. *Ebn. Edris P. V Clim.* 3.

Zara, urbs Iudaici Regis *Alexandri Iannei* in Arabia regnoque poſtea *Areta*. *Ioſephus Ant. Iud. XIII*, 15, §. 4, p. 675. Eſt ipſa Zoara, uti pateſcit ex collatione *XIV*, 1, §. 4, p. 684.

Zebece eſt Bezece, Bezec. Hanc vide.

Zer. Vide *Zredah*.

Zia, fortaſſis Suſith, Hippos.

Ziphron, Siphron, Sibbraim. *Num. XXXIV*, 9.

Daphne

Daphne Antiochiæ, ubi adytum Dei commentitii, oraculum, & lucus. Vide *Siphron.*

Zizium eſt Zin ultra Engada ad ſeptentriones. *2 Chron.* XX, 16.

Zoan, ſedes regia in Ægypto intra Delta ad Orientem alvei Tanitici. Ibi haud procul a regione Goſenitide *Moſes* in agro miracula vi divina edidit. *Pſ. LXXVIII*, 12, 43. Vide ſupra *Tanis.*

Zoara, Zara. *Ebn Edris Part: V Clim. 3: Ab Eriha* (Iericho) *ad Zogar habetur duorum iter dierum.* Planctum prædicit *Ieremias* Moabitis a Zoar usque ad Hhoronaim, ac porro Eglath Schliſchijah, *XLVIII*, 34. Zoar vocatur *urbs palmarum* in *Ievamoth XVI*, 7.

Zredah, Zareda, Zer, Tirza, Zartan, Θαρσὴ *Ioſ. Ant. VIII*, 12, p. 455, 456, Therſa Vulgatæ, ſita in monte, e regione Tiberiadis ad auſtrum verſus Scythopolin dimidio fere milliari Germanico. Reges Iſraelitici ibi multis ſedem regiam tenuerunt annis. Ibi natus fuit *Ieroboamus* prior, *1 Reg.* XI, 26, *Ephrati* cognominatus, quia educatus fuit Gephri, ſeu Ephrone trans Iordanem. Civis urbis huius dici ſolebat *Ephrati*, Ennabrita. *Iud.* XII, 5. Silva ei erat vicina, dicta *ſilva Ephraim.* Prope Zarthanem viſebatur Betſchan, ſeu Scythopolis. *1 Reg. IV*, 12. Conf. *Ioſ. III*, 16. E regione eius erat urbs *Adam.* *Euſebius* ac *Hieronymus* collocant *Sarthan* ad radices Ieſreel. Zredah nota *Ioſuæ XII*, 24.

Tirzæ regnavit *Ierobeamus* 1 *Reg. XIV*, 17, *XV*, 21, *XVI*, 6, 8. *Eli* ibi ſedit, cæſus a *Simri XVI*, 9, 13. Ibi *Simri* ſedem habuit regiam *v.* 17. *Omri* ibidem ſedit. *Hoſeas* locum vocat *Zor*, *IX*, 13. Confer *Io. Gothofredi Lakemacheri Diſſertationem de Zereda, celebri gemino in Palæſtina & Peraea oppido, Regum Iſraelis curia*, Helmſtadii A. 1728, 4, evulgatam.

Zur, Bethſura, Biter, Bither, *Joſepho* Βεθσοῦρα *Ant. Iud. XII*, 9, §. 4, *p*, 622. Hic tradidit ita: *Rex Antiochus Eupator profectus eſt Antiochia — — Cum in Idumaeam perveniſſet, inde ad Bethſuram adſcendit, urbem valde munitam captuque difficilem.* Alii Codices habent Βησουρα, Βησὰρ. Bethſuritæ tandem, multitudine hoſtium territi, ſe urbemque dediderunt. Rem eandem narravit *Gorionides III*, 14, *p.* 216, locumque appellavit ביתר, *Beter, Biter*. Bethſuræ nomen legitur 2 *Macc. XIII*, 19. *Joſippi Epitom. p.* 25. *Euſebius H. E. IV*, 6: Βίθθηρα πόλις, ἥτις ἦν ὀχυρωτάτη, τῶν Ἱεροσολύμων οὐ σφόδρα πόῤῥω διεστῶσα. Betthar villam *Itinerarium Burdegalenſe* tradidit Hieroſolymis XII mill. paſſ. diſtare, at mutationem Betthar disiungit Hieroſolymis LII mill. paſſ. Ad hanc *mutationem Relandus* reſpexit halucinatus ſupra *p.* 640. Reſpiciendum eſt ad villam. Exſtitit Biter quædam extra terram Iſraelis. *Challah IV*, 10. Hæc in media fuit Idumæa, teſte *Ioſepho de*

Bello

Bello Iud. IV, 8, §. 1, *p.* 297. Deſignatur per hanc Betarin *Bozra* prope Petram. *Cephartoba* æque ibi vicus fuit ſpeculat quædam, in urbem munitam conformata ab *Herode Magno*, olim Cepharſaba dictam, ex eo tempore Antipatrida. *Ioſ. Ant. Iud. XVI*, 5, §. 2 *p.* 798. Bither, Beter, eſt Bethchoron, XII mill. paſſ. ab Ælia diſtans Nicopolin.

Et hic quidem ſubſiſto. Adiunxi vero & intexui loca, quorum in V. T. fit mentio, præcipue tamen ea, quæ ad terras ſpectant, Patribus a Deo promiſſas, ne lector uspiam hæreret, nec ſibi inſpiraret opinionem, loca illa, quæ in V. T. commemorantur, & extra Palæſtinam fuerunt ſita, in tabulis, Palæſtinam repræſentanitbus, eſſe quærenda.

Explicit *Supplementum ad Relandum de Urbibus ac Vicis Palæſtinæ, eisque, quæ in V. T. memorantur.*

IV.

PAVLI ERNESTI IABLONSKI OBSERVATIO DE CNEPHO, VEL CNVPHI, ÆGYPTIORVM, ID EST, AGATHODAEMONE.

OBSERVATIONIS CONSPECTVS.

I. E*x doctrina Ægyptiorum de Phtha & Neitha liquet, eos adoraſſe Spiritum æternum, omnia permeantem, & rerum omnium cauſam.* II. *Hanc rerum omnium cauſam*

ſam Ægyptii modo ut cauſam omnis boni venerabantur ſub Nomine Cnephi, vel Cnuphis, modo ut cauſam mali, ſub nomine Tithrambo. III. De Cnepho, vel Cnuphi, Ægyptiorum Deo, teſtimonia veterum. IV. La Croziana interpretatio nominis, expenditur. V. Cnuphis ſermone Ægyptiorum propriè ſonat Agathodæmonem, vel bonum Genium. VI. Is vero eſt æternus ac ſupremus Spiritus, quatenus hominibus bene facit. VII. Iamblichus & alii ex recentioribus Platonicis doctrinam de Cnepho inſigniter adulterarunt, ſed ita tamen, ut verum ex fabulis eorum, ope cumprimis linguæ Ægyptiacæ, erui poſſit. VIII. Id ipſum novis exemplis confirmatur, & ſimul illuſtratur nomen Καμηφίς. *IX—X. Succeſſu temporis nomen Cnuphis ab Ægyptiis inditum etiam fuit Nilo, ac Symbolis illis ſacris, quæ fertilitatem Nili adumbrabant.*

I.

Etſi vix ac ne vix quidem in dubium a quoquam vocari poſſit, dogmata veteris Ægyptiorum Theologiæ, cum placitis Philoſophorum e Porticu, convenientiam in multis præ ſe ferre non obſcuram: quod & * alia occaſione iam tetigimus; fatendum tamen eſt, Sapientes

* Obſervat. *de Phtha, ſeu Vulcano, Aegypt.* §. 7.

pientes Ægyptiorum lumine naturæ & conſcientiæ in eo multo melius uſos, veritatemque multo felicius aſſecutos fuiſſe, quod conſilio ſapienti & potenti voluntati mentis æternæ creationem mundi, & omnia, quæ in mundo fiunt & geruntur, in acceptis tulerint, quod mentem hanc æternam non fati legibus ſeveris ſubiecerint, ſed viciſſim rerum omnium, quæ in mundo eveniunt, ordinem ** ex optimi æternique Numinis decreto libero deduxerint. Utque hanc ſuam de illa æterni Numinis virtute ſententiam tanto luculentius teſtatam facerent, Numen illud, nunc quidem ſub ſpecie Dei, nunc vero ſub nomine Deæ, populo colendum propoſuerunt, ſed utrique tamen huiusmodi impoſuerunt nomen, quo admonerentur omnes, ex decreto tanti Numinis, ceu vera cauſa, pendere omnia, & quæ ſunt, & quæ fiunt. *Phthas* enim, quod *Vulcano* Ægyptiorum nomen eſt, & pariter *Neith*, quomodo iidem appellarunt *Minervam*, ſignificare *decernentem* & *ordinantem*, in obſervationibus de Numinibus hiſce, pluribus docuimus. Quantumvis igitur gentis Ægyptiorum Theologi gubernationem mundi attribuerent Soli, Lunæ, & reliquis Planetis, ac, per hos omnia effici, arbitrarentur, vim tamen illorum cunctam atque poteſtatem, a mente æterna divina, ſuis limitibus circumſcribi, horum itidem motum & operationem omnem a Spiritu ſapiente & potenti regi ac determinari,

** *Ibidem* §. 12, & *Obſervat. de Neitha* §. 12.

ri, ſemper iidem aſſeruerunt. Docet id nos ex recondita populi huius ſapientia *Martianus Capella Lib. II p. 42*: * *Mox ſtudium in ſolarem laborare circulum, quippe ſeſcuplo fatigabat adſcenſum: qui tonus ac dimidius habebatur. Ibi quandam navim, totius naturæ curſibus diverſa cupiditate moderantem, cunctaque flammarum congeſtione pleniſſimam, & beatis circumactam mercibus, conſpicatur. Cui nautæ ſeptem germani tamen ſuique conſimiles præſidebant in prora. Felix forma depicta leonis in arbore, Crocodili in extimo, videbatur. In eadem vero rate fons quidam lucis æthereæ, arcanisque fluoribus manans, in totius mundi lumina fundebatur.* Symbolo hoc Ægyptios ſubindicare voluiſſe gubernationem mundi, per ſeptem Planetas procuratam, & per ſe confeſtim intelligitur, & teſtimoniis veterum plurimis confirmari poteſt, quæ diligenter collecta, & inter ſe comparata, videri poſſunt in præſtantiſſimi *Cuperi Harpocrate p. 14, 15.* Quis vero ſit fons lucis æthereæ, in totius mundi lumina fuſus, ex iis, quæ de *Phtha*, ſive *Vulcano*, Ægyptiorum obſervavimus, colligere ſatis licet. Eſt nempe *Vulcanus* ipſe, æther ſupremus, ignis ſubtiliſſimus & puriſſimus, luce perpetua & ſemper eadem immutabiliter fulgens, qui omnibus præeſt, omniaque regit, qui totum mundum permeat, animat, vivificat.

* *Spiri-*

* Secutus hic ſum editionem *Grotii*, etſi viri docti quædam in his refingenda eſſe putent. Vide *Cuperi Harpocratem p. 15.*

* *Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus*
Mens agitat molem, & toto ſe corpore miſcet.

De eo loqui voluit *Bitys*, Propheta Ægyptiorum vetus, qui, teſte *Jamblicho de Myſt. Ægypt. Sect. VIII Cap. 5*, tradit τὸ τῦ θεῦ ὄνομα τὸ διῆκον δ' ὅλυ τῦ κόσμυ, *nomen illud Dei, quod omnia pervadit, & totum mundum permeat.* Neque dubium eſſe poteſt, *Horapollinem* illud ipſum Numen deſignare, ubi *Hieroglyph. Lib I Cap. 64* ita ſcribit: Οὕτω παρ' ἀυτοῖς τῦ παντὸς κόσμυ τό διῆκον ἐςὶ πνεῦμα. *Sub tali Symbolo* Serpentis integri *deſignant etiam Spiritum illum, qui univerſum mundum permeat.* Et certe aderat in illa *Capellæ* navi ſymbolum *Vulcani* ſatis luculentum, imago Leonis in arbore. *Felix forma depicta leonis in arbore*, ubi, ſi Codices faverent, legere mallem: *Felici forma depicta leonis in arbore.* Felicem arborem illam prædicat *Capella*, eo quod formam depictam Leonis, adeoque ſymbolum *Vulcani*, Ægyptiis ſacroſanctum, geſtaret. Sic *Apuleius Metam. Lib. XI p. 262*: *Gerebat alius felici ſuo gremio ſummi Numinis venerandam effigiem.* Leonem vero ſymbolum Ægyptiis fuiſſe *Vulcani*, *Ælianus* in his teſtatur *de Animal. Lib. XII Cap. 7*: Διάπυρον δὲ ἐςὶ τὸ ζῶον ἰσχυρῶς· καὶ ἐντεῦθεν καὶ Ἡφαίςῳ ἀνῆψαν ἀυτὸ Αἰγύπτιοι. *Leones ſunt natura vehementer*

* *Virgil. Æn. VI, 726.*

menter ignita, *ideoque eos Ægyptii Vulcano conſecrarunt.*

II. Quia vero Sapientes Ægyptiorum, Spiritum æthereum divinum, credebant, ſe toti mundo miſcere, totum mundum permeare, totamque molem agitare, ex eo non poterat non ſequi, cuncta, quæ in mundo fiunt & ſunt, influxu Numinis potentiſſimi conſervari & vegetari, illudque rerum omnium, quæ exiſtunt, & quæ geruntur, cauſam eſſe. Neque eſt, quod dubitem, hanc eſſe eam ipſam doctrinam Prophetarum Ægypti, quam Inſcriptio illa Saitica, parietibus *Adyti* in honorem *Minervæ* inſculpta, de qua * alio loco plura dixi, egregie declaravit. Inſcriptionis oppido celebratæ hic eſt ſenſus: *Quæ ſunt, quæ erunt, quæque fuerunt, ego ſum. Tunicam meam nemo revelavit. Fructus, quem ego peperi, fuit Sol.* Cumque omnia, quæ hominibus eveniunt, ſoleant eſſe vel bona, quibus felicitatem ſuam promoveri exiſtimant, vel mala, quibus felicitatem ſuam minui, aut everti, aut intercipi, ſive impediri, credunt, eaque omnia Ægyptii ad Spiritum divinum, tanquam eventuum horum cauſam, retulerint, inde eſt, quod idem illud Numen, modo ut benignum, vel beneficum, modo vero ut iratum, & triſtium malorum ſibi obvenientium cauſam, menti ſuæ repræſentaverint, & ſub duplici hoc reſpectu, ut Numen duplex, diſtinctum & diverſum, duplici cognomine diverſo,

* Obſerv. *de Neitha* §. 8.

verſo, dupliciique cultu venerari atque placare æquum duxerint. Ad unam *Iſidem* Pſeudo-*Hermes* in Dialogo *Aſclepio* omnes hominum eventus, tum proſperos atque lætos, tum triſtes atque infauſtos, refert, prout nempe vel ira, vel benevolentia, in ipſos affecta, vel commota, eſſet. Verba eius, hæc ſunt *p. 99* edit. *Elmenhorſtii*: *Iſin — quam multa bona præſture propitiam, quantis obeſſe ſcimus iratam?* *Iſidem* enim nonnunquam totam rerum naturam deſignare, ex Theologia Ægyptiorum certum eſt atque exploratum. Sed, uti de *Iſide* id affirmat Pſeudo-*Hermes*, ita quoque idem de Diis reliquis certo ſuo ac ſano ſenſu prædicari poterat; per eos enim ſpiritus ſupremus eventus omnes procurare credebatur. Spiritus vero ille ipſe, quatenus hominibus bona decernit ac largitur, Ægyptiorum Theologis *Cneph* audit, vel *Cnuphis*, id eſt, *bonus*, eique oppoſita eſt *Tithrambo*, id eſt, *Numen iratum*, quod nempe homines, talia meritos, malis varii generis, tanquam iuſta pœna, afficiat. Ut fidem conciliemus dictis, hac quidem Obſervatione de Numine *Cneph* paulo curatius diſſeremus. Subſequetur hanc bono cum Deo alia de *Tithrambone*, Dea Ægyptiorum, Exercitatio.

III. *Cnephum* noſtrum ab Ægyptiis, ac ſigillatim Thebanis, religioſe inprimis cultum fuiſſe, docemur a *Plutarcho* in libro *de Iſ.*

& Oſir. pag. 359, ubi obſervat: εἰς τὰς * γραφὰς τῶν τιμωμένων ζώων, τὰς μὲν ἄλλας συντεταγμένα τελεῖν, μόνας δὲ μὴ διδόναι τὰς Θηβαΐδα κατοικοῦντας, ὡς θνητὸν θεὸν ὐδένα νομίζοντας, ἀλλὰ ὃν καλοῦσιν αὐτοὶ κνὴφ, ἀγέννητον ὄντα καὶ ἀθάνατον. *Alios quidem Ægyptios ad funera animalium ſacrorum, quæ religioſe coluntur, ſumtus conſtitutos conferre, ſolos vero Thebaidem incolentes, ſemet eximere, ut qui Deum nullum agnoſcant mortalem, ſed quem ipſi appellant Cneph, ortus expertem & immortalem.* Verba hæc *Plutarchi* aliquod examen merentur. Nam, quando in gratiam ** *Cleæ*, cui librum ſuum inſcripſit, credere nos iubet, Thebæos in Ægypto nullum animal, nihilque, quod mortale eſt, cultu religioſo dignari, ac præterea ad funera animalium ſacrorum nihil conferre voluiſſe, fruſtra utique eſt. Teſtatur namque

* Credo, *Plutarchum* ſcripſiſſe ταφάς, & ſic Latine reddidi. Simile mendum inſedit Codices *Diodori Siculi Lib. I p. 76* edit. *Wechelii*, ubi legitur: καθ᾽ ἡμᾶς δὲ τινες τῶν τὰ ζῶα ταῦτα τρεφόντων, εἰς τὰς τροφὰς αὐτῶν ὐκ ἔλαττον τῶν ἑκατὸν ταλάντων δεδαπανήκασι. Corrige εἰς τὰς ταφὰς, quod tum antecedentia, tum conſequentia, abunde confirmant, & verte: *Noſtra quoque memoria quidam animantium nutritores ad funera ipſorum non minus centum talentis profuderunt.*

** Vide Obſervat. *de Phtha, ſeu Vulcano Ægyptiorum*, §. *VI.*

que *Herodotus Lib. II Cap. 69*, Crocodilum ipſum, quod animal Ægyptiorum plurimi ceu impurum averſabantur, apud Thebæos tamen honores divinos conſecutum fuiſſe. Aquilam porro ab iisdem divinis honoribus fuiſſe cultam, literis prodiderunt *Diodorus Lib. I p. 78* ed. *Wech.* & *Strabo Lib. XVII p. 559* edit. primæ *Caſaub.* Ovem vero, vel arietem, eoſdem in honorem *Ammonis* divino cultu venerari conſueviſſe, oppido notum eſt. Et forte a vero non ita longe aberraſſe videbor, ſi dixero, illum ipſum *Cnephum*, cuius cultum *Plutarchus* cultui animalium opponit, a Thebæis non aliter, quam ſub animalis ſpecie, cultum fuiſſe. Coniecturæ huius fundus atque auctor mihi exſtitit *Herodotus Lib. II Cap. 74*, in hæc verba ſcribens: *Circa Thebas ſunt ſacri ſerpentes, nihil omnino hominibus noxii, puſillo corpore, binis præditi cornibus, e ſummo vertice enatis: quos defunctos in Jovis æde ſepeliunt.* En! ſerpentes ſacros Thebis cultos, & poſt mortem religioſo ſolennique ritu conditos, & ſepulturæ honorificae mandatos. Et vero, Ægyptios *Cnephum* ſuum vix alio, quam ſerpentis, ſymbolo repræſentaſſe, ſequentia manifeſtum facient. Quicquid vero ſit, *Plutarchus* nobis Numinis huius a Thebæis religioſe culti nomen, *Cneph* videlicet, literis conſignavit, & de cultu eius quædam ſcitu digna memoriæ prodidit, quo nomine grates ipſi merito debentur. Quænam autem ſit nominis huius *Cneph* vera ſignifica-

tio, diſcimus ex *Sanchuniathone*, vel potius *Philone Byblio*, vero auctore hiſtoriæ Phœnicum, ex qua *Euſebius* iſta decerpſit *Præpar. Evang. Lib. I Cap. X p. 41*: Φοίνικες αὐτὸ ἀγαθὸν δαίμονα καλοῦσιν. ὁμοίως δὲ καὶ Αἰγύπτιοι κνὴφ ἐπονομάζουσι. *Phœnices animal illud* (ſerpentem) *Agathodæmonem, vel bonum Genium, appellant*, ac *ſimiliter Ægyptii, nomen ipſi indentes Cneph*. Et interiectis quibuſdam: τὸν δὲ μέσον ὄφιν συνεκτικὸν τοῦτον (lege τοῦτου, nempe κύκλου,) ἀγαθὸν δαίμονα σημαίνοντες. *Serpens vero, in medio poſitus circuli, qui utrasque extremitates contingit*, Ægyptiis *deſignat Agathodæmonem, id eſt, bonum Genium*. Idem porro *Lib. III Cap. XI p. 115* & hæc memoriæ prodidit: *Opificem, quem Ægyptii Cneph appellare ſolent, humana ſpecie configurarunt*. Quæ tamen, non nego, Theologiam Ægyptiorum novis quibusdam Græcorum additamentis interpolatam ſapere. *Straboni* Numen illud idem, quod dudum iam animadverterunt viri eruditi, &, me iudice, rectius audit *Cnuphis*. Ait enim *Lib. XVII p. 562*, Elephantinen, inſulam in finibus Ægypti & Æthiopiæ in Nilo ſitam, inſignem eſſe templo *Cnuphis*, ἔχουσα ἱερὸν Κνούφιδος. Et de hoc *Cnuphi*, vel *Cnuphide*, videtur locutus eſſe *Plutarchus* in loco ſupra citato. Hoc ipſo modo *Cnuphis* nempe nomen illud ſcriptum quoque legitur in gemmis quibuſdam Gnoſticorum Abraxeis, quæ in Collectione *Chifletiana*, & in *Theſauro Montefalconii*, ut & alibi, exſtant.

IV. Iam

IV. Iam nobis nomen hoc, non ſine aliquo certitudinis ſenſu, ex lingua priſcorum Ægyptiorum interpretari licebit. Tentavit rem hanc Vir ſummus quondam, cui ſtudium linguæ illius plus debet, quam dici poteſt, *Mat. Veyſſiere La Croze*, cuius hæc in *Theſauro Epiſtolico Tom. III p. 162* verba exſtant: *Supereſt vox* שַׁדַּי, *cuius vim ſervat vox* ⲔⲚⲎϤ, *a* ⲔⲎⲚ, *ſufficit, addito affixo, cum metatheſi neceſſaria in eiusmodi vocibus, quemadmodum in* ϨⲰⲦⲂⲈϤ, *&* ⲤⲰⲐⲘⲈϤ, *pro* ϨⲰⲦⲈⲂϤ *&* ⲤⲰⲦⲈⲘϤ. *Radicem quidem illius nominis divini verſio Ægyptiaca pluribus in locis ſervavit, repudiato ipſo nomine, ob ſymbolum ſuperſtitionis Ægyptiacæ, quæ ſerpentis figura picta, unum Deum æternum, & ſibi ſufficientem, venerationi plebis exponebat. Id nemo melius illuſtrat, quam Euſebius, Præparationis Evangelicæ loco,* * *quem modo indicare non poſſum; verba tamen quædam huc adſcribam, quorum memini, tu velim in locum ipſum inquiras* &c. Ὁ δράκων ἐπειδὴ τὸ μέτρον αὐτῷ ὡρισμένον πληρώσῃ, εἰς ἑαυτὸν ἀναλίσκεται. &c. * * *ubi vox* ⲔⲚⲎϤ *in ſenſu a me*

 prolato

* Vide *Lib. I Cap. X pag. 41.*

* * Ad hanc interpretationem doctiſſimi Viri videntur ſpectare hæc *Macrobii Saturn. Lib. I Cap. 9: Phœnices in ſacris, imaginem eius exprimentes, draconem finxerunt, in orbem redactum, caudamque ſuam devorantem, ut appareat, Mundum & ex ſe ipſo, & in ſe, revolvi.*

prolato ita illuſtratur, ut de eo dubitari non poſſit. Nolui ſilentio involvere interpretationem viri in literis his profecto principis, quem vivum colui, cuiusque mortui memoriam in pretio habebo ſemper, præſertim cum eam ita certam iudicaverit, ut dubitari de ea non poſſit. Verum vir ille præſtantiſſimus, quod eruditis omnibus uſu nonnunquam venire ſolet, dum illa ſcripſit, quæ attuli, cogitationibus propriis, quæ non ſine aliqua veroſimilitudinis ſpecie ſe ipſi obtulerunt, nimis tenaciter inhæſit, animum non advertens ad facilem vocis illius interpretationem, quam *Philo Byblius*, & ex eo *Euſebius*, nobis ſuggerunt, neque in conſilium adhibens lectionem & ſcriptionem vocis eiusdem longe meliorem, quam *Strabo* & Gemmæ Gnoſticorum ſervant, apud quos κνῆφις occurrere dixi §. *III.* Felicius igitur in nomine hoc interpretando verſatus eſt Vir eruditiſſimus & clariſſimus, *Jacobus Kocherus*, Bernenſis, cuius de argumento hoc Exercitatio, doctis obſervationibus referta, inſerta eſt *Miſcellaneis Obſervationibus criticis novis*, Amſtelaedami editis, *Tom. II pag. 129* &c. Occupavit Vir ille egregie eruditus non pauca, quæ mihi dicenda hic erant, & quæ prætermittere etiam non poſſum, ut, quod mihi pertractandum ſumſi, re ipſa exequar, me ſane non invito. Ille enim in rei ſumma conſenſus noſter, quo effectum eſt, ut, veluti conſpiratione inter nos facta, in easdem cogitationes & obſervationes incideremus,

mus, indicio eſſe poteſt lectori cordato, nos a ſcopo non aberraſſe, ſed, quod aiunt, rem acu tetigiſſe. Verum diſtinctius iſta explicare nunc aggredior.

V. Teſtantur itaque *Philo Byblius* & *Euſebius*, adducti §. *III*, Phœnices ſerpentem appellare *Agathodæmonem*, vel *bonum genium*, idemque facere Ægyptios, dum ſerpentem, vel draconem, ſuum hieroglyphicum *Cneph* nuncupent. Significant nempe Scriptores hi, *Cneph* Ægyptiis dici *Agathodæmonem*, & illius ſymbolum eſſe ſerpentem. Id ipſum teſtimoniis aliorum quoque confirmari poteſt. Apud *Plutarchum* in *Amatorio pag.* 755 tale quid relatum legimus: Ἐν Αἰγύπτῳ ποτὲ γείτονας ἑώρων δύο διαμφισβητοῦντας, ὄφεως προσερπύσαντος εἰς τὴν ὁδὸν ἀμφοτέρων μὲν ἀγαθὸν δαίμονα καλούντων, ἑκατέρα δ᾽ ἔχειν ἀξιοῦντος, ὡς ἴδιον. *In Ægypto aliquando vidi vicinos duos litigantes, quorum uterque, cum ſerpens adrepſiſſet, eum Agathodæmonem, ſeu bonum Genium, vocaret, eumque ſibi vindicare cuperet.* De *Heliogabolo Lampridius* commemorat in *Vita* eius *Cap.* 28: *Ægyptios dracunculos Romæ habuit, quos illi Agathodæmonas vocant.* Et ex Ægypto perſuaſio illa, ſub ſpecie ſerpentis ſæpe latere, hominibusque ſe conſpiciendum præbere, bonum Genium, ad Græcos, Romanos, & pleraſque alias gentes, tranſiit, quod exemplis atque teſtimoniis, ex hiſtoria petitis, plurimis doceri poſſet, niſi res eſſet eruditis ſic ſatis nota. *Servius* ad illa *Virgilii Georg III*, 416:

Sæpe ſub immotis præſepibus aut mala tactu
Vipera delituit, cœlumque exterrita fugit:
Aut tecto aſſuetus coluber ſuccedere &c.

hæc notat. *Gaudet tectis, ut ſunt ἀγαθοὶ δαίμονες, quos Latini genios vocant.* Nummi quoque, in Ægypto cuſi, *Cnephum*, ſive ſerpentem, præferunt, cum inſcriptione, ἀγαθοῦ δαίμονος. Talis eſt ille *Neronis*, quem apud *Spanhemium de Præſtantia Numiſmatum pag. 188* (edit. Amſt. in 4), & in eiusdem Annotationibus Gallilicis ad *Juliani Cæſares pag. 208*, apud *Baudelotium de utilitate peregrinationum Tom. I pag. 221*, & alibi, citatum atque relatum videas. In eo enim draco coronatus cernitur, cum hac inſcriptione: Νέος ἀγαθὸς δαίμων, *Bonus Genius junior*, vel *novus*. Et gemmæ Gnoſticorum, in quibus κνοῦφις legitur, ſerpentem etiam, ſive Agathodaemonem, ſub quo Chriſtum Dominum intelligunt, ſemper oculis noſtris obiiciunt. Eſt igitur citra controverſiam κνὴφ, vel κνοῦφις, ἀγαθὸς δαίμων, *bonus Genius*, hominibus benignus atque beneficus. Qui linguæ Ægyptiæ aliquam ſibi ſcientiam compararunt, id, quod dixi, ex ipſa voce κνοῦφις perquam facile illuſtrare poſſunt. Etenim lingua illa ⲚⲞⲨϤⲒ, *Nuphi*, vel *Enuphi*, vel, uti Copti hodie pronuntiant, *Anuphi*, dicitur *bonus*. Literam vero ϫ ſæpius vicem articuli præpoſitivi ſuſtinere,* alias

* Vide *la Chronologie de Mr. des Vignoles T. II p. 748.*

alias jam ex Coptorum libris obſervavi. Eſt igitur ⲬⲚⲞⲨϤⲒ, *Chnuphi*, ὁ ἀγαθὸς, *bonus*, quaſi diceres bonum per excellentiam. Ita etiam vocem hanc explicat *Jacobus Kocherus*. Græci hoc ſoliti ſunt lingua ſua efferre κνῆφις, *Cnuphis*, &, contracta adhuc magis pronuntiatione κνὴφ, *Cneph*. Et hactenus quidem bene. Sed obſervatu tamen indignum non eſt, veteres nomen *Cneph*, vel *Cnuphis*, non tantum exponere *bonum*, verum & *bonum genium*, ἀγαθὸν δαίμονα, quod proinde non omnino negligendum eſſe putaverim. Dicitur vero lingua Ægyptiorum Δαίμων, *Genius*, vel proprie *Spiritus naturæ divinæ*, ⲒϨ, *Ich*. In Verſione *Pſalmorum*, quæ manu exarata exſtat in Bibliotheca regia Berolinenſi, *Pſ. XCI*, 6, ubi Græcus habet δαιμόνιον μεσημβρινὸν, *dæmon*, vel *Genius, meridiei*, Coptus verba hæc reddidit ⲞⲨⲒϨ ⲚⲦⲈ ϨⲀⲚⲀⲘⲈⲢⲒ. Vide & *Matth. VIII*, 31, *Apoc. XVI*, 14, *XVIII*, 2. Ceterum, quoniam a ſcriptoribus ſacris N. Teſtamenti, ſicuti & a Græcis interpretibus Veteris, vox δαίμων & δαιμόνιον non alio, quam malo, ſenſu accipitur, in verſione Coptica vox Græca fere ſemper retinetur, præſertim quando daemon, vel dæmonium, aperte ſumitur pro ſpiritu malo, impuro, Deoque opponitur. Ubi vero vox illa, ex uſu communi Græcorum aut ſpiritum, ſive genium, generatim, aut etiam Numen, ſive verum, ſive imaginarium & fictum, ſignificare

 poteſt,

poteſt, Copti adhibent vocem ⲓϧ, quae in ipſorum ſermone bonam ſolet habère ſignificationem. Ex eo illuſtrari & explicari poteſt nomen Dei alicuius Ægyptiacum, quod apud *Iamblichum* legitur *de Myſter. Sect. VIII Cap. III*, Ἐικτὼν, *Icton.* Numinis huius eſſentiam, veramque rationem, Auctor ille ex præceptis metaphyſicis Philoſophiæ ſuæ exponit, quæ apud ipſum legi malim. Si vero linguam Ægyptiam in conſilium advocemus, Ἐικτὼν erit ⲓϧⲑⲟ, *Ich-tho*, id eſt, *Dæmon*, *Deus*, *Spiritus huius noſtri mundi.* Nam NO Ægyptiis ſignificat *mundum*, vel οἰκεμένην, *orbem terrarum*, uti *Apoc. III, 10*, ubi verba hæc Græca, ἐπὶ τῆς οἰκεμένης, Coptus interpres ita reddidit: ⲈϪⲈⲚ ⲠⲒ-ⲐⲞ. Eſt ſine dubio *Ichton* Iamblichi *ſpiritus* ille, *qui univerſum hoc permeat* & movet, quippe qui, teſte *Horapolline*, ſupra §. *I* citato, ab Ægyptiis ſub ſymbolo ſerpentis colebatur, unde colligere pronum eſt, eum a *Cnepho* noſtro non differre. ⲐⲞ equidem in loco *Apoc. III, 10*, deſignat tantum *orbem terrarum.* Sed, quia vox illa vi originis ſuæ innuit rem vaſtam, & magnitudinis immenſæ, tam totum hoc univerſum, quam ſpeciatim orbem terrarum, ſignificare potuit, non ſecus atque Græcis κόσμος, & Latinis *mundus*, utrumque pariter deſignavit. Unum itaque idemque Numen ab immenſa potentia dictum fuiſſe credo ⲓϧⲑⲟ, *ſpiritum*

ſpiritum totius univerſi, & ab ingenti bonitate ⲥ̀ϧⲛⲟⲩϥⲓ, *Spiritum*, vel *Deum*, vel *Dæmonem bonum*. Ceterum, cum in hiſtoria reperiantur plurima Ægyptiorum nomina propria, quæ ad *Gnephi*, vel *Cnuphidis*, nomen manifeſte alludunt, illudque referunt, quod Clariſſimus *Kocherus* minime prætermiſit; apud *Diogenem Laertium Lib. VIII* §. *90* invenio ſacerdotem Memphiticum, nomine ἰχόνουφιν, quod explicationi meæ ex aſſe reſpondet. Etenim ἰχόνουφι;, nulla plane immutata litera, eſt ⲥ̀ϧⲛⲟⲩϥⲓ, *Ichnuphi*, *Dæmon bonus*. Quod vero Græci, in exprimendo hoc nomine, literam primam I plerumque omiſerint, pronuntiationi, quam noſtri homines iudicabunt vitioſam, ſed quæ paulatim invaluiſſe videtur, utique tribuendum eſt. Talia in omnibus linguis, præſertim a peregrinis pronuntiata, deprehendet facile, qui paulo attentius in huiusmodi etymologias inquirere operæ pretium duxerit.

VI. Supereſt nunc, ut ex bonis & genuinis veterum monumentis eruamus atque exponamus, quidnam Ægyptiorum Philoſophi & Theologi per *Cnuphin* ſuum, vel *Agathodæmonem*, vere intellexerint, & deſignare voluerint. Ea de re ſententiam meam ſupra iam §. *II* paucis declaravi, quam argumentis idoneis, ut opinor, hic iam adſtruam. *Cnuphin* nempe Ægyptiorum Theologi appellabant Spiritum æternum, Cœlo & toti Univerſo præſidentem,

cuius

cuius voluntas & decretum cauſa eſt omnium, quæ exiſtunt & geruntur, quique per Solem, Lunam, aliaque, cum cœleſtia, tum terreſtria corpora, eventus procurat omnes; ſed quatenus eventus illi hominibus apparent ſuntque boni, læti, iucundi, & modis omnibus auſpicati, aut quatenus per illos ſpiritus æternus hominibus ex amore & benevolentia bene facit. Hoc eſſe attributum ſolius æterni & perfectiſſimi Dei, docet nos Servator *Matth. XIX, 17: Nemo eſt bonus, niſi unus Deus.* Neque alia fuit ſententia hominum ſapientium inter gentes cultiores quaſcunque. Memorabilis hanc in rem eſt obſervatio *Pauſaniæ*; ſcriptoris cultiſſimi, in *Arcadicis pag. 673* ed. *Kühnii*: *Ad eius viæ lævam ædes eſt boni Dei* (ἀγαθȣ̃ θεȣ̃, vel, quod idem eſt, ἀγαθȣ̃ δαίμονος). *Quod ſi iam Dii hominibus bonorum auctores ſunt, Deorum vero ſupremus eſt Jupiter, recte quidem, hoc Jovis maxime proprium cognomen eſſe, conjicere poſſis.* Ideoque apud Romanos nomen *Jovis* veluti proprium & peculiare erat *Optimus.* Ad eum *Cicero* ſic *Orationem pro domo ſua* convertit *Cap. 57: Te, Capitoline, quem propter beneficia P. R. Optimum, propter vim maximum, nominavit.* Eiusdem hæc eſt præclara in rem eandem ſententia *de Nat. Deor. Lib. II Cap. 25:* Iupiter *a maioribus noſtris* dictus eſt *optimus maximus, & quidem ante optimus, id eſt, beneficentiſſimus, quam maximus, quia maius eſt, certeque gratius, prodeſſe omnibus, quam opes magnas habere.* Ma-

gnus

gnus divinusque *Plato* in *Protagora pag.* 296 edit. Græc. Baſil. negat, *bonum eſſe* recte & vere dici poſſe de hominibus, ἀλλὰ θεὸς ἂν μόνος τοῦτο ἔχοι τὸ γέρας. *Soli Deo honor hic eſt proprius.* Neque omittendum, quod *Macrobius* docet *in Somnium Scip. Lib. I Cap.* 2: *Summum & principem omnium Deum apud Græcos* τ᾽ ἀγαθὸν, *&* πρῶτον αἴτιον, *nuncupari.* Quæ omnia Græcos ab Ægyptiis didiciſſe, horum de *Cnuphi* & *Vulcano* ſuo doctrina argumento eſt. De *Cnuphi* hæc erat ipſorum, teſte *Plutarcho*, doctrina, eſſe eum ἀγέννητον καὶ ἀθάνατον, *ortus expertem & immortalem*, principio & fine carentem, ſive æternum. Vide §. *III*. Quod tantum de mente æterna, rerumque omnium cauſa efficiente, prædicari poſſe, quilibet videt. Præterea, *Cnuphin* hunc eundem, quem ſymbolo ſerpentis deſignare ſolebant Ægyptii, ex eorum mente & doctrina, eſſe ſpiritum totius Univerſi, qui cuncta permeat, vivificat, & movet, ex iis, quæ §. *I* & *V* diſputavimus, indiciis non obſcuris pateſcit. Uno verbo *Cnuphis* non eſt alius, quam ipſe *Vulcanus*, quatenus hic eſt bonorum omnium, quibus fruuntur homines, auctor atque cauſa. Hanc enim Numinis æterni virtutem adorandam in *Cnuphi* ſuo tantum ſpectabant venerabanturque Ægyptii.

VII. Apud cultores Philoſophiæ *Pythagoricæ* & *Platonicæ* recentiores, *Jamblichum*, *Damaſcium*, ſimileſque alios, viros ſubtilitatibus Metaphyſicæ ſuæ unice inhiantes, & ingenii ſui figmenta

menta pro genuinis veterum Ægyptiorum dogmatibus continuo venditantes, paſſim quaedam de *Cnepho* reperias, quæ etſi dogmata Ægyptiorum priſca nobis non referant ſincera ac illibata, aliquid tamen ad ea illuſtranda conferunt. Scribit itaque *Iamblichus de Myſter. Sect. VIII Cap. 3*: Hermes *ſecundum alium ordinem Deum Emeth tanquam ducem Diis cœleſtibus præponit.* In Græco, loco *Emeth* legitur Ἠμὴφ, eamque eſſe conſtantem Codicum omnium lectionem, in notis ad illum locum teſtatur *Thomas Galeus*, qui tamen judicat, *Iamblichum* ſcripſiſſe Κνὴφ. Et res ipſa ſatis unumquemque docet, de eo Numine loqui *Iamblichum*, quod ſolet, & rectius quidem, appellari *Cneph*, vel *Cnuphis*. Pergit *Iamblichus*: *Ante hunc* (Emeth, vel Cneph,) Hermes *ponit unum impartibile* (τὸ ἓν ἀμερὲς,) *quod etiam primam effigiem appellat & Eicton.* Hæc ſunt ſomnia recentiorum Pythagoræorum & Platonicorum metaphyſica, vetuſtis Ægyptiis prorſus incognita. *Cneph* & *Eicton* ſunt nomina duo, unum idemque Numen deſignantia, quæ diſtincta tantum illius attributa explicant. Vide §. *V*. Deinde his addit *Amun*, & *Phthan*, quorum poſterior *Phthas*, ſive *Vulcanus*, ſolo tantum nomine etiam a *Cneph* & *Eicton* differt. Ex tribus nominibus ejusdem Numinis, Græci recentiores, qui arcanam veterum Ægyptiorum doctrinam aſſecuti non ſunt, tria confinxerunt diverſa Numina. Huiusmodi duces, minime tutos ac fideles, ſe-

cutus

cutus quoque eſt *Euſebius Præparat. Lib. III Cap. XI pag. 115: Ægyptii opificem, vel creatorem, quem Cneph appellant, humana ſpecie configurarunt, colore cæruleo, eoque nigricante, cingulum, aut ſceptrum, manu tenentem. — — Hunc porro Deum ovum ex ore effudiſſe narrant, ex eoque ſatum eſſe alium Deum, qui ab iis Phtha, Vulcanus a Græcis, nominatur. Ovum autem illud Mundum interpretantur, eique Numini ovem conſecrarunt.* Doctrinam Ægyptiorum veram & antiquam in his nobis non caſtigate tradi, vel id ſatis teſtatur, quod, cum Ægyptii *Cnephum* ſymbolo ſerpentis deſignaverint, quod toties vidimus, hic tamen Numini eidem ſpecies humana affingatur, quod ſane cum notionibus Græcorum longe melius congruit, originemque ſuam prodit. *Euſebius* igitur hic nobis repræſentavit doctrinam *Orphicam*, qualis a *Pythagoræis* interpolata, & ad notiones Philoſophiæ ſuæ attemperata, edita erat. Satis nota eruditis eſt fabula ovi *Orphici*, quæ hic tangitur, & de qua conſuli poſſunt *Thomas Burnetius* in *Theoria Telluris ſacra Lib. II Cap. 10*, & *Eſchenbachius* in *Epigene Orphico pag. 63, 64*, &c. itemque *pag. 112, 113*, &c. Ipſius *Orphei* doctrina ſimplex, & vel eo nomine genuina ac antiqua, quam retuli in Obſervatione *de Phtha Aegyptiorum, vel Vulcano*, §. *V* & *VIII*, fert, unum tantum fuiſſe creatorem opificem, ovo primo quidem incluſum, ſed qui deinde ovum ſucceſſive diſpoſuit, &, quia in ſe habuit ratio-

nes

nes naturae rerum omnium, ex ovo illo omnia produxit. Genuina haec Poetae Philoſophi doctrina, ab additamentis Philoſophorum Græcorum adhuc libera, a Sacerdotibus Ægyptiis haud dubie petita eſt. Illi igitur unum tantum agnoverunt Opificem Creatorem, quem *Euſebius*, *Iamblichus*, *Hermes* ſuppoſititius, aliique, appellant *Cneph.* Ægyptii communius eundem *Phthan* nuncuparunt, etſi is ipſe quoque, ut prolixe jam oſtendimus, propter bonitatem & beneficentiam, ab ipſis *Cneph* dictus fuerit.

VIII. Magnopere autem vereor, ne illi ipſi Philoſophi Græci, qui ex *Phtha* & *Cnepho*, duobus unius Dei nominibus, duo diſtincta Numina exſculpſerunt, etiam ultimum hoc *Cnephi* nomen cum alio *Vulcani* Ægyptiorum cognomine, aut epitheto, *Camephi*, ſibi plane non intellecto, ſæpe confuderint. Non de nihilo eſt, quod *Galeus* ad *Iamblichi Sect. VIII Cap. 3* obſervat, Numen illud, de quo ibi *Iamblichus* loquitur, & quod antiquiores aut *Cneph*, aut *Cnuphin*, vocant, hoc tamen loco in omnibus Codicibus ſcribi Ἡμὴφ, quod jam §. *VII* tetigimus. *Iamblichus* illic profitetur, ſe ſua deſumſiſſe ex ſcriptis *Hermeticis*. Et exſtat Pſeudo-*Hermetis* hujus Fragmentum aliquod in *Ioannis Stobæi* Eclogis phyſicis, in quo *Iſis*, orationem ad *Horum* filium convertens, *p. 120*, mentionem facit Καμήφεως, προπάτορος ἡμῖν πάντων προγενεστέρου (ſic enim ibi legendum), *Camephis progenitoris omniumque primi & antiquiſſimi*, quod

quod Aegyptios de *Vulcano* ſuo affirmare ſolitos fuiſſe, Obſervatio mea de illo Numine §. X docere poterit. Auctor itaque hujus Fragmenti, quem Gnoſticorum deliriis imbutum fuiſſe, indicio non uno deprehendi, *Camephi* ea tribuit, quæ veteres Aegyptios *Vulcano* ſuo tribuere noverat. Ita porro nomen idem ſcriptum legitur in illo *Damaſcii* περὶ ἀρχῶν Fragmento, quod *J. C. Wolfius Anecdotorum Tomo III* edidit. Verum Auctor iſte ex monumentis profecto lutulentis *p. 261* commemorat τὸν πρῶτον Κάμηφιν εἶτα τὸν δεύτερον ἀπὸ τȣ́τȣ, εἶτα καὶ ἀπὸ τȣ́τȣ τὸν τρίτον. *Primum Camephim, poſtea ab hoc ſecundum, & ab iſto tertium.* Poſtea hæc addit: Ὁ δὲ νεώτερος Ἡραΐσκος τὸν τρίτον ὀνομασθέντα Κάμηφιν ἀπὸ τȣ̃ πατρὸς καὶ τȣ̃ Πάππȣ, τὸν ἥλιον εἶναί φησιν. *Heraiſcus junior tertium, qui ſic nominatus eſt, Camephin, a patre nempe & avo, ait eſſe Solem.* Illa trium Numinum, quæ ſingula *Camephis* nomen geſſerint, inepta diſtinctio inſcitiæ Philoſophorum Neo-*Pythagoræorum* & *Platonicorum* debetur, qui, linguæ Ægyptiacæ ignari, nomina Deorum Ægyptiorum propria ab eorumdem cognominibus & epithetis diſcernere non didicerant, & qui nullum ex omnibus Deorum horum nominibus Ægyptiacis recte interpretari noverant. Καμηφὶς ego nec pro nomine proprio, nec pro cognomine Dei cujuſpiam Ægyptiorum, habeo, ſed pro epitheto tantum, quod aliquo ſenſu *Vulcano* erat proprium; ſed aliis tamen quoque Numinibus ab

Ægyptiis recte tribui potuit. Præſtantiſſimus quondam, nunc beatus, *La Crozius*, cum aliquando in literis, ad me datis, Fragmentum *Damaſcii* illud, quod hic attuli, ſed nondum illo tempore editum, deſcripſiſſet, hæc ibi illuſtrationis ergo addidit, quæ leguntur in *Theſauro Epiſtolico Tom. III pag. 163: Iam, qui ſint illi* Καμηφὶς, *tibi inveſtigandum trado. An non forte hic intelligi poterunt Dii Ægyptii protectores, quaſi* ⲬⲎⲘⲒ ϤⲒ? Ϥⲓ *enim pro* τηρεῖν (conſervare, cuſtodire,) *uſurpatur apud Matth. IX, 17.* ⲬⲎⲘⲒ *Ægyptum ſignificat.* Alia, quæ in illuſtranda eadem voce verſantur, ſed ad meum negotium non ſpectant, apud ipſum Auctorem legi poſſunt. Ego obſervationem hanc viri docti non modo elegantem & ingenioſam, ſed & veram, iudico. Ægyptii ſermone ſuo patrio regionem ſuam ſemper, etiam in Verſione Vet. & Novi Teſtamenti, appellant ⲬⲎⲘⲒ, *Chemi*, vel, uti Copti pronuntiare etiam ſolent, *Chami*. In dialecto Thebaidis, vel Ægypti ſuperioris, vox hæc ſcribitur ⲔⲎⲘⲈ, (*Kame*, vel *Keme*,) uti in Actis Apoſtolicis, in dialectum hanc converſis, quæ in Bibliotheca *Bodlejana* Oxonienſi ſervantur, *Cap. II, v. 10, 11, 12*, quæ ſcriptio ad nomen Καμηφὶς quam proxime accedit. Cumque Ϥⲓ Ægyptiorum ſermone dicatur *cuſtodire*, *conſervare*, patet, Καμηφὶς, vel Ægyptiorum literis ſcriptum ⲔⲎⲘⲈϤⲒ (*Kamephi*)

phi) nihil aliud ſonare, quam *Ægypti cuſtodem.* Dixi, hoc epitheton eſſe aliquo modo, & certo ſenſu, *Vulcano* Ægyptiorum proprium, cujus rei teſtem dabo *Ciceronem*, qui *Lib. III de Nat. Deor. Cap.* 22, *ſecundus* Vulcanus, inquit, * *Phthas, ut Ægyptii appellant, quem Cuſtodem Ægypti volunt.* En igitur *Vulcanum cuſtodem Ægypti*, quod Ægyptiorum ſermone dicitur Καμηφίς. Facile tamen largior, nomine eodem recte ab Ægyptiis compellari etiam potuiſſe *Minervam, Solem, Lunam, Nilum*, & quotquot de patria ſua bene meritos credebant Deos. Satis mihi eſt, probaſſe, quod proprie & præcipue honore hoc nomineque *Vulcanum* ſuum dignari voluerint Ægyptii. Et certe, ea, quæ de *Camephibus Damaſcius* literis prodidit, etiam ad *Vulcanum* ſpectare, vel hinc intelligi poteſt, quod unus ex his pater Solis perhibeatur. Relege modo locum allatum. Id vero de *Vulcano* ſuo tradidiſſe Ægyptios, oſtendi in Obſervatione *de Phtha* §. X. Ex his omnibus non obſcure colligitur, Philoſophos, de quibus loquor, *Cnephi* nomen cum illo *Camephis* confundere ſolitos fuiſſe, & hanc, niſi modo utrumque, contra rei veritatem, a *Vulcano* Ægyptiorum diſtinxiſſe, cum tamen *Cneph* fuerit Numinis illius cognomen, quo ſolenniter colebatur, *Camephis* vero epitheton, quo eundem Ægyptii veteres ornare conſueverant.

 IX.

* Ita hic legendum eſſe, viri docti jam dudum monuerunt.

IX. Satis nunc liquere arbitror, veteres Ægyptiorum Sapientes in *Cnephe*, vel *Cnuphi*, immenſam bonitatem Dei venerari voluiſſe, vel, quod eodem redit, ſpiritum ipſum æternum ac infinitum, quatenus ſe hominibus bonum, benignum, beneficum, oſtendit. Ceterum, quando Niligenæ magnitudinem divinæ erga ſe bonitatis, & beneficentiæ, ex fertilitate, quam Nilus exundans, & in agros Ægypti ſe effundens, toti illi regioni afferebat, potiſſimum æſtimare ac quodammodo metiri ſemper ſolebant, mirum nemini videri poteſt, quod illi ſucceſſu temporis nomen hoc *Cnuphis*, id eſt, *boni Dei*, vel *boni Genii*, etiam Nilo, aut ſymbolis, fertilitatem ejus adumbrantibus, pariter indiderint. Quod ad Nilum attinet, teſtem habemus *Ptolemæum*, qui *Geograph. Lib. IV Cap. V* in hæc verba ſcribit: Μέγα Δέλτα καλεῖται, καθὸ ἐκτρέπεται ὁ μέγας ποταμὸς, καλȣμενος ἀγαθὸς δαίμων. *Magnum Delta vocatur id, juxta quod divertitur magnus fluvius, dictus Agathodæmon.* Ægyptiis itaque Nilus aut univerſus, aut ille ejus alveus, qui intra Memphim ad lævam decurrens, per Oſtium Heracleoticum ſe mari miſcebat, dici etiam conſueverat * ἀγαθὸς δαίμων,

* Etiam apud *Manethonem* in Dynaſtia, vel regno, Deorum fit mentio ἀγαθȣ δαίμονος. Sed, quis ille ſit, pluribus disquirere, vix operae pretium eſſe duxi. Adeo illic pleraque a genio vero Theologiae Aegyptiacae aliena ſunt. Sed rei hujus culpa poteſt eſſe penes interpretem Graecum, qui miram confuſionem induxit.

μων, Ægyptiace ϪⲚⲞⲨϤⲒ, vel ϢⲚⲞⲨϤⲒ, *Chnuphis*. Idem illud nomen ſuperſtitio Ægyptiorum imponebat etiam tauris quibusdam ſacratis, qui tanquam ſymbola Nili adſcendentis, & fertilitatem terræ inducentis, paſſim in Ægypto colebantur. Teſtatur id luculenter *Ælianus de Anim. Lib. XII Cap. XI: Colunt & nigrum taurum Ægyptii, quem Onuphim vocitant. Loci nomen ubi nutritur, Ægyptii referant: ego propter aſperitatem omitto.* En! taurum ſacrum Ægyptiis dictum *Onuphim*, id eſt, ⲚⲞⲨϤⲒ (*Enuphi*, vel *Anuphi*,) *bonum*, quæ obſervatio Clariſſimum *Kocherum* non fugit. Locum, ubi is enutriebatur, cujusque nomen pronuntiatu valde aſperum videbatur *Æliano*, ego auguror, fuiſſe *Hermonthin*, vel *Hermunthin*, urbem Thebaidis, cui hodie nomen eſt *Arment*. De hac enim urbe *Strabo* commemorat *p. 561. Hic & bos nutritur*, quemadmodum de *Onuphi* ſuo *Ælianus* loquitur. Mentio ejusdem apud *Macrobium Saturn. Lib. I Cap. XXI p. 212: In oppido Hermunthi, magnifico Apollinis templo, conſecratum Soli colunt Taurum, Pacin cognominantes.* Erat, cum pro *Pacin* legendum cenſerem *Pabacin*. ⲠⲀⲂⲀⲔⲒ, *Pabaci* Græcis eſſet πολιεὺς, vel πολιοῦχος, id eſt, *Deus, in cujus tutela urbs cenſetur.* Verum, ubi *Macrobii* verba cum *Æliano* confero, dubitare amplius non poſſum, quin *Macrobius* ſcripſerit *Onuphin*, quam vocem, ſibi plane non intellectam, librarii poſtea cor-

ruperunt. De *Tauro Hermanthite* refert hoc *Macrobius loc. cit.*: *Inſignis eſt miraculis, convenientibus naturæ Solis. Nam & per ſingulas horas mutare colores affirmatur, & hirſutus ſetis dicitur in adverſum naſcentibus, contra naturam omnium animalium, unde habetur veluti imago ſolis, in diverſam* (legendum videtur *adverſam*) *mundi partem nitentis.* Et id eſt, quod in *Onuphi* ſuo miratur, *Ælianus.* Ἀντίαι αὐτῷ τρίχες ἤπερ ἢ τοῖς ἄλλοις εἰσίν. *Pili in eo contra quam in aliis vertuntur.* Talia tamen, ne quid diſſimulem, de *Mnevi* etiam, tauro Heliopoli conſecrato, narrat *Euſebius. Præparat. Lib. III Cap. XI init.*

X. Et hunc ipſum Heliopolitanum taurum, cui nomen proprium erat *Mnevis*, etiam cognomine *Cnuphis*, *boni*, vel *boni Dæmonis*, paſſim mactari conſueviſſe, non temere ſuſpicor. Literis namque proditum eſt a Graecis, *Solonem*, ſapientiæ ſtudio allectum, Aegyptum adiiſſe, & illic ſacerdotum plurium diſciplinæ ſe tradidiſſe. Audivit inter alios ſacerdotem Heliopolitanum, quem *Plutarchus* in *Solone pag. 92* vocat Ψένωφιν. Idem *de Iſ. & Oſir. pag. 354* ſcribit, *Pythagoram* Heliopoli frequentaſſe Οἴνουφιν. *Clemens Alexandrinus Stromat. Lib. I pag. 303* auctor eſt, *Eudoxum* in Aegypto magiſtro uſum fuiſſe *Conuphi*, vel *Conuphide*. Fuiſſe illum ſacerdotem Heliopolitanum, teſtatur *Diogenes Laertius Lib. VIII* §. *90.* Sed nomen Sacerdotis illic ſcribitur * *Ichonuphis*. Verba *Laertii*

* Vide de hoc nomine §. *V*.

Laertii ſunt: Ὅτε δὲ συνεγένετο ἐν Αἰγύπτῳ Ἰχονούφει (ita ſcribendum) τῷ Ἡλιοπολίτῃ, ὁ Ἄπις αὐτοῦ θοἰμάτιον περιελιχμήσατο. *Cum vero in Ægypto moraretur cum Ichonuphi Heliopolitano, Apis illius pallium lingere viſus eſt.* Et *Eudoxum* ſane una cum *Platone* diſciplina uſum fuiſſe Sacerdotum Heliopolitanorum, *Strabo* quoque teſtis eſt *Lib. XVII pag. 554.* *Clemens* vero *Alexandrinus loc. cit.* Sacerdotem illum Heliopolitanum, quocum *Plato* familiariter converſatus eſt, *Secbnuphim*, vel *Secbnuphidem*, appellat. Monendum hic eſt, quod alia occaſione * jam tetigi, ſacerdotes Aegyptios ſæpe Deorum illorum, quorum cultui erant conſecrati, nomina adſciviſſe. Veroſimile eſt, id etiam feciſſe Sacerdotes illos Heliopolitanos, quorum modo vidimus in hiſtoria Philoſophorum Græcorum mentionem fieri. Et quid credere nos vetat, nominibus hiſce, quibus inſigniti leguntur Sacerdotes illi Heliopolitani, dignitatem ipſorum Sacerdotalem deſignatam fuiſſe? Quaſi dicas *Sacerdotes Cnuphis*, vel *Ichonuphis*, quale quid de *Pateneit*, Sacerdote Saitico, obſervavi in Exercitatione *de Neitha* §. *IV*. Fuiſſe autem Sacerdotes hos ipſos Heliopolitanos, tauro Heliopolitarum ſacro initiatos, ex hiſtoria *Eudoxi*, quam ex *Diogene Laertio* deſcripſi, non obſcure colligi poteſt. Narrat enim *Laertius*, *Eudoxum* eo tempore, quo cum *Ichonuphi*, Sacerdote Heliopolitano,

* Diſſertat. *de Terra Goſen VIII* §. 4 *pag.* 94, 95 & in notis. Vide & Obſervat. *de Neitha* §. *IV*.

tano, commorabatur, ab *Apide*, tauro ſacro, blande exceptum fuiſſe, cum nempe a Sacerdote ad videndum eum adductus eſſet. Fateor quidem, Taurum Heliopoli cultum, ab Aegyptiis communiter non *Apim*, ſed *Mnevin*, appellari conſuevisse, uti viciſſim Taurus Memphi conſecratus, non *Mnevis*, ſed *Apis*, nomine inſignis erat, ideoque, ut credere par eſt, *Plutarchus de Iſ. & Oſir. pag. 354 Chonuphin* illum, vel *Ichonuphin*, quem *Eudoxus* audivit, Sacerdotem Memphiticum dicit; verum, quia omnes reliquos hujusmodi tauros ſacros ſanctitate & celebritate vincebat *Apis*, fieri potuit, ut ex errore nomen illius tribueretur etiam a Græco quodam Scriptore Tauro Heliopolitano. Sed, quia tamen ſacerdos Tauri hujus Heliopolitani in hiſtoria vocatur *Ichonuphis*, id eſt, *initiatus Ichonuphi*, non inepte colligi poſſe reor, Taurum ipſum *Ichonuphim* pariter cognominatum fuiſſe. Paulo plenius & accuratius nomen illud Sacerdotum Tauri Heliopolitani apud *Clementem Alexandrinum loc. cit.* affertur Σέχνεφις, idque verum & genuinum Sacerdotum iſtorum apud Aegyptios nomen fuiſſe auguror. Erudititiſſimus *Kocherus*, qui nomen hoc non prætermiſit, interpretatur illud Aegyptiace ⲤⲀϨ-ⲚⲞⲨϤⲒ, *Sachnuphi, Scribam boni Dæmonis*, docte profecto & acute! Nam in Novo Teſtamento vox Græca Γραμματεὺς, *Scriba*, ab interpretibus Coptis ſemper vertitur ⲤⲀϨ, *Sach*. Et vero in ordine

Sacer-

Sacerdotum Aegyptiorum quosdam fuiſſe, peculiariter dictos Γραμματεῖς, *ſcribas*, & Ἱερογραμματεῖς, *ſcribas ſacrorum*, neminem, qui literas has deguſtavit, latere poteſt. Eſſet igitur Σέχνεφις, ſecundum hanc expoſitionem, *ſcriba ſacrorum Dei Cnuphidis*. Illud unicum tamen hic me turbat, quod Χ in Σέχνεφις videatur ad nomen Divinitatis *Cnuphis*, vel *Chnuphis* potius, eſſe referendum. Vide §. *V*. Hac ratione commotus, malo nomen iſtud ita interpretari ϢⲈ-ⲬⲚⲞⲨϤⲒ, *Se-chnuphi*, vel ϢⲈ-ⲒϦⲚⲞⲨϤⲒ, *Se-ichnuphi*, id eſt, * θεραπευτὴν, (*cultorem*) *Agathodæmonis*. Proxime ad hanc nominis illius interpretationem accedit ejusdem ſcriptio, quæ apud *Plutarchum* occurrit, Ψένωφις. Addito enim tantum Ⲡ, nota generis maſculini, Ψένωφις erit Ⲡ-ϢⲈ-ⲚⲞⲨϤⲒ, *P-Shenuphi, cultor boni*, ſubintellige *Dæmonis*. Græce diceres θεραπευτὴς τȣ ἀγαθȣ δαίμονος. Similia addi quoque poſſent alia de *Apide*, Tauro Memphitarum quondam ſacroſancto, ejusque ſacerdotibus. Sed nimium quantum obſervatiunculis hujus generis, quæ multis videbuntur vix operæ pretium ferre, nunc immorati ſumus. Quare jam potius Obſervationi huic imponamus finem.

* Sacerdotes Numinum Ægyptiorum paſſim ſolent dici θεραπευταὶ, a *Syneſio*, *Æliano*, aliisque Scriptoribus Græcis.

V.

IOANNIS IACOBI REISKE LIBELLVS ANIMADVERSIONVM AD ALTERAM EDITIONEM BVRMANNIANAM PETRONII.

PARS IV, QVÆ EST VLTIMA.

Pag. 446: *Canem placavit*) Eleganter ad ſycophantas tranſtulit *Philoſtratus VI, 36, pag. 273:* Oportet illis προβάλλειν τὸ χρυσίον, ὥσπερ τὰ μειλίγματα τοῖς κυσὶ, κἂν ὑλακτῶσιν, αὖθις διδόναι, καὶ αὖθις.

Cum algentes petiſſemus ab atrienſi, ut nos extra ianuam emitteret, erras, inquit, ſi putas exire te hac poſſe.) Duo petierant, & uni tamen reſpondet. Debuerat, *Erratis*, dicere, *ſi putatis.* Sed permutare & complicare numerum ſingularem plurali ſolent Auctores. Et quidem primæ perſonæ ſingularis *ego* cum prima plurali *nos* permutatæ exempla iam protuli ad *pag. 399: Reſpiciens porreximus.* Cui addimus hoc ex *Helena*, quod, cum hactenus locuti fuiſſent δισσοὶ Διόσκουροι, *v. 1678*, incipiat unus ex abrupto: σοὶ μὲν τάδ' αὐδῶ· συγγόνῳ δ' ἐμῇ τάδε. Exempla nunc addamus, ubi Auctores integram concionem, tanquam unum hominem, alloquuntur. Ita *Ariſtophanes Veſp. v. 254:*

'Ει νὴ Δί' αὖθις κονδύλοις νουθετήσεθ' ἡμᾶς
'Αποσβέσαντες τοὺς λύχνους ἄπιμεν οἴκαδ' αὐτοὶ

Κἄπειτ'

Κἄπειτ' ἐν τῷ σκότῳ τούτῳ ςερηθεὶς,
Τὸν πηλὸν ὥσπερ ἀτταγᾶς τυρβάσεις βαδίζων.

Idem *Eccleſ.* 199: κορινθίοις ἄχθεσθε, κακεῖνοί γέ σοι. Ita illud frequens Oratoribus εἰπέ μοι. Vid. *Ulpian.* ad *Demoſth. Philipp. I*, 5, *Ariſtid. T. I pag.* 458, 10: εἰ γάρ τις αὐτοὺς ἔροιτο· εἰπέ μοι, καλῶς ἐποίησαν — — οὐ καλῶς, ἐροῦσι δήπου. Idem *pag.* 495: τίνος οὖν ἕνεκ', εἰπέ μοι, λοιπὸν τῷ Φιλίππῳ χάριν ἕξετε. *Libanius T. II pag.* 587, *A.* 3, εἰπέ μοι, παιδαγωγοὶ δὲ ὑμῖν — οὐκ εἰσίν. Sic legendum. Et viciſſim unum hominem ſecunda perſona plurali alloquuntur. *Plutarch. de Adul. pag.* 108, 15, ed. *Steph.*: ἐμὲ, Νικόμαχε, πρὸς τὸν ςρατιώτην τάξατε. *O Nicomache, componite me* (tu, cum tuis) *cum hoc milite.* Verſus iambus mutationem ibi nullam admittit. Idem de genio *Socratis pag.* 1026, 19: τὸν δὲ ξένον ἴςε τὸν ἀφιγμένον, ὦ Καφισία, πρὸς ὑμᾶς, ὅςις ἐςί. Tandem & tertia ſingularis atque pluralis complicantur, ut apud *Nicandr. Ther.* 276:

ἐννέα δ' αὐγάς
Ἠελίου μογέων ἐπιόσσεται, οἷσι κεράςης
Οὐλόμενον κακόεργον ἐνιχρίμψει κυνόδοντα.

Ubi inter ἐπιόσσεται, *inſpiciet*, & οἷσι, *quibus*, inſerendum eſt, & ſupplendum tacite, πᾶς τις τούτων, vel τούτων ἕκαςός τις, *eorum unusquisque, quibus infixerit malignum dentem ceraſtes.* Ubi Schol. ἐννέα μόνον ἡμέρας ζῶσι οἱ δηχθέντες ὑπὸ κεράςου. Τὸ δὲ οἷσιν ἀντὶ τοῦ ᾧτινι. ἀπὸ γὰρ ἑνικοῦ μετῆλθεν εἰς πληθυντικόν. δέον εἰπεῖν, ᾧ τε κεράςης. Ex allatis itaque clare apparet imperitia

&

& ſtupor atque temeritas *Pavii* Ultraiectini, qui locum elegantiſſimum *Theophraſti Cap. VIII pag. 86 ed. eiusdem* ſuis nugis conſpurcavit, & corruptelæ ſuſpectum ibi certe, ubi opus non erat, facere voluit. Καὶ πάντα διεξιὼν, πῶς οἴεσθε! ἐπὶ παντὶ ἐπιλέγει, καὶ πιθανῶς σχετλιάζει λέγων· δυστυχὴς Κάσανδρος! ὦ ταλαίπωρος! ἐνθυμῇ τὸ τῆς τύχης· ἀλλ᾽ ἂν ἰσχυρός γε γενόμενος. Sic ſupplendus eſt ille locus, qui mancus in vulgatis circumfertur, &, quoniam dignus eſt conſideratione, cum bona lectoris venia conſtituimus hic eum pertractare. Et primo quidem notamus, quod πῶς οἴει & πῶς οἴεσθε (*wie meynet ihr wohl*) ſit eorum formula, qui auditores ſuos ad attentionem, admirationem, indignationem, miſericordiam, volunt excitare, οἱ παθαινόμενοι. Hinc emendandus *Plutarchi* locus in *primo de fortuna Alexandri pag. 584, 4:* μειράκιον ἐθάῤῥησε — — τὴν πάντων ἀνθρώπων ἀρχὴν εἰς νοῦν ἐμβαλέσθαι, τοῖς τρισμυρίοις, πῶς οἴεσθε, πεζοῖς καὶ τετρακισχιλίοις ἱππεῦσι πιστεύσας. Secundo, quod ἐνθυμῇ poſitum ſit pro ἐνθυμεῖσθε, & πευστικῶς vel *interrogative. Conſiderasne, mi homo*, mi amice, pro *conſideratisne, an ad animum veſtrum revocatis?* quam inconſtans fortuna ſit. Tertio, quod vulgaris & plebeia ſit locutio ἀλλ᾽ ἂν ἰσχυρός γε γενόμενος. ut recte emendavit *Caſaubonus, Pavius* quidem illam emendationem ruſtico triſtique ſuo ſupercilio damnat, *quis talem audaciam ferat?* dicens. Atqui, mi *Pave*, quis tantam tuam talemque ferat audaciam,

audaciam, qua viros reprehendis te multo doctiores, ibi locorum, ubi verum vident; & quis tantam tuam talemque ferat ignorantiam, præ qua vires & momenta elegantiſſimarum emendationum pervidere non vales? Sed ad rem. Ἀλλ' ἂν ἰσχυρός γε γενόμενος, notat *attamen non certe prius*, ſcil. ἐζώγρητο, quod præceſſit *captus fuit, quam fortiter & ſtrenue ſe defendiſſet.* Alius politus ſcriptor Græcus dixiſſet ἀλλ' ἂν καρτερῶς γε καὶ ῥωμαλέως μαχησάμενος, vel ἀλλ' ἂν ἀλκιμός γε γενόμενος, ſcil. ἐζώγρητο. Sed decenter ἠθοποιεῖ hominem de vulgo famigerulum. *Plutarchus de Iſid. pag.* 665, 14, τὸ δραστήριον & ἰσχυρὸν coniungit. Scholiaſtes *Ariſtophanis* ad *Plut.* 1003 ἄλκιμοι reddit per ἰσχυρότατοι, & *Heſychius* Θαῤῥεῖν per ἀνδρείαν, θρασεῖαν, ἰσχυρὰν, unde coniicio, ἰσχυρὸς pro *forti & ſtrenuo* fuiſſe plebeium.

Pag. 408: *Nihil melius eſſe, quam ſine turba lavari.*) Putida dictio, quia ſic declarabat, a turba præſente ſimul lavantium ſeſe moleſtari. Quod addit, ibi loci olim piſtrinum fuiſſe, altera eſt putida dictio, & ἄκαιρος, qua declarabat, quo loco ſuos convivas habeat, quandoquidem eos in piſtrinum duxerit. Non multum id certe ſapientius & politius erat dictum, quam ſi dixiſſet ibi olim haram fuiſſe.

Pag. 469: *Gingiliphos.*) Quæritur a viris doctis, ut ait *Heinſius* ad *h. l.* nec indagatur, gingiliphus iſte qui ſit. Γιγγλίζειν & κιχλίζειν idem eſt & quoad originem, & quoad ſignificationem;

nem; notatque cachinnari. Venit hoc a κιχλίω, hoc a κίχλος. Ut autem a ςέρος, (ςέῤῥος, ςεῖρος,) fit ςέριφος, ſic etiam a κίχλος fit κίχλιφος & γίγγλιφος (quæ forma mihi fere magis probatur, quam γιγγλυφος). Nempe terminatio in φος ſatis eſt frequens. Ita a ψαύω fit ψῆφος: a κόλος (per κολίω) fit κόλιφος, coliphia: ab ἔρος, ἔριφος, βρέφος, λεῦφος, κόσσυφος (pro κόψυχος), ῥάμφος, alia, quæ doctioribus etymologis examinanda relinquo. Mihi nunc ſufficiet, quid ſit ginglyphus, & unde veniat, indicaſſe. Eſt prorſus idem atque κιχλισμός. Vid. *Heſych.* in γιγγλισμοῖς. Apud quem legendum eſt γιγγιλισμός. γαργαλισμὸς ἀπὸ χειλῶν. γέλως.

Pag. 470: *Aeneolaſque piſcatores.*) Aliquando cogitavi *pſuċteres* ψυκτῆρας. Sed uſu deprehendi, *piſcatores* bene habere, & eſſe vel icunculas, formatas inſtar piſcatorum, ut vult *Guſius*, vel diſcos, quibus inſculpti piſcatores erant, ut vult *Salmaſius*, qui omnino conferendus ad *Hiſt. Aug.* pag. 340 ad illud: *boletar halieuticum argenteum librarum viginti.*

Pag. 474: *Quem Trimalchio iuſſit ut coctus fieret.*) Quæ *Burmannus* ad hunc locum affert, ut alibi alia multa, alia nihili ſunt. Græciſſat *Petronius*. Ὃν (ſcilicet gallum) ἐκέλευσεν ὅπως ἑφθὸς γένηται.

Pag. 477: *Urceolum frigidum.*) Hoc depromtum ex medicina plebeia. Solebant in tumoribus ſanguineis, eryſipelatibus, a plethora, ictu, caſu, quacunque tandem cauſa, pro ſapientia

ſua

ſua actu frigida & repellentia admovere, ad cohibendum & alio repellendum ſanguinis impetum; vel etiam dura corpora, ad impediendam ſanguinis in loco contuſo πῆξιν & ſtaſin. Quemadmodum plebs quoque noſtra, ſi quis in frontem concidit, plano & lato cultro locum contuſum graviter comprimunt, quidam etiam ſuperſtitioſi in formam crucis; cuius rei rationem, quam modo dedimus, ipſi ignorant. Egregie locum hunc illuſtrat ille *Ariſtophanis* in *Lyſtrat. v. 445:* εἰ — τὴν χεῖρ᾽ ἄκραν ταύτῃ προσοίσεις, κύαθον αἰτήσεις, τάχα: & ille *Pac. v. 540:* δαιμονίως ὑπωπιασμέναι καὶ κυάθοις προσκείμεναι. Ubi Schol.: τοῖς χαλκοῖς ὀξοβάφοις τὰ ὑπώπια ἀνατρίβοντες ἀφανῆ ποιοῦσι. Cetera, quæ ſequuntur (τοῖς γὰρ τοιούτοις, τοὺς ἐκ τῶν πληγῶν ἐθεράπευον μώλωπας) alterius ſunt Scholiaſtæ, & idem cum priore dicunt, nihilo plus. Poterant itaque omitti. *Suidas* ad priorem locum ἵνα προσθῇς τοὺς γνάθους. οὕτως ὑπωπιασθήσῃ (ſic leg.) καὶ τυφθήσῃ ὑφ᾽ ἡμῶν. γεμίζουσι γὰρ κύαθον θερμοῦ, καὶ προσκολλῶσι τοῖς οἰδήμασι, καὶ θεραπεύουσι. Et hi quidem calidum magis methodice & rationaliter, quam illi frigidum urceum, aut æneum cyathum, apponunt. Potentius enim calor tumores diſcutit, cum frigida ſæpius noceant, quam proſint.

Ambubaia non meminit, ſi de mactra illam ſuſtuli.) *Si* hic loci Græco more, ut εἰ, eſt pro *quod* ὅτι, ut in illo *Luciani Dialog. meretr. 2:* καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς, ἴδε μὴ σε ἀνιάτω εἰ πάνυ λευκοὺς (ſic legendum, non γλαυκοὺς,

κῦς,) ἔχει αὐτῦς, μηδὲ ὅτι διάςροφοι εἰσὶ. Item apud *Libanium Tom. II pag. 465:* Καὶ εἰ μὲν θέρυς, ἴσος ἂν ἦν ἐκείνοις· εἰ δὲ καὶ χειμῶνος, ἀδικώτερος, *in eo, quod id faceret æſtate, ſuis anteceſſoribus par & æqualis; in eo autem, quod id etiam per hyemem fieri curaret, illis ipſis adhuc iniquior: Quandoquidem evehendus ex urbe pulvis aut iam eſſet a pluviis in cœnum redactus, aut redigeretur ab iisdem cadentibus interea, dum eveheretur. Scaliger* in *Münſtero pag. 54: An enim ille* (Homerus) *ſi* (id eſt, *quod*) *honeſta matrona Venus pertæſa fuliginis claudi mariti ſui, liberiuscule olim cum Mavorte caput collimavit; prodere id hominibus continuo debuit?* Poteſt quoque pro *num*, vel *an*, accipi. *De mactra* ſcripſi pro vulgata vetere *de machilla*, ſecutus meos duces; ſed, illis errantibus, me quoque contigit errare. Quis vero poſſit omnia ſimul & primo ſtatim obtutu pervidere? Debuerat enim ſcribi *de machina.* Idem eſt *machina* atque mola, vel piſtrinum. Vid. *Salmuth.* ad *Nov. Rep. Pancir. Cap. 22 pag. 712.* Forte ſic *Varro* accipiendus in ὄνος λύρας. *Homines ruſticos in vindemia incondita canere, ſarcinatrices in machinis.* Sed neſcio, quid ſibi velint ſarcinatrices in piſtrinis. Ceterum nota res eſt; ancillas olim ad mactram, id eſt, ad pinſendum panem, fuiſſe adhibitas. Conf. *Herodot. VIII, 137, Euripid. Herc. Fur. v. 152, Hec. 362, Plutarch.* in *Phocione p. 1376, Tom. II p. 830. D.*

Pag. 478 recte *Burmannus* explicuit τὸ *in*

ſinum

ſinum ſuum conſpuit. Vult dicere: quando videt pauperem & miſerum, conſpuit in ſinum ſuum, ne miſeria eius, quaſi labes contagioſa, in ſe tranſeat ſerpendo. Poſſet quoque, ſed diverſo reſpectu, *non ſpuit* legi. Quod tamen ideo non dico, ac ſi vellem ſic mutatum habere. Neutiquam; ſed quia ſimili in negotio hanc ideam reperio in *Luciani Navigio:* ὑπερμαζᾷς γε, ὦ Ἀδείμαντε, καὶ ἐς τὸν κόλπον οὐ πτύεις, οὐδ' οἶσθα &c. *nimis ſuperbis, Adeimante; & in ſinum non conſpuis*, non timens Nemeſin, & inſtabilem Fortunam, ſed putans, te ultra omne periculum evectum, & in ſublimi atque tuto collocatum eſſe. Nam, ſi timeres, conſpueres te, eaque ratione oculos faſcinantes Nemeſis a te averteres.

Caſſandra caligaria.) Forte ſic illam a furore & mentis impotentia appellat. *Joſ. Scaliger* in faceto libello *Hercules tuam fidem*, ſororem *Scioppii Caſſandræ* comparat *pag. 89: Caſſandræ quoque, uti tibi, nemo unquam credidit, ita Phœbo autore dementatis ambo.* Meretur venuſta comparatio familiæ *Scioppianæ* cum illa *Priami l. c.* integra legi.

Pag. 481: *Dum βουλαίως ago; & nolo videri levis.*) Olim erat: *dum bonatus ago.* Non multum abludere ΒΟΥΛΑΙΩΣ a BONATUS, quisque videt. Et ſenſus quoque pulchre quadrat. Dum ago prudenter, caute, deliberative, circumſpecte, tanquam homo de bule (ſeu ſenatu), & nolo levis videri. Objectum mihi fuit a Celeb. quodam Profeſſore

Leidenſi, βυλαῖον appellari tantummodò *Jovem*, bules præſidem. Sed βυλαῖον eſt omne id, quod ad βυλὴν pertinet. Ita βυλαία ἑςία, apud *Didiorum Sic. pag. 367 lin. 18* ed. *Steph.* id eſt, *focum & arulam Senatus*. Et quot, quæſo, ſunt talis formæ in αιος voces, in quibus iſta *præſidii* notio nullum locum habet; ut εἰρηναῖος, *quietus*, (apud *Ariſtoph. Equit. 802*,) ταχαῖος, *celer*, (apud *Heſych.*) ὀρφναῖος, λαθραῖος, λακκαῖος. Vox *bule* apud *Plinium Lib.* X occurrit: *Solent totam bulen vocare.*

Pag. 489: *Ipſi mei Domini.*) *Ipſi* hic eſt pro *ipſius*. Antiquus genitivus ab *ipſus*. Ita *alius* antique genitivum formabat *alii* & contracte *ali*. Ita *Feſtus pag. 10 alimodi* pro *aliusmodi*. Ita *Apulejus* in dativo dixit *uno pag. 676*, tanquam *unus*, *uni*, *uno*, declinaſſet. *Ulli* pro *ullius* apud *Plautum* in *Trucul.* exſtat. Conf. *Sam. Lowe App. ad Grammat. Lat. lingu.* Anglico ſermone ſcriptam, *pag. 5.*

Pag. 491: *Tanquam nihil facti.*) Eſt Græciſmus. ὡς μηδενὸς γεγενημένυ. Tanquam nihil contigiſſet. *Nihil* hic eſt indeclinabile.

Pag. 492: *Corrotundavi.*) Id eſt, coegi. Sumtum de iis, qui fuſa & late ſparſa compellunt in anguſtum; ut e. c. canis frigidus ſe συςέλλει, expanſa prius membra contrahit, in circulum ſe corrotundat. Inde intelligas illud *Plutarchi Conviv. Sept. Sap.*: τὺς ἐις μικρὰ κομιδῆ συςέλλοντας ἑαυτὺς, ὡς ςρογγύλως καὶ λακωνικῶς βιωσομένυς. Belgæ *corrotundare* dicunt *by een brengen.* Ad id autem, quod *Reineſius* in *not. col. 1 lin. ult.* dicit

emen-

emendationem *Scaligeri* ſe non intelligere, quando is in *Athenæi* quodam loco vult ἐξεκώκυσα reſtitutum habere pro ἐξεκόκκισα, noto, quod *Scaliger* tum temporis, cum id ſcriberet, procul dubio in mente habuerit illud *Ariſtophanis* ἀποκωκύειν τὴν ψυχήν.

Pag. 493: *Tota patria mea.*) Intelligit pagum Syriacum, unde ortus erat. Simile illud *Philoſtrati pag.* 11: Κέκληται ἐν Κιλικίᾳ βίον πλείω ἢ Κίλικες ὁμᾶ πάντες.

Libertos fænerare.) Vid. *Plutarch. Tom. II*, 4, *B.*

Pag. 494: *Nolente me.*) Græciſmus eſt. Ἄκοντος ἐμᾶ. *Dio Chryſoſtom. Or. XII pag.* 195: ξυνεβούλευε τοῖς ὀρνέοις, τῆς δρυὸς ἐν ἀρχῇ φυομένης, μὴ ἐᾶσαι (pro τὴν δρῦν ἐν ἀρχῇ φυομένην μὴ ἐᾶσαι φύεσθαι) ἀλλ' ἀνελεῖν πάντα τρόπον. *Herodot. I*, 78: φανέντων δὲ αὐτῶν (de ſerpentibus loquitur) οἱ ἵπποι, μετιόντες τὰς νομὰς νέμεσθαι, φοιτῶντες κατήσθιον, pro φανέντας δὲ αὐτὰς κατήσθιον οἱ ἵπποι. *Plutarch.* περὶ ἀοργησίας *pag.* 813. *c. f.*: Ἀρκαδίωνος δὲ τᾶ Ἀχαιᾶ τὸν Φίλιππον ἀεὶ κακῶς λέγοντος καὶ φεύγειν παραινᾶντος — εἶτα πως ἐν Μακεδονίᾳ φανέντος, ᾤοντο δεῖν οἱ φίλοι κολάσαι καὶ μὴ περιιδεῖν. Secundum Latinum dicendi morem deberent omnes illi genitivi in accuſativos mutari. Scholiaſtes *Ariſtidis Tom. II pag.* 55 *col.* 1 *lin.* 8: τὸν γνήσιον Περδίκκα παῖδα εἰς φρέαρ ἐνέβαλε, καὶ ἔφη χῆνα διώκοντος ἐμπεσεῖν. Stricte debuerat διώκοντα.

Pag. 496: *Viperam nutricas.*) Vid. *Philoſtr. pag.* 165, 2, *Heliodor. pag.* 92, 20, *Lycophron v.* 674.

Pag. 497: *Pervenero.*) Eſt ipſiſſimum Græcorum ἐξικνῦμαι. Dicebant Philoſophi ſimpliciter ἐξικνεῖσθαι pro ad ſummum felicitatis & votorum gradum pervenire. Conf. *Xenoph. Memorab. Socr. pag. 50 lin. 6 ed. Caſel.* Latini *provenire* quoque dicebant, *Martial. I, 89; Plaut. Trucul. II, 6, 35.* Franci quoque ſimpliciter dicunt *parvenir*, loco *ſe pouſſer, ſ'elever par ſoi meme, faire ſa fortune.* Ut *le Payſan parvenu.* Diceret itaque: Fecero meam fortunam in vita mea ſufficienter, ut poſſim contentus eſſe. Male interpunctum fuit. Debet enim ſic legi: *Quod ſi contigerit fundos Apuliæ jungere*, (id eſt, fundos omnes Apuliæ coemere,) *ſatis vivus pervenero.* Abundat *vivus*, ut ſæpe. *S'il arrivera, que je puiſſe joindre ſous moi toutes les campagnes d'Apulie, je ſerai aſſez parvenu dans ma vie.* Aut etiam *pour toute ma vie.* Conf. *Lucian.* in *Votis:* Τὰ περὶ τὸ ἄςυ ὠνησαίμην ἤδη πάντα, πλὴν ὅσα Ἰσθμοῖ, καὶ Πυθοῖ, καὶ ἐν Ἐλευσῖνι ὅσα ἐπὶ θαλάττῃ, καὶ περὶ τὸν Ἰσθμὸν ὀλίγα, τῶν ἀγώνων ἕνεκα.

Pag. 500: *Hoſpitium, hoſpites C. capit.*) Character μικροφιλοτιμίας. *Theophr. Cap. XX pag. 172 ed. Paw.* ὅτι ἡ οἰκία αὐτῷ πανδοχεῖον ἐςί. Leguntur hæc ſub *Capite* περὶ ἀηδίας. Sed, quid cum inſuavi, tædioſo, & nauſeoſo, habeant commune, non paret. Vidit jam *Pawius*, hæc & reliqua ad hoc *Caput* pertinere non poſſe. Neque pertinent omnino; ſed ad finem *Capitis* proxime ſequentis *XXI* περὶ μικροφιλοτιμίας ſunt relegan-

ganda.

ganda. Claritatis & evidentiæ gratia totum locum, ut debet ex luxatione ſua reſtitui, huc adſcribam: Καὶ ταῦτα ἀπαγγείλας ἀπιὼν οἴκαδε διηγήσασθαι τῇ ἑαυτῆς γυναικὶ ὡς καθ' ὑπερβολὴν εὐημερεῖ. καὶ ὅτι ψυχρὸν ὕδωρ ἐςὶ παρ' αὐτῷ λακκαῖον, καὶ ὡς κῆπος λάχανα πολλὰ ἔχων καὶ ἁπαλά. καὶ ὅτι ἡ οἰκία αὐτῆς πανδοχεῖον ἐςί. καὶ ξενίζων δὲ δεῖξαι τὸν παράσιτον αὐτῆς, ποῖός τις καὶ παρακαλῶν δὴ τὸν ἐπὶ πότηρίς (ſubintellige φῆσαι, vel εἰπεῖν,) ἴθι, τέρψον τὰς παρόντας. Ad poſtrema verba notandum, quod ὁ ἐπὶ τῆς ποτηρίς (ſecundum meam emendationem) ſit *pincerna*, ut *Plutarch.* 1061 *v. m.* τὸν ἐπὶ τῆς εἱρκτῆς *carcerarium* appellat; porro quod ὅτι ante τέρψον poſſit eo ex capite retineri, quo dicitur abundare, Græco more, quando ipſa alterius cuiusdam verba allegantur. Mihi tamen elegantius viſum fuit ἴθι, τέρψον.

Aſſem habeas, aſſem valeas.) *Plutarch. II*, 526, C. *Apulej. Apolog.* ed. *Scip. Gent. pag.* 122: *Tu vero, Æmiliane, & id genus homines, uti tu es, inculti & agreſtes, tanti re vera eſtis, quantum habetis. Ut arbor infœcunda & infelix, quæ nullum fructum ex ſeſe gignit, tanti eſt in pretio, quanti lignum eius in trunco.*

Habes, habeberis.) Ἔχειν dicunt Græci pro πλουτεῖν. *Euripid. Alceſt. v.* 58.

Pag. 503: *Tam valde.*) Οὕτως ἄγαν, ut apud *Thucyd. init. Cap.* 75 *Lib. I*, ubi tamen ἄρα non eſt interrogativum, ſed affirmativum, & συμπερασματικὸν, concluſivum. *Sumus ergo* &c.

Pag. 505: *Prudens enim pridie* &c.) Revocavi genuinam, veram, & intelligibilem, lectionem priorum editionum, qua expulſa, aliam inferſerat *Burmannus* ineptam; ut ſcilicet monſtroſæ ſuæ & incomprehenſibili explicationi patrocinaretur. Alias non potuiſſet *Fabrum* compilare, & docere, quid *certus* ſignificet, & *nota*, quod ante eum nemo ſciebat. Cretam, calce dealbatos parietes, & alia candida, per ſpiſſam noctem videri non poſſe, credebat, ideoque *creta* mutabat in *certa*, vir ſanctiſſimus, & in admittendis mutationibus ad miraculum usque religioſus. Quid ergo faciemus *Herodoto*, qui *Telliam* γυψῶσαι ἄνδρας ἑξακοσίους τῶν Φωκέων τοὺς ἀρίστους, αὐτούς τε τούτους καὶ τὰ ὅπλα αὐτῶν, narrat *Cap.* 27 *Libri VIII*, & ſic ἐπιθήκασθαι τοῖς Θετταλοῖς, νυκτὸς προείπας αὐτοῖσι τὸν ἂν μὴ λευκανθίζοντα ἴδωνται, τοῦτον κτείνειν. τούτους ὦν αἵ τε Φυλακαὶ τῶν Θετταλῶν πρῶται ἰδοῦσαι ἐφοβήθησαν· δόξασαι ἄλλο τι εἶναι τέρας &c. Si *Burmannum* audimus, expungemus totum eum locum, aut *Herodotum* mendacem & μυθολόγον appellabimus.

Pag. 517 verſus: *Grex agit in ſcena mimum* &c. ſeparandi ſunt a præcedentibus per inſertos aſteriſcos. Et conferri poteſt *Dio Chryſoſtom. pag.* 480, *A.*

Pag. 531: *Extremitates imaginum.*) Τὸ εἰσέχον καὶ τὸ ἐξέχον. *Philoſtr. pag.* 71 *c. f.* e cuius *pag.* 75 *lin.* 13 & porro poſſit *monochromon* defendi.

Pag. 541: *Qua dies ſolemnis ludum artaverat.*)

Ariſti-

Ariſtides T. I. pag. 509, 3, 4: εἰ μὲν βȣ́λεσθε ὁ τῶν Διονυσίων, εἰ δὲ βȣ́λεσθε, ὁ τῶν Σαμίων τῶν ἱερῶν καὶ παννυχίδων. ὥςε πῶς εἰκὸς ἐν ᾧ τῶν ὄντων διδασκάλων τȣ̀ς παῖδας ἀφίεμεν, ἐν τȣ́τῳ τȣ̀ς μηδὲν προσήκοντας ἐφιςάναι. *Liban. II, 10, 5:* ὥςε ὁπόσαι ἡμέραι τοσȣ̃τοι πόνοι, πλὴν ὅσας αἱ πανηγύρεις αὐταν (f. ἀνάπαυλαν) ἐποιήσαντο.

Pag. 547: *Non indelectatus.*) Supra *non inſpecioſus.* Redolet aevum *Apuleji*, qui *pag.* 195 *Apolog. inſtudioſus* habet.

Pag. 549: *Conſulere peritiorem cœpi ætates tabularum.*) Cohæret *peritiorem* & *ætates*. Idem eſt, atque ſi dixiſſet: conſulere cœpi hominem, ætates tabularum magis intelligentem, atque doctiorem, quam ego. *Prudens aliquam rem*, ἔμπειρός τι, idem eſt atque *doctus rem*. Debuerat hoc ab interpretibus notari & illuſtrari, qui alias minutiora nota & vulgaria omnia annotant, & magis Lexica in uſum ſcholarum, & ſupplementa *Fabri*, quam notas doctis hominibus dignas, conſcribunt, viri, qui *Scaligerorum & Salmaſiorum* θρόνȣς ἀντιπαίȣ́σι.

Pag. 550: *Hæc tropica inſtituit.*) Senſus quidem clarus eſt. Dicit enim Auctor: Cupiditas pecuniæ hanc rerum in contraria converſionem & mutationem introduxit. Non tamen apparet, unde raram hanc certe apud Scriptores Græcos, nunc exſtantes, vulgarem tamen ætate *Petronii*, ut credibile eſt, dictionem hauſerit. Invenio quidem apud *Arrianum Diſſ. Epict. I, 29, pag. 162:* ȣ̓, ἀλλὰ μή τοιȣ̃τό μοι πρόβαλλε (ſic leg.) τροπικόν.

 Ubi

Ubi videtur doloſum argumentum & ſtropham notare; aut forte vox eſt e palæſtra deſumta, fraudem aliquam notans luctatoriam, & modum ſupplantandi aliquem, ut *ἀγκώρισμα* e. c. Sed id huc non facit. Non mirarer, ſi dixiſſet *has tropæas*. Venti *tropæi* ſunt adverſi, e contrario flantes. *Plutarch.* in *Mario pag.* 789 *c. f:* ἐν τούτῳ δὲ, ὥσπερ τροπαίαις τινὸς ἀμειβούσης, ἐφοίτων ἀγγελίαι.

Itaque ſurculorum omnium herbarumque ſuccos expreſſit Democritus.) Ex vulgata corrupta hoc exſculpſi: neque pœnitet. Idem eſt, ac ſi dixiſſet: *radicum & herbarum omnium.* Sæpe coniunguntur *ſurculi & herbæ.* Ut apud *Martian. Capell.* loco in notis citato, unde meam tunc hauriebam emendationem; quam poſtea multis aliorum teſtimoniis confirmatam deprehendi. *Dio Caſſius pag.* 653, *C.:* ἐπεθύμησαν συμβῆναι, διὰ τὸ μὲν πρῶτον λιμῷ, εἶτα καὶ νόσῳ ἀπ' αὐτοῦ, πόαις τέ τισιν ἀλλοκότοις καὶ ῥίζαις χρώμενοι, πονηθῆναι. Ubi πόαι reſpondent *herbis*, ῥίζαι *ſurculis*. Conf. *Eucrat.* apud *Athen. pag.* 59. *Plato* in *Protagor. pag:* 224: τοὐντεῦθεν τροφὰς ἄλλοις ἄλλας ἐξεπόριζε ſc. *Deus.* τοῖς μὲν ἐκ γῆς βοτάνην, ἄλλοις δὲ δένδρων καρποὺς, τοῖς δὲ ῥίζας. *Apulejus Apolog. pag.* 159: *Poſtremo in maleficio ille venenum nominat, tu pulmentum; ille herbas & ſurculos, tu ſquamas & oſſa;* (elegans oppoſitio ſquamarum herbis, oſſium ſurculis,) *ille pratum decerpit, tu fluctum ſcrutaris.* Paullo poſt: *Igitur*

Igitur unum etiam Poetam Latinum attingam. Verſus ipſos, quos agnoſcent, qui Laelium legere:

Philtra omnia undique eruunt.
Antipathes illud quaeritur.
Trochiſcili, ungues, tænia,
Radiculae, herbae, ſurculi, &c.

Dixi, *ſurculos* & *radices* idem eſſe. Ita videbatur. Atqui ex hoc *Laelii*, vel *Laevii*, loco apparet, diverſa eſſe. Item ex illo altero *Apuleji p. 168: At vos ſoli reperti eſtis ex omni memoria, qui vim herbarum, & radicum, & ſurculorum, & lapillorum*, &c. Erunt itaque ſurculi, tenelli turiones & ramuli progerminantium arborum. Verum ſic ſuperfluum foret ſequens *virgultorum*. Omnino itaque vincit prior ſententia. *Livius* quoque *herbas* & *radices* conjungit *XXIII*, 19 & 30: *Poſtremo coriis herbisque & radicibus & corticibus teneris ſtrictisque rubis vixere.*

Pag. 553: *Philoſophiae fontem.*) Bonam mentem, *διόρθωσιν λόγων καὶ ἔργων ἀρίστων*, ut *Plutarch. II*, 166, *E. Conſultiſſima via* eſt, quæ maxime expedit, quam inire maxime conſultum eſt, qua quis maxime tutus eſt ab erroribus & periculis.

Pag. 562: *Undaque* &c.) In hoc verſu emendando fruſtra fui. Poſſent quidem omnia hic commiſſa adverſus metrum, ut quibusdam videbitur, peccata excuſari, quod e. c. in ſecunda ſede ſit anapæſtus, in quarta ſpondæus; & quod *u* in *rumor* longum ſit, cum breve debeat eſſe, & ego ſic eſſe credebam. Verum nolo apologiam mei facinoris inſtituere. Alios potius in

reſtituendo, aut ſaltem explicando, obſcuro illo verſu feliciores eſſe jubeo.

Pag. 565 *mors ultima* num dici queat, controvertitur. Rationem quidem ſi ſequimur, dici nequit, quando quidem non morimur niſi ſemel, neque prima mors datur, cui opponatur mors ultima. Sed alius fuit idearum flexus, quo veteres uſi, recte dixerunt mortem ultimam. Scilicet hæc phraſis notat mortem tanquam rem rerum omnium ultimam, poſt quam nihil amplius homini contingere, aut ab homine peragi & exſpectari, poteſt. Recte *Catonis* locum huc attulit, & recte explicuit, *Erhardus*. Poſſem huc ex *Lycrophron. v.* 84 λοισθίαν μοῖραν afferre. Sed id non magis recte fieret, quam ab interpretibus factum, qui *fata ſuprema* & *ultima* hic commemorarunt. Multas enim μοίρας, multa fata, vivus homo ſubit. Sed aptius eſt illud *Sophoclis Ajac. v.* 468:

Ἰὼν πρὸς ἔρυμα Τρώων, ξυμπεσὼν μόνος μόνοις,
Καὶ δρῶν τι χρηστὸν εἶτα λοίσθιον θάνω.

Ultimum *moriar*. Atqui *non niſi ſemel morimur*. Erit itaque λοίσθιον θάνω, *moriar tandem, quæ finis eſto rerum & actionum mearum omnium*. Ita *Lycophron v.* 368 cineres hominis mortui & combuſti appellat ὑστάτην τέφρην, *ultimos cineres*, quaſi bis, vel ter, jam antea combuſtus fuiſſet homo. Ita ἀρχὴν πρώτην *Demoſthenes p.* 308. *D.* dixit, quaſi prius quid ipſo foret initio, aut duo, vel plura, forent initia, unum altero poſterius. Sic quoque *Horatius Ep. II,* 1, 12, *ſupremo fine*, quaſi plures fines

eſſent. Poteſt quoque ſignificatio vocis *mors* in hac phraſi accipi pro toto illo temporis ſpatio, quod vitam & mortem intercedit, quo vita cum morte luctatur, μεθόριον καὶ πάλη βίου καὶ θανάτου, & ultima mors momentum illud ultimum eſſe dici poteſt, quo mors tandem vitam expellit. Conf. *Apulejus VII. Metam.: Servum tormentis vexatum, ac pæne ad ultimam mortem excarnificatum;* quem locum ad illuſtrandum noſtrum *Petronianum* allegavit Vir Clariſſimus, amicus noſter, *F. L. Abreſch*, in *Animadverſ.* ſuis *ad Aeſchylum pag. 93.* Cui addo illum *Senecæ Controv. IX, 6: In gladiatoribus quoque conditio dura victoris eſt cum moriente pugnantis. Nullum magis adverſarium timeas, quam qui vivere non poteſt, occidere poteſt. Concitatiſſima eſt rabies in deſperatione, & morte ultima in furorem animus impellitur.* Id eſt, quando jam inevitabilis moriendi neceſſitas coram adeſt.

Pag. 566: *Lapides in recitantem miſerunt.*) Conf. *Ariſtoph. Acharn. 183, Avib. 524, Dio Chryſoſt. p. 432, B, Liban. T. II. p. 219. A. 2,* ubi leg.: ἐν οἷς τῶν τι ἐμῶν συγγραμμάτων ἀναγινώσκων ἐν λυκείῳ λίθοις ἐβάλλετο. Item *Epiſt. DCCCLXXVII fine.* Ubi *Wolfius* citat *Jo. VIII Caput.*

Pag. 570: *Pœnitentiam judicis tui.*) Id eſt, judicem tuum pœnitentem.

Pag. 572: *Peregrini amoris conceſſio.*) Id eſt, qui conceſſiſti alieno amori, qui peregrino amatori præda ceſſiſti, qui te peregrino amatori rapiendum ſponte tua conceſſiſti. Ita *Horatio juvenum*

num publica cura dicitur ille, quem juvenes curant. *Heliodor. p. 280. 11:* ὦ μόνη μοι γλυκεῖα φροντίς. *Philoſtrat. I, 32, p. 40:* ὁρμή μοι τῆς ἀποδημίας Ἰνδοὶ εἰσιν, id eſt, ἐφ' ὓς ὥρμημαι. *III, 33, p. 123,* Græcos appellat πᾶσαν ἀναρχίαν, id eſt, πάντως ἀνάρχυς ϗ ἀτάκτυς ϗ ἀφηνίυς, μὴ πειθαρχῦντας, ubi vid. *Olear. not. 3, & IV. 3. not. 3:* ἐκεῖνον μὲν ἀσωτίαν ϗαὶ τρυφὴν ϗαὶ τὰ τοιαῦτα ἡγύμεθα. Pro ἄσωτον ϗ τρυφῶντα. *Arrian. Epict. p. 214:* nos ſumus ὅλοι ἀτυχήματα, id eſt, in omnibus ἀτυχῦμεν, excidimus votis & deſtinatione debitoque noſtro. *Ariſtoph. Veſp. 416:* Θεοδώρυ θεοσεχθρία, pro Θεόδωρε θεοῖς ἐχθρέ. *Lucian* εὐάγκαλον ὁμίλημα: item μελιχρὸν αὔχημα Λεσβίων Σαπφώ. *Euripid. Herc. fur.* τεσσερασκελὲς ὕβρισμα, pro τετρασκελεῖς ὕβρισαί *v. 80.* Idem *v. 355 Herculem* appellat ςεφάνωμα μόχθων, *coronamentum laborum*, id eſt, illum, qui laboribus cinctus & coronatus eſt. Eidem *Helena* eſt ἔρις Ἑλλάδος, id eſt, illa, ob quam Græcia rixata fuit, *v. 255.* Eidem in *Hec. Apollo & Diana* dicuntur ὠδῖς δῖα, pro editis per δίυς ὠδῖνας. *Sophocles* audacter *Philoct. v. 60 Neoptolemum* appellat ἅλωσιν Ἰλίυ, *captionem Ilii*, pro eo, per quem & ob quem capiendum erat Ilium. Sic πόνος pro re per laborem acquiſita *Xenoph. Epheſ. p. 20. v. 1;* δύλευμα κερκίδος, pro ſerva, quæ jugo textorio aſſidet, apud *Eurip. Ion. v. 748.* Sic *Plaut. Perſ. V. Sc. ult. mea ignavia*, pro tu, quæ per meam ignaviam facta es libera. Ita noſter: *amplexus meos in crucem mittam*, ἐναγκά-

ἀγκάλισμα ἐμὸν, id eſt, eum, quem amplecti ſolebam. Item *o Deorum hominumque pudor*, id eſt, o tu, cujus Deum hominesque pudet. Et talium magnus poſſet cumulus comportari.

Pag. 573: *Pœnitentiam emendas.*) Id eſt, pœnitentiam præſtas omni menda & defectu puram. Sed ſapit ſeriorem ætatem. Ita infra *p. 815* affert *Erhardus* e *Vita B. Agnetis* hæc: *Apodixin artis magicæ demonſtrare.*

Pag. 580: *Animus errore tentus injurias diligit.*) Id eſt, animus hominis, qui per errorem malum, ſcelus, & vanitates, pro rebus bonis & expetendis reputat, ita ſtimulatur per hunc errorem ſuum, irritatur, tenditur inſtar chordæ, vel catapultæ, ut, quo diligentius coercetur, & retinetur, eo vehementius & acrius in deſiderata ruat. Tales ſunt, quorum, ut ait *Sophocles*, *Φρένας Θεὸς ἄγει ἐς ἄταν*, *Antigon. 631.* Proprium Græcis hac in re verbum eſt *κατατείνεσθαι*, item *νευροῦσθαι*. *Dio Chryſoſtom. p. 301. D*: *τὴν μὲν γὰρ (ψυχὴν) ἐπιθυμίας τε καὶ λύπας καὶ ὀργὰς καὶ φόβους καὶ φροντίδας καὶ μυρία πάθη τοιαῦτα ἔχειν ἐν ἑαυτῇ καὶ δι' ἡμέρας καὶ νυκτὸς ὑπὸ τούτων ἀεὶ κατατείνεσθαι καὶ στρεβλοῦσθαι.* Animo enim metaphorice tribuuntur nervi, quibus regitur, tenditur, laxatur. Inde illud *Plutarcho* frequentatum *Aeſchyli*, niſi fallor, *κινοῦσι χορδὰς τὰς ἀκινήτους φρενῶν*. Conf. *Moral. p. 889. 18.* ed. *Steph.* Sic *Epictetus* apud *Arrianum p. 226 Lib. II Cap. 17* animo *Medea* tribuit *μεγάλα νεῦρα*, quæ, cædem ſuis liberis intentans, utut ſciret,

male

male ſibi eo ipſo ſe facturam, præfracte tamen decernebat. Adſcribam & explicabo elegantem, ſed difficilem, locum, eundemque corruptum emendabo: τȣ̃το κ̀ ἡ Μήδεια ȣ̓χ ὑπομείνασα ἦλθεν ἐπὶ τὸ ἀποκτεῖναι τὰ ἴδια τέκνα, μεγαλοφυῶς κατά γε τȣ̃το Εἶχε γὰρ ἣν δεῖ φαντασίαν. Οἷον ἐςὶ τὸ ἃ θέλει τινὶ μὴ προχωρεῖν? εἶτα. ȣ̓τοι τιμωρήσομαι τὸν ἀδικήσαντά με κ̀ ὑβρίσαντα? καὶ τὶ ὄφελος? τὸν κακῶς ȣ̓τω διακείμενον. πῶς ȣ̓ν γένηται? ἀποκτείνωμεν τὰ τέκνα. ἀλλα καὶ ἐμαυτὴν τιμωρήσομαι. καὶ τί μοι μέλει. Τȣτέςιν ἔκπ]ωσις ψυχῆς μεγάλα νεῦρα ἐχȣ́σης. *Eadem ex afflictione delata in id conſilii fuit Medea, ut liberos ſuos occideret, magnanimiter quidem, hoc certe poſito. Ratiocinabatur enim, ut oportebat. Quam miſera res eſt, cogitabat, alicui rei ex voto non ſuccedere? Deinde cogitabat: Egone illum non ulciſcar, qui mihi multa fecit iniqua & infamia? Quodnam vero inde ad me commodum redundabit, ſi ulciſcar eum, qui jam tam miſer eſt? Quomodo tamen ad propoſitum meum perveniam? Occidam liberos. Atqui ipſa me ſic caſtigabo. Quid hoc ad me? Egone hæc curarem? Hic eſt error animi*, (continuat *Epictetus*,) *qui raptus extra ſe excidit*, *ſed animi robuſti*, *& magnos nervos* (& pertinaces affectus) *habentis*. Summa hæc dictio fuit ex *Platone*, ut diſcimus ex *Plutarcho p. 799 de Virtute morali*: διὸ κ̀ νεῦρα τῆς ψυχῆς τὸν θυμὸν ὁ Πλάτων προσεῖπεν, ὡς ἐπιτεινόμενόν τε πικρίᾳ καὶ πρᾳότητι χαλώμενον. Sic, ſi quis eo fuerit oc-

cupatus errore, ut putet, ſibi glorioſum eſſe, ſi fœminam nobilem & bene cuſtoditam corruperit, impelletur eo errore, & tendetur quaſi fidiculis, ut acerrimo impetu, periculis omnibus inſuper habitis, modos omnes ſectetur votis potiundi. Conf. *Dio Chryſoſtom. p.* 127 *fine*, usque ad finem orationis. Et probabile mihi fit, *Petronium* de hoc argumento in præcedentibus, at nunc perditis, diſſeruiſſe, nempe de corruptela *τῦ σπανίυ καὶ ἀπροσόδυ*, tam inter fœminas, quam inter pueros. Ita, ſi quis putet, glorioſum eſſe, ſi dicere poſſit, quod cibos raros & caros comederit, ſtimulabitur ab hoc errore, ut comedat, etiam ſi ſciat ſibi noxios. *Plutarch. Præc. Sanit. p* 216 ed. *H. Steph.* Hæc eſt illa *ἀκολασία*, quam ab *ἀκρασία* diſtinguit *Plutarch. Moral. II. p.* 793 ed. *Steph.* Sic ſupra habuimus *diſtenta libido p.* 547. In *Inſtitut. II.* 23. §. 12 *heres perfidia tentus* dicitur pro *ſtimulatus, incitatus*. Sic Athenienſes, tantum aberat, ut paterentur per orationem *Niciæ* ſe ab expeditione Sicula deterreri, ut per eam magis intenderentur & exaſperarentur. *Thucydid. VI.* 24: *οἱ δὲ τὸ μὲν ἐπιθυμῦν τῦ πλῦ ὐκ ἐξηρέθησαν ὑπὸ τῦ ὀχλώδυς τῆς παρασκευῆς, πολὺ δὲ μᾶλλον ὥρμηντο. Senec. de Tranqu. Cap.* 33: *Num quid potes invenire urbem miſeriorem, quam Athenienſium fuit, cum illam triginta tyranni divellerent? Mille trecentos cives, optimum quemque, occiderant, nec finem ideo faciebat, ſed irritabat ſe ipſa ſævitia. Plutarch. Mor. II.* 930. 21: *χωρίων πολλῶν παρόντων καὶ*

ἀργυ-

ἀργυρίυ, ὐ γίνεται μεςὸς, ἀλλ' ἐπ' ἄλλα συντέταται &c. *Liban. II. 409. 2*: κινηθέντες δ' ὑπ' αὐτῶν ὧν ἐδρασαν ἐπὶ μείζω καὶ παρανομώτερα. Sic puto ſatis demonſtratum, quid ſit *animus errore tentus*, & meam emendationem abunde aſſertam eſſe.

Pag. 583: *Synæcio.*) Conf. *Schol. Ariſtoph. Equit. v. 997*, & *Schol. Ariſtidis* ad *T. I. p. 103. lin. 12.*

Pag. 587: *Adduxit hoſtium cella.*) Vellem, hic luculenter docuiſſent interpretes, quid ſit adducere oſtium, & qua ratione id factum, alias in rebus minutis valde loquaces. Ego certe non intelligo.

Semicinctio.) Hac occaſione locum *Thucydidis* emendabo *VI, 48, p. 267*, ubi loquitur de infelicibus Athenienſibus in Sicilia victis, Ἐκ κλινῶν τινῶν, αἳ ἔτυχον αὐτοῖς ἐνῦσαι τοῖς σπάρτοις, καὶ ἐκ τῶν ἱματίων παραιρήματα ποιῦντες ἀπαγχόμενοι διεφθάρησαν. Quid ibi ſibi vult παραιρήματα? Vox nauci. Scribendum παραρτήματα, aut παραιωρήματα.

Pag. 600: *Pro ariete.*) Debueram *Heinſii* emendationem *utero arietis* in textum recipere. Sed properabundus prætervidi; putans, me intelligere, quæ non intelligebam. Multo majore cum gratia *Ariſtophanes* ſuum ἐριςικὸν ἡλιαςὴν, omni niſu domo exire geſtientem, fingit tanquam aſtutum *Ulyſſem* tentaſſe ſub aſini ventre, in forum ducendi & vendendi, elabi. *Veſp. v. 179.* Hic *Homericus* λῆρος dedit etiam Philoſophis ſubſannandi materiam. Vid. *Aeneas Gazaeus p. 20 init.*

Pag.

Pag. 605: *Ex aratro.*) Sic reſcripſi. Olim erat *ea aratro.* Inveni deinceps meam emendationem occupatam a *Scheffero*, quod mirum non eſt; mirum potius, omnes verum non vidiſſe.

Pag. 607 *propudium* eſt encomium *Eumolpi*, neque ſolis meretricibus id proprium eſt vocabulum, ſed & viris tribuitur. *Scaliger* certe *Scioppium terris propudium* appellat. Ita *proſtibulum Plautus* ad coquum *Aulul. II*, 4, 7, alibi odium, convicium, ſcelus, pharmace, purgamentum.

Pag. 608 *vidulus* eſt ſaccus ſcorteus, comes navigantium. *Vid. Plautus* in *Rudente*. Φασκώλια appellat *Dio Chryſoſt.* p. 110. B. 1: τὰς μὲν οὖν πορφυρεῖς ἀνέλαβον. εἶχον γὰρ αὐτῶν τινὲς ἀργύριον ἐν φασκωλίοις. ἡμεῖς δὲ γυμνοὶ παντελῶς ἐκπεσόντες &c. (Sic leg.) quorum aliquos vicini purpurarum captores, pro pecunia, quam iſtorum miſerorum quidam ſecum in vidulis habebant, reficiebant, & vitæ ſpiritibusque reddebant. *Pythagoras* apud *Stobæum tit.* 40: συνδεῖν ὁσημέραι τὸν ϛρωματόδεσμον (ſic leg.) ὡς ἀποδημίαν εἶναι τὴν τελευτὴν, καὶ δεῖν ἀεὶ συνεσκευασμένως περιμένειν τὸν καιρὸν τῆς ἐκεῖ πορείας.

Pag. 612: *Poteſt eſſe pro munere.*) *Dio Caſſius* p. 730. 1: οὕτω παρὰ τὸ νομιζόμενον καὶ τὴν ζωὴν τιμωρίαν τισὶ καὶ τὸν θάνατον εὐεργεσίαν ἐποίει.

Pag. 613 lin. 3: *Hic eſt.*) Præfigatur perſona *Encolpii*, aut *Gitonis*; *pag.* 614, 1, autem ante *Et præter*, *Eumolpi*.

Pag. 619: *Statuarum ritu patiemur pannos & vincula.*) Non puto, *Petronium* hic de veſtitu ſtatuarum cogitaſſe, neque tertium comparationis ultra immobilitatem extendendum. Vult dicere: an jacebimus, tanquam ſtatuæ, rigidi & immobiles? An, juvenes cum ſimus, patiemur pannis nos ſepeliri, & vinciri? Ceterum de veſtitu ſtatuarum non ignoro. Ita *Ariſtides I, 231*, Smyrnam cum acu pictis togis ſtatuarum comparat: ἀλλ' ἐςὶν ἅπασα ὥσπερ ἀγαλμάτων οἱ κατάπαςοι χιτῶνες. Sic legendum, & in hunc modum *Canterj* quoque verſio corrigenda. In proxime ſequentibus leg.: ἐκ νεώ τε εἰς νεών. Tales nempe veſtes Deorum ſtatuis injiciebantur interdum diebus ſolennibus, ſed ſemper non inhærebant. Velabantur quoque interdum in triſtibus, ut obſcœna ſcilicet ne viderent. Ita *Dio Caſſius* narrat *p. 774. B*, tantum fuiſſe numerum τῶν ἐν τῷ κοινῷ θνησκόντων ὥςε καὶ τὸν τῦ Αὐγύςυ ἀνδριάντα, τὸν ἐν τῷ χωρίῳ ἐκείνῳ ἱδρυμένον, ἑτέρωσέ ποι μετενεχθῆναι, τῦ δὴ μήτ' ἐφορᾷν αὐτὸν τὺς φόνυς νομίζεσθαι, μήτε ἀεὶ καταμαλύπτεσθαι. Alias erant nudi, unde proverbium natum γυμνότερος ἀνδριάντων, apud *Dion. Chryſ. p. 414. A. 10.*

Pag. 621 ante *tanquam* præponatur perſona *Encolpii.*

Pag. 629: *Theſeus.*) Alias *Heſus.* Vide, num quid huc faciat *Hejus* Siculus apud *Cicer. Verr. IV*, aut *Herius Aſinius Italicus* apud *Vellej. Paterc. II, 16.* Alias *Theſeus* nomen eſt poſteriore ætate

non

non infrequens. Id e. c. *Apuleji* patri nomen fuit.

Pag. 630: *Horridos longosque capillos.*) Longos crines alere, vitium erat viris, vel ſuperbiam notantes, (unde *κομᾶν* & *κομητὴς*,) vel *ἀγροικίαν καὶ αὐχμὸν*, & cultus neglectum, quod noſtro loco *Petronius* indicat. *Ariſtoph. Veſp.* 474 appellat tales cincinnos *κράσπεδα στεμμάτων*, quia ut tæniæ corollarum in faciem, præſertim vento jactati, temere diffluebant & fluctuabant, eoque Lacones *κουριῶντας* exagitat.

Pag. 643: *In oculos.*) Conf. hiſtoria ſpectri & *Xerxis* apud *Herodot. Lib. VII*, 18.

Pag. 645: *Stlatarium bellum.*) Mimicum, quale ſolent agyrtæ exhibere. Gloſſ. *Stlatarius: πλάνος. περιστησάμενος πολὺν ὄχλον.*

Pag. 649: *Fuſcina.*) Facete, ut multa alia, in *Sophiſta Plato πληκτικὴν θήραν* appellat.

Pag. 659: *Matrona quædam Epheſi.*) Hanc hiſtoriam eleganti carmine Germanico reddidit Vir Celeberrimus, *Wilh. Dan. Trillerus, Carmin. Germ. P. II. pag.* 215.

Pag. 681: *Nox manifeſta.*) Deerat olim *nox* omnibus. Senſus jubebat ita ſupplere. *Sophocl. Antig.* 596: *ὅμοιον ὥστε ποντίας ἁλὸς οἶδμα δυσπνόοις Θρῄσσαις ὅταν ἔρεβος ἐπιδράμῃ πνοαῖς, κυλίνδει βυσσόθεν κελαινὰν θῖνα καὶ δυσήνεμον, στόνῳ βρέμουσι δ' ἀντιπλῆγες ἀκταί.*

Pag. 689: *Orcam mugientem.*) *Ariſtoph. Pac.* & *Av. Φωνὴν Φάκης.* De importunis Philoſophis vid. *Themiſtius XXI*, *p.* 259; C, D.

Pag. 690: *Maris fidem.*) *Ariſtid. T. I, p. 545, 2:* οἱ δ' ἀπὸ θαλάσσης ἀναβεβηκότες τὴν πατρῴαν ἑςίαν ἀπιςοτέραν τῆς θαλάττης εὗρον.

Pag. 693: *Cibus avidum ſtrangulavit.*) *Aeneas Gazaeus p. 41:* ἢ γὰρ ἐπιθέμενον θηρίον διεσπάραξεν, ἢ λίθος ἐμπεσὼν ἐπάταξεν. ἐνίοτε δὲ πολλὰ πεπωκὼς ἄνθρωπος ἀπεπνίγη, ἢ ὐδὲν πεπωκὼς ἀπεῖπε. πλησμονή τε καὶ λιμὸς ταὐτὸν ἔδρασαν. καὶ μὴν καὶ πόλεμος εἰσβαλὼν τὸν προσπεσόντα κατέσφαξε, καὶ κατέκλυσε θάλασσα, καὶ σεισμὸς κατέχωσε, καὶ σκηπτὸς ἠφάνισε. καὶ ὐ παράδοξον, εἰ τοσύτων ἐν μέσῳ συμπτωμάτων ἁλώσεται, ἀλλ' εἰ πάντα διαφεύξεται. Add. *Simonidis Fragm.* apud *Stobaeum*: ὦ παῖ, τέλος μὲν &c.

Pag. 696: *Impoſitum arce ſublimi opidum.*) Pro *in arce poſitum*, ut illud *Suetonii* in *Nerone Cap. 50: monumentum impoſitum colle*, pro *in colle poſitum.*

Pag. 699. De pera Philoſophorum & pauperum geſtamine omnia nota. Jubeo interim *Apulej. Apolog. p. 120, 121, ed. Sc. Gentil.* legere, & *Philoſtr. p. 147. Burmannum* ſi ſequaris, abſurda erit & ſibi contraria ſententia.

Pag. 705: *Non caballi.*) Vox propria. Vid. *Caſaub. ad Perſ. p. 7, Plutarch. II, 828, E.*

Pag. 715. putem verſum ſic ſupplendum: *Hinc Numidae gallos, illinc ſua vellera Sere.* Galli Numidici Romae erant in deliciis. *Lucian.*: ὄρνις ἐκ Φάσιδος, καὶ ταὼς ἐξ Ἰνδίας, καὶ ἀλεκτρυὼν Νομαδικός. *Ein Truthhahn, ein Calekuti-*

ſcher

ſchar Habn. Paulo poſt: ἀπογεύσασθαι τȣ̃ ταὼ ἢ τȣ̃ νομάδος ἀλεκτρυόνος. Subintelligitur *ferebant*, aut *tulerant*, quod verbum ſæpe ſolet abeſſe, ut in illo *Sophoclis Trachin. v. 1030:* ȣ̓ πῦρ, ȣ̓κ ἔγχος τις ὀνήσιμον; *non ignem, non gladium quis ſalutarem,* ſc. apportabit, porriget? *Ariſtid. T. I p. 513:* μὴ γάρ μοι Λυσίμαχον ἔτι, μηδ᾽ Ἀλέξανδρον αὐτὸν, μηδὲ Θησέα, καὶ μύθȣς. ſc. προσενεγκάτω τις. *Plutarch. Moral. II, p. 897, 14:* καὶ βάσανοι, καὶ πῦρ, καὶ μάστιγες ἐπ᾽ αὐτὸν, ſcil. ἐπεφέροντο. *Horat. Sat. II, 116: Unde mihi lapidem? Unde ſagittas?* Ubi ſuppleri poteſt, vel *porrigat quis*, vel *petam*.

Pag. 716: *Stacte Arabum.*) De myrrha Arabum omnia nota ſunt. Congruit huc locus *Ariſtidis I p. 206 pen.:* Φόρτȣς μὲν ἀπ᾽ Ἰνδῶν, εἰ βȣ́λει δὲ καὶ τῶν εὐδαιμόνων Ἀράβων, τοσȣ́τȣς ὁρᾶν ἔξεστιν, ὥστε εἰκάζειν γυμνὰ τὸ λοιπὸν τοῖς ἐκεῖ λελεῖφθαι τὰ δένδρα, καὶ δεῦρο δεῖν ἐκείνȣς ἐλθεῖν, ἐάν τȣ δέωνται τῶν σφετέρων μεταιτήσοντας.

Pag. 728: *Libera virtus.*) Virtus, quæ ſeſe poteſt cum libertate prodere & emicare, neminem reverita, nemini blandiens. *Ariſtoph. Lyſiſtr. 545:* ἐθέλω δ᾽ ἐπὶ πᾶν ἰέναι μετὰ τῶνδ᾽ ἀρετῆς ἕνεχ᾽ αἷς ἔνι φύσις, ἔνι χάρις, ἔνι δὲ θράσος, ἔνι δὲ σοφὸν, ἔνι φιλόπολις ἀρετὴ φρόνιμος.

Pag. 734: *Inops audacia tuta eſt.*) Conf. *Thucydid. p. 196* ed. *Duk.:* ἡ μὲν πενία τόλμαν παρέχȣσα.

Pag. 732: *Lybico jacet æquore Magnus.*) Conf.

Miſcell. Obſerv. Amſtel. Vol. III p. 82, *Ariſtides* I, p. 152: οἱ πρὸς τῷ Φάρῳ Λίβυες.

Pag. 741: *Cæde creare viros.*) Inepta erat vetus lectio: *quippe cremare viros*. Notum eſt, quod *vir* nude pro viro magno & potente ponatur. Fortuna itaque dicit, ſibi cordi eſſe, per horum cædem illorum fortunas erigere. Et ſane fecit. Cæde *Pompeji* crevit *J. Cæſar*. Cæſorum in bellis civilibus agros & opes & honores arripiebant ſuperſtites victores. Porro dicit, ſibi cordi eſſe, ut luxus ſanguine paſcatur. Victores enim nacti coactas a devictis opes, ad melius eas, quam ad luxum, impendere neſciebant.

Pag. 752: *Vincendo exerceor exſul.*) *Vincendo* poteſt vel ſeorſim capi, & poſt *exſul* poni ſemicolon: quo in caſu foret ſenſus: cœpi nocens eſſe ob ſanguinem Germanum, & ob 60 triumphos, aut poteſt *vincendo* conſtrui cum *ſanguine Germano*, & poſt *triumphis* ſemicolon poni; perinde eſt. Olim erat *vincenda certior exſul*, quod, miror, quare fuerit a ſubtilibus & μικρολόγοις Criticis, qui prurientes etiam ſaniſſima contrectant, præteritum. Intelligi certe a mortalium nemine poteſt.

Qui bella cient.) Olim erat *vident*. Mutare non debueram. Et facti pœnitet. *Videre* enim ὁρᾶν, ἰδεῖν, idem eſt, atque boni conſulere, probare, eligere, circumſpicere, cupere, exſpectare, deſtinare, intendere, quærere, captare, quod exemplis probabo. In ſenſu eligendi & approbandi occurrit ſupra verbum *inſpicere*. *Cap.* 74:

qui

qui vitiorum omnium inimicus rectum iter vitæ cœpit inſpicere. Dio Chryſoſtom. p. 223, B: ποῖ φέρεσθε ἄνθρωποι, — τῶν παίδων, καὶ πρότερον ὑμῶν τῶν πατέρων, ἠμελήκατε ὁμοίως ἅπαντες, ἐδεμίαν ὁρῶντες (circumſpicientes, ἐκλεγόμενοι, προαιρέμενοι,) ἐδὲ παίδευσιν, ἐδὲ ἄσκησιν ἱκανὴν, &c. Idem *p. 329, A*: τὸ λυσιτελὲς οἴονται δεῖν ὁρᾷν ἐξ ἅπαντος. Ubi eſt pro θηρᾷν, *quærere, captare*, niſi quis hoc malit. *Ariſtides I, 117, 10*: τὸ πάντας τὲς ἐν χρείᾳ βοηθείας καταφεύγειν ἐπὶ τὴν πόλιν, καὶ μηδεμίαν τῶν ἄλλων πόλεων ὁρᾷν, & nullam aliam urbem reſpicere, id eſt, nullius alterius urbis auxilium cupere & exſpectare. *Plutarchus* in *Pyrrho pag.* 725, 9, ed. *Steph.*: ἀφειδῶντες ἑαυτῶν, καὶ τὸ τρῶσαι, καὶ καταβαλεῖν ὁρῶντες, τὸ δὲ παθεῖν εἰς ἐδὲν τιθέμενοι, *nihil aliud videntes, quam vulnerare & proſternere*, id eſt, alii nulli rei inhiantes. Pariter ἰχθῦς ὁρᾷν καὶ θαυμάζειν, *piſcibus inhiare*, apud *Aelian. V. H. I, 28. Dio Caſſius p. 683. C*: τὸ τῷ κοινῷ χρήσιμον διὰ πάντων ἰδὼν, *coram oculis habens & curans commune bonum, ſtudens communi bono. Euripid. Hec. 901*: μένειν ἀνάγκη πλῦν ὁρῶντας ἥσυχον. *Exſpectantes.* Multo plura poſſent exempla addi. Sed hæc, ut puto, ſufficient, & docere poterunt, ſi vera ſtatuatur lectio, *qui bella vident*, eam idem notare, atque qui bella ſuadent, cenſent, optant, quærunt, cupiunt. Elegantiſſima certe dictio Græca eſt, οἱ τὸν πόλεμον ὁρῶντες. Poſtliminio itaque revocandum erit *vident* in hoc loco. Homo ſapiens

vitio mihi non vertet, quod ipſe me corrigam. In literis & artibus dies diem docet. Interpretes me non debuerant in errorem inducere & turbare. Debuerant illi melius intelligere; verum rixantur inter ſe de vera lectione, & obſcuras nectunt nugas, e quibus tamen manifeſto videas, eos locum illum non intellexiſſe.

Pag. 757: *Periturorum deiecit tela Gigantum.*) Eſt merus Græciſmus: Κατέβαλε βέλη τῶν γιγάντων, id eſt, ἔβαλε βέλη κατὰ τῶν γιγάντων, *contra gigantes jecit tela*, ut illud apud *Euripid. Herc. fur. v. 759:*

> Τίς ὁ θεὸς ἀνομίᾳ χραίνων, θνητὸς ὤν,
> Ἄφρονα λόγον οὐρανίων μακάρων
> Κατέβαλ᾽, ὡς ἄρ᾽ οὐ σθένουσι θεοί;

Pag. 759: *Etiam magis eſt timor, arma qui tentata velit.*) Etiam hunc locum priorum nullus interpretum intellexit. Ego tantummodo debite interpungendo clarum feci. Idem dicit, quod *Statius X, 488: Eſt, ubi dat vires nimius timor.* Multa in hanc ſententiam ab Auctoribus dicta ſunt, quæ congeſſi ad meum *Petronium*, & augere potuiſſem, ſi placuiſſet. Quia res nota eſt, contentus ero, loca quædam tantum indicaſſe. Vid. *Flor. II, 2, III, 6, 12, Tacit. Agricol. XXXIV, 4, Vellej. Paterc. II, 5, Dio Caſſius pag. 288, E. 641, D Gratius Cyneg. 188, Livius XXI, 24* & *56, Xenoph. Hellen. pag. 599, 1, Plutarch. Mor. II pag. 877* ult. *Polyb. I pag. 8, b.* ed. *Opſop. lin. 27, Thucyd. I, 33 pag. 27, 4, 123, c. f. II, 8* fine *pag. 103, IV, 59. Plato* alicubi integram habet diſputationem de

ἀνδρείοις ἐκ δειλίας, & *Andronic. Rhodius* ad *Ariſtot. Ethic. pag.* 128 *Lib. III Cap.* 8.

Pag. 763: *Avertitur.*) Ἀποστρέφεται. *Ariſtoph. Pac.* 682. *Cavea* ſcripſi pro *galea* ex *Ariſtoph. Pac.* 222: ὁ πόλεμος αὐτὴν ἐνέβαλ' εἰς ἄντρον βαθύ.

Pag. 765: *Multataque ſidera.*) Sic ſcripſi pro *mutataque*. Vid. *Tertullian. Apolog. pag.* 205 ult. ed. *Haverc.*

Pag. 766: *Diſcordia.*) Conf. *Ariſtidei* I, 568.

Pag. 775: *Altius cinctos.*) Veſtis altius ſuccincta eſt βδελυρὰ, hominum aut μικρολόγων, aut vilis conditionis, quos *Theophr. Char. Cap.* X ἐλάττω τῶν μικρῶν ἱμάτια φοροῦντας pingit; ubi forte pro μικρῶν legendum eſt μετρίων, ut apud *Herodot.* II, 32: ἄνδρας μικροὺς μετρίων ἐλάσσονας ἀνδρῶν. Contra honeſtiorum hominum, eruditorum, delicatulorum, erat demiſſa veſtis. Conf. *Dio Caſſius pag.* 345 init. *Lucian, Amor.* init. Φαιδρὰ ἐσθὴς μέχρι ποδῶν τὴν τρυφὴν καθειμένη. *Bentlejus ad Callimach. pag.* 309.

Pag. 776: *Mulio.*) Conf. *Herodot. pag.* 353.

Frigidum Scema.) Properatio procul dubio mihi obfuit, quo minus hic attentus vitium deprehenderem, quod omnes editiones obſedit, & ab interpretum nullo fuit hactenus notatum. Quid enim ſibi vult *frigidum Scema?* Nugantur interpretes. Legendum eſt *frigidum Schemma.* Res per ſe patet.

Pag. 779: *Frons minima.*) Loco *Luciani*, ab interpretibus laudato, ex *Amor.* addi poteſt ille

in *Dial. Meretr.* I: τὰς μὲν τρίχας αὐτὴν ἀραιὰς ἔχουσαν καὶ ἐπὶ πολὺ τοῦ μετώπου ἀπηγμένας.

Pag. 780: *Supercilia* &c.) Hinc patet, male *Burmannum pag.* 267 *a. lin.* 12 *Tertulliani* locum tentaſſe.

Pag. 806: *Aquilis leporem excitavi.*) Proverbium vulgare, ſed apte & facete applicitum. Per aquilam intelligit illum βιαιότατον ἀγκυλοχείλην, δρακόντα πολέμιον, ἁμαλοκράτην, λάβρον, μάργον, ἀλλαντοβόρον, ὀφιοφάγην, ἄπληστον, ἔχιδναν τῶν ἀνδρῶν σπλάγχα διασπαράττουσαν, καὶ τοὺς νεφροὺς αὐτοῖς ἐντέροις ᾑματωμένους διασπῶσαν. Per leporem autem illum ἁπαλὸν, νεαρὸν, δασὺν, ἁδρὸν, εὔτονον, ὅστ᾽ ἔχει μεγάλοντε κέρκον καὶ παχεῖαν καὶ ἐρυθράν. Proverbium inde petitum, quod aquilarum aliqua ſpecies ſoleat lepores venari. Multa huius rei teſtimonia proſtant, quæ tantum indicabo, non adſcribam. Vid. *Phædr.* I, 9, & *Append. Fab.* 19, *Euſtath. Hexaëmer. pag.* 40, *lin.* 3, 4, ibique *Allatius pag.* 186 ed. Lugdun. *Nicander Theriac. v.* 439 — 457, *Apulejus Florid. I pag.* 4, ubi pro *eminus* legendum eſt *eminens*; *Eutecnius Paraphr. Ixieu. Oppiani pag.* 2, *Xenoph. Cyrop.* 2 *pag.* 59, D, *Virgil. Æn. IX.*

Pag. 811: *Catapygare.*) Sic reſcripſi pro vulgato *catarogare*, quod valde doctos exercuit. Germani dicunt *einem einen Product geben.* Vel etiam poteſt peius aliquid notare: actum nempe illum, a quo aliquis καταπύγων nominatur. Vid. *Theocr. Idyll. V.* 41 *ſeq.* Genus hoc pœnæ frequens

frequens apud veteres erat, ut colligimus ex *Diodor. Sicul. XVI pag.* 25, 4, ed. *Obſop. Ariſtophan. Equ.* 723, ubi ῥαφανιδόω appellat, & *Horat. Satyr. I*, 2, v. 133. *Ne nummi pereant, aut pyga, aut denique fama.* Conf. *Idem v.* 93, & *Io. Camenia-tes* apud *Allatium* in *Symmictis pag.* 281. *Liban. T. II pag.* 400, ita per contumeliam factum fuiſſe ſtatuæ *Conſtantii* apud Edeſſam: Χαλκῆν εἰκόνα αὐτῷ καθελόντες οὗτοι ἅπαντες πρηνῆ κατὰ τὸν περὶ (ſic leg.) τοὺς παῖδας ἐν τοῖς διδασκαλείοις νόμον, ἔτυπτον ἱμᾶσι τά τε νῶτα καὶ τὰ μετὰ τούτων, ſcil. podicem. Huc quoque ſpectat aliquo modo ἡ ῥαφανίδωσις.

Pag. 812: *Panthera maculoſior.*) Priorem vocem addidi, quia ſenſus alias pendebat & hiabat. *Lucian. Bis accuſat.*: μιξόλευκοι, καὶ κατεστιγμένοι, καὶ παρδαλωτοὶ τὴν χρόαν. *Dialog. meretr. XII*: ὅλη δὲ ἀπὸ τοῦ αὐχένος ἐς τὰ γόνατα παρδάλει ἔοικεν.

Pag. 815: *Illa ſolo* &c.) In laſcivo ſcriptore fertur. At Scriptorem maxime σεμνότητος ἀντιποιούμενον, intelligo *Ariſtidem*, hinc duxiſſe comparationem, ego certe ægre tuli. *T. I pag.* 253, 3, a fine: ὥσπερ οἱ φάλλοι νεύοντες εἰς μυχὸν ἐκ μετεώρου.

Pag. 816: *Tragici oculos ſuos* &c.) *Nicander* viciſſim auribus viſum tribuit *Ther.* 165: Δοῦπον ὅταν ἐσίδῃ ἠὲ τὴν αὐδὴν ἀθρήσῃ. Ubi Scholiaſtes: αἴσθησις ἀντὶ αἰσθήσεως, ὡς ἐπὶ τοῦ, ὁρῶ σὲ λέγεις.

Pag. 825: *Caballus in clivo.*) Vid. *Eurip. Herc. fur. v.* 120.

Pag.

Pag. 827: *Genothea.*) Neque *Genothea* rectum eſt, neque *Enothea*, quod iſto adhuc pejus. Sed unice verum *Enthea*, ut etiam conjecit *Bourdelotius*. Error natus ex male ſcripto ΕΝΟΕΑ, quod aliquis adſcripto Θ correxit. Inde & prava lectio & emendatio in unum vitioſum vocabulum coaluit. Multa poſſem loca emendare, in quibus Ο & Θ permutata fuerunt. Sed ad finem propero, alias facturus.

Pag. 828: *Lorum in aqua.*) *Ariſtoph. Veſp.* 1333, *Pac.* 904.

Pag. 835: *Scillæ ſcapus.*) Olim erat *lacus*. Scapus idem eſt atque teres ramus & truncus glaber. *Heſych.* Σκάπος. κλάδος. Suſpendebant ſcillam ante fores, quia putabant, eam mures necare, (*Heſych.* in Σκίλλας) aut lupis adverſari, (*Ælian. H. A. I,*) & inſaniæ. *Theocr. Idyll. V*, 121, ubi τίλλοις ad *Myrſonem* redit. *Heinſius* ibi ambitioſe obſcuras ſuas affanias explicat. Conf. idem *Idyll. VII*, 107. *Apulej. de viribus herbarum pag.* 204. *Dioſcorides II*, 202, fine, *Anatolius*, apud *Fabric. Bibl. Gr. pag.* 300 & 297, nn, & *pag.* 322, *Artemid. III*, 50.

Pag. 836: *Numerabat.*) Sic *pag.* 878: Cœperat vitis *uvas adnumerare ſuas*, id eſt, numerandas exhibere.

Pag. 837: *Mitia ſorba.*) *Dio Chryſoſt. pag.* 113, *c. f.*

Pag. 842: *Libaveram.*) *Theocr. Idyll. X*, 6: ἀπὸ τρώγειν τῆς αὔλακος.

Pag.

Pag. 843: *Tribus niſi potionibus.*) *Ariſtoph. Eccleſ. v.* 44.

Pag. 846: *Concrepet omnes cauſſas.*) Eſt Græcum συγκροτεῖν, (illud de militibus notisſimum,) captare, venari, cogere, compellere. Sumtum a comploſione manuum, qua gallinas in cortem cogimus.

Pag. 874: *Cavernas.*) Μέλαθρα. *Oppian. Hal. II v.* 20: Δᾶρά τε τεχνήσαντο ἀγχεῖσαί τε μέλαθρα. *Naves compingere* (non *ligna fabricari*, ut *Rittersbuſius*,) & *excitare ædificia* docuit *Pallas*.

Pag. 875: *Fœcundaque regna Canopi.*) *Oppian. Cyneg. II*, 85, Νεῖλον πυροφόρον appellat. *Liban. pro templis pag.* 21 ed. *Gothofr.*

Pag. 884: *Euſcius.*) Leg. *Syſcius.* Σύσκιος. Natus error ex litera Σ. Scilicet forte ſcriptum fuit ϹΥϹΚΙΟϹ, σύσκιος, ex quo aliquis fecit per errorem ЄΥϹΚΙΟϹ, εὔσκιος. Poſſemus numero plurima exempla allegare, in quibus erratum fuit ob ſimilitudinem harum literarum Є & Ϲ, ε & σ. Sed, quoniam ea proxime ad *Petronium* non ſpectant, & nos præter opinionem & deſtinationem noſtram fuimus prolixi, quamvis haberemus ad eundem multo plura dicenda, ſcitu non indigna, malumus tamen his contenti deſinere, & ſimul lectores diligenter rogare, velint meminiſſe, me deproperatum Schediaſma, non opus triginta annorum, quales ſunt *Burmanni* poſteriores ad *Petronium* curæ, exhibere.

VI. IO.

VI.

IO. SAL. SEMLERI,

SALFELDA-THVRINGI,

VINDICIAE ALIQVOT CICERONIS LOCORVM AB INTENTATIS EMENDATIONIBVS; UBI SIMVL MANVS GYPSATISSIMAE RELEGANTVR.

Eſt in *Ciceronis Epiſtola Libri VII ad Familiares ſexta* locus, qui multos exercuit graviter magis, quam feliciter. Superſedebo iſta opera, qua in recenſendis diviſis maxime ſententiis defungendum eſſet; quia facile ex doctorum virorum notis ad iſtum locum peti poſſunt. Certum illud eſt, nullam ſententiam adhuc ita obtinuiſſe, ut omnibus, ſaltem plurimis, iure placere potuerit. Nuper Vir doctiſſimus, *Chr. Aug. Heumannus*, in *Arte ſua critica*, quæ in *Poecile* habetur, eundem hunc locum attigit: ſed, ut verum fatear, parum item feliciter. Utitur enim (quod fere ſolet,) falce duriori, cum perſuadere conatur, veram lectionem fuiſſe, *manibus diſertiſſimis*, unde poſtea incuria ſcribarum prodierit *gypſatiſſimis*. Mutatio grandis ſane, nec facile credibilis, eſt; quia minime ſolebat iſtud hominum genus ex notiſſimis vocibus exſculpere rariores. Nec multum iuvat, quod longum numerum exemplorum

rum affert, ut manus argutæ *loqui* & *diſertæ* eſſe videantur. Multo minus effecit, ut *Ciceronem* crederemus adeo duriori dictione uſum eſſe, quam vix Poetæ condonaremus: ut cum *Martialis* alicubi *Plinii* fores *diſertas* dixit. Augebo non tam explicationum numerum, quam coniecturarum; &, ſi mea fama in tanta ariolatorum turba in obſcuro ſit, facile iſtorum omnium me fortuna, qui nulli omnibus placuerunt, conſolabor.

Jam primum omnium adſcribam locum integrum, ut minori cum incommodo, vel damno temporis, iudices lecti ſententiam ferre poſſint: *Tu modo ineptias iſtas & deſideria urbis & urbanitatis depone: &, quo conſilio profectus es, id adſiduitate & virtute conſequere. Hoc tibi tam ignoſcemus nos amici, quam ignoverunt Medeæ, quæ Corinthum arcem altam habebant matronæ opulentæ, optimates: quibus illa manibus gypſatisſimis perſuaſit, ne ſibi vitio illæ verterent, quod abeſſet a patria. Nam multi ſuam rem bene geſſere publicam patria procul. Multi, qui domi ætatem agerent, propterea ſunt improbati. Quo in numero tu certe fuiſſes, niſi te extruſiſſemus.*

Deinde annotamus, quod notum eſt, multa ex *Medea Ennii* a *Cicerone* aſſumta eſſe. Quem *Ennium* iam *Muretus Var. Lect. VIII*, 17, obſervat, Græca *Euripidis* fere neglexiſſe, & plane alia ſcripſiſſe, licet bona & optima ſententia. Quod & ceteri antiqui comici tragicique Poetæ facere

ſoliti

ſoliti ſunt, ut facile deprehendet, qui eorum fragmenta cum Græcis *Æſchyli*, *Sophoclis*, *Euripidis*, & aliorum, comparabit. Hanc interpolandi conſuetudinem nec *Cicero* ipſe ignoravit.

Tum magnopere miramur, nemini doctorum & magnorum Criticorum in mentem veniſſe, vel paululum addubitare; iſtane omnia *Ciceronis* verba ſint, quæ ibi leguntur. In editis libris iſta tantum, *Nam multi* &c. minori literarum charactere diſtinguuntur, adeoque pro *Ennianis* habentur. Mihi vero iſta omnia omnino, *quæ Corinthum arcem altam habebant*, *matronæ opulentæ*, *optimates*, *quibus illa manibus gypſatiſſimis*, *Ennii* eſſe, non *Ciceronis*, videntur. Quæſo enim, quare *Cicero*, hic non orator, *Corinthum arcem altam* diceret? Nonne iſta omnia, quæ notavi, verba aperte poeticum produnt habitum, & *Ciceronis* ſe eſſe pernegant? Satis confido, vel leviter iam moritum rei Latinæ peritum lectorem mihi aſſenſurum.

Porro vero, cuius rei cauſa iſta omnia ſcripſi, obtendo & contendo, unica literá mutata legi debere: *Quibus illa in mænibus gypſatiſſimis perſuaſit*, ne ſibi vitio illæ verterent, quod abeſſet a patria:

— — — *Nam multi ſuam*
Rem bene geſſere & publicum patria procul;
Multi, qui domi ætatem egerunt, propterea
Sunt improbati. — —

Manibus vel leviter ſomnolento ſcriptori, aut lectori,

lectori, pro *manibus* acceptum eſt. Ita vero *Medea* Græca, apud *Euripidem*, unam iſtarum opulentarum patronarum alloquitur:

Σοι μεν πολις ηδ εστι και πατρος δομοι.

Unde *Ennius*, qui more aliorum Græca interpolavit addendo de ſuo, *mania gypſatisſima* exſtruxit, cum domum regiam commodius & brevius deſcribere vix poſſet. Hæc breviter ad vexatiſſimum hunc locum. Eruditorum vel iudicia, vel ſuffragia lubens exſpecto.

Alterum *Ciceronis* locum paululum illuſtrabo, quem idem doctiſſimus Vir attigit. Exſtat in *Invectiva ſecunda Cap. XI.* Legitur in pleriſque omnibus vulgatis ita: *Jam vero urbes coloniarum ac municipiorum reſpondebunt Catilinæ tumulis ſilveſtribus.*

Laudatus *Heumannus* in Notis ſuis ad iſtam Orationem hæc ſcribit: *Tumulis ſylveſtribus.*] In Mſſ. *Mureti*, *cumulis*. Sed neque *tumulis*, neque *cumulis*, huic loco congruit. Amicus quidam meus ſuſpicabatur, ſcribendum eſſe, *cuneis ſervilibus*. Servis enim uſum eſſe *Catilinam* militibus, *Salluſtius* docet *Cap.* 24. 30, 44, 45, 56. Sed nec hoc ſe mihi probat. Quid ergo? Credo, omnia hæc verba: *Jam vero — — ſilveſtribus*, eſſe ab aliena manu. Scilicet præcedenti *totius Italiæ* quidam interpretationis cauſa adſcripſerat, *urbis* (i. e. Romæ) *coloniarum*, *ac municipiorum*. Ad ſubſequens *illius latronis*, idem adſcripſerat, tanquam interpres, *Catilinæ*. Unde tria illa verba, *reſpondebunt tumulis ſilve-*

ſtribus, huc ſint invecta, quærat & inveniat alius.

Hæc his verbis Vir doctiſſimus ſcripſit. Qui quidem ſatis recte fecit, quod amici invenuſtam coniecturam repudiavit. Sed ipſe tam inſignem iniuriam *Ciceroni* & aliis facere non debebat, ut tot & tanti viri *Ciceronem* non melius noviſſe videantur. Nemini enim omnium perſuadebit, iſta ab aliena manu eſſe. Primum, quod difficile admodum ſit creditu, in omnia MSta, quorum non exigua multitudo diverſarum ætatum regionumque eſt, ea illata eſſe, ut adeo in nullo nec vola, nec veſtigium, tantæ malignitatis ſuperſit. Deinde, ſi vel maxime aliquis, fraudem fieri omnibus potuiſſe, concedat, tamen caruerunt connexione, & diſtitiſſent aliquo ſpatio, iſtæ gloſſæ, nec tam belle coire poterant. Quo accedit, quod vix credam, adeo inſipidum aliquem fuiſſe, ut Romanorum *municipia* & *colonias* in Italiam concluſerit. Tum, tria iſta verba, cum invenire & excogitare ipſe non potuerit, unde ſint, iſtam augurandi provinciam infeliciter in alios coniecit. Poſt ipſe *Cicero* adverſatur. Nam ſcribit: *neque vero ceteras copias, ornamenta, præſidia veſtra.* Negavi enim, *Ciceronem* ſub *Italiæ* nomine Romanas *colonias* & *municipia* comprehendere potuiſſe; & pernego item, iſtum hoc quaſi ſupplementum Romanæ potentiæ non adieciſſe. Recte vero adhuc Critici hunc locum liberum intactumque reliquerunt, quia ſuo ſenſu non caret, potius abun-

abundat. *Urbibus* Romanis *Cicero* opponit *tumulos Catilinæ ſilveſtres*, i. e. *acervos* raptim congeſtos, e quibus late circumſpici poterat, & ab hoſte caveri. Ita ipſe *Cicero Libro V in Verrem Cap.* 35 fine: *Non enim, ſicut antea conſuetudo erat, prædonum adventum ſignificabat ignis e ſpecula ſublatus, aut* tumulo. Unde varians *Mureti* ſcriptura gloſſa eſt. *Cumulus* enim non incommode in iſta συγχύσει pro *tumulus* ſubſtitui poſſit. Sic fine *Capitis* X eiusdem *Invectivæ ſecundæ*, *Catilinæ* ſocios in *Apenninis* iugis & montibus habere, ſaltim ſuperare eos, dixerat.

Pergo & tertium *Ciceronis* locum ab eodem doctiſſimo Viro defendere. Videtur ſibi in *Arte critica pag.* 14 gloſſema deprehendere in *Cap.* 26 *Libri I de Officiis*. Atque in iſtam ſuſpicionem ingreditur, ob *tertium* gloſſematum noſcendorum *criterium*, *ſi quid minus comte dictum ſit.* Omittam multis diſputare & circumſcribere hoc criterium arctioribus cancellis, quod multis Auctorum locis magis mutilandis & corrumpendis, quam emendandis, locum dare poſſit. Breviter locum adſcribo: *Iisdem temporibus cavendum eſt, ne aſſentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos ſinamus.*

Putat, eſſe tavtologiam *Cicerone* indignam, & merito ſuſpectum eſſe debere uſum τῦ *adulandi* inuſitatum. Liceat pace doctiſſimi Viri diſſentire. Primum non omnis tavtologia eſt nota gloſſematis. Omnes Auctores ſolent nonnun-

quam idem mutatis tantum verbis dicere; præſertim ii, quorum non brevis ſtilus & gravis eſt, & ubi res illud commode patitur. Diligens lector *Ciceronis* talia innumera annotaverit, qualia *Franciſc. Vavaſſor* multa in *Antibarbaro* collegit. Deinde nego, *adulatores* & *aſſentatores* hic eosdem homines eſſe; *adulatores* magis ſervi ſunt & illiberales, quam aſſentatores. Tum magnopere mirandum eſſet, *Marcelli Nonii* iam temporibus iſtud gloſſema in omnes *Ciceronis* Codices irrepſiſſe, quibus ſat boni adhuc exempli exemplaria erant, ad quæ illi a Grammaticis comparari ſolebant. *Nonius* autem in *adulari* his iisdem verbis hunc locum exhibet. Poſt cadit plane ratio gloſſematis, quia per ſe omnia clara & plana ſunt. Denique neſcio, cur inuſitatum hunc uſum dicat Vir doctiſſimus, cum multi alii eo verbo ita uſi ſint. Ita *Priſcianus Libro VIII Gramm.* affert ex *Caſſio Hemina*, *adulati*, κολακευθέντες. Ita uſus eſt *Lucretius*, *Accius*, immo, ex *Adriani Turnebi* ſententia, ipſe *Cicero*, qui, fragmentum totum de *Promethei* cruciatibus a *Cicerone* verſum eſſe, putat, & illum verſum:

Pinnata cauda noſtrum adulat ſanguinem,

tantum ex *Accio* ſervaſſe & aſſumſiſſe. Adeo non opus eſt, pluribus defendere vulgatam lectionem, & *Cicero* illa moleſte ſedula cura lubenter carebit.

Quartum addo *Ciceronis* locum de *Officiis Lib. II Cap. 16.* Miratur doctiſſimus *Heumannus*

pag.

pag. 38 in *Arte critica*, neminem vidiſſe in illo gloſſema. Adſcribo, ut iudicare liceat, rectene id invenerit, quod putat, an ſecus: *Cum præſertim* (apparatione popularium munerum) *nec neceſſitati ſubveniatur, nec dignitas augeatur, ipſaque illa delectatio multitudinis ſit ad breve exiguumque tempus, eaque a leviſſimo quoque: in quo tamen ipſo una cum ſatietate memoria quoque moriatur voluptatis.*

Iſta verba, *a leviſſimo quoque*, eliminanda putat, quia non coniungi poſſint cum ceteris verbis, inter quæ interiacent media; & quod illa, *in quo tamen ipſo* &c. conſtruenda ſint cum voce *tempus.* Neceſſario ergo eiicienda eſſe; & aliquem de ſuo velut alteram rationem addidiſſe.

Sed, quod negat Vir doctiſſimus, iſta conciliare poſſe cum ceteris, id pace bona ipſius licebit pernegare. *Eaque delectatio a leviſſimo quoque*, ſcil. ſit, proficiſci poſſit; hanc ipſam ſententiam *Cicero* repetit ſtatim & mollit. Nam addit: *Bene etiam colligit, hæc pueris & mulieribus — — eſſe grata. Gravi vero homini, & ea, quæ fiunt, iudicio certo ponderanti, probari poſſe nullo modo.* Iam corrigit ſe: *Quanquam intelligo, in noſtra civitate inveteraſſe etiam a bonis temporibus, ut ſplendor ædilitatum ab optimis viris poſtuletur.* Et addit exempla. Quæ, quæſo, cur *Cicero* ſuperaddat, niſi antea contrarium defendiſſet, *bonos viros* munera non edere? Accedit, quod iſta, de quibus loquimur, ex *Ariſtotelis* &

 alio-

aliorum ſententia diſputaverit; ſuam vero ideo interponat, quia Romæ neceſſitas illud exigebat, nec a peſſimis ſolum, ut iſti Græci dicebantur, ſed & ab optimis quibusque viris, talia exſpectabantur.

Nec video, quis ſenſus ſit, in quo *exiguo tempore* memoria quoque moritur voluptatis. Potius, *in quo*, intelligendum eſt, toto negotio, in qua tota cauſa. Adeo, cum *Cicero* non conſentiat, nec eruditi conſentire debent in immeritum iſtorum verborum exilium.

Tandem, ne hodierni Critici ſoli hic ibi hallucinari videantur, addam adhuc *Ciceronis* locum ex *Lib. II de natura Deorum Cap. 26*, quem olim *Juſtus Lipſius* tentavit, quaſi corruptum. Fuit ille cogitatus & ſæpe, licet non ſemper, felix, augur. *Libro I Saturnaliorum*, elegantiſſimi operis, venit ad *Ciceronis* locum: *Ut Portunus a Porta, ſic Neptunus a nando, paululum primis literis immutatis.*

Hic iam ſcribit: Neptunus a nando? Quomodo poteſt? Rem ſpectem, ſive verba, infelix tua originatio, *Cicero*, imo falſa. *Varro* melius, *Neptunus*, inquit, *quod mare terras obnubit.* Sed, mea fide, nunquam fugit id verbum ab ore *Marci.* Corruptum locum aſſero, ſcribendumque eſſe, *a nubendo*, vel *nuptu.* Res auctor eſt, & *Cicero* ipſe, qui comparat Neptuni etymon cum *Portunni.*

Hæc *Lipſio* ibi exciderunt. Quæ ne quem in errorem inducant, ut ipſi accredat. Paucis rationem reddo. *Libro III de natura Deorum,* ubi

ubi fere omnia, antea diſputata, repetuntur, *Cap.* 24 ita fere legimus: *Quanquam, quoniam Neptunum a nando appellatum putas, nullum erit nomen, quod non poſſis una litera explicare, unde dictum ſit. In quo quidem tu mihi magis natare viſus es, quam ipſe Neptunus.* Hæc aperte contra *Lipſium* ſunt. Nam hic aſſeritur, in tentato veriberbio unam literam tantum ſimilem eſſe, & tamen inde originem ductam eſſe. Et τὸ *nare* explicat per *natare.* Adeo, licet ineptum omnino ſit *Ciceronis* etymon, tamen mutandum ideo non eſt. Qui quidem in etymologiis nonnunquam magis ineptit, quam *Varro;* & ab *Iſidoro*, *Papia*, *Mammotrecto*, *Jo. Conſtantienſi*, & aliis Gloſſatoribus, parvo intervallo abeſt. Unde recte omnino credam, *Varronem* rationes Latinæ linguæ melius ſciviſſe, quam *Ciceronem*, licet hic lingua ipſa melius uſus ſit.

VII.

FRID. OTTONIS MENCKENII LIBRORUM, HAUD ITA DIU AB INVENTA ARTE TYPOGRAPHICA EDITORUM, QUIBUS SUPPLERI POSSINT ANNALES TYPOGRAPHICI MAITTAIRIANI, DECAS QUARTA, EIUSQUE PRIOR PARS.

Quid aut præſtitum a me huc uſque ſit in hoc literariæ Hiſtoriæ agello excolendo, aut præſtiturus deinde ſim, tu, Lector, etiam me nihil horum monente, ignorare non potes. Itaque te cupidum legendi ea, quæ mihi de libris rarioribus, & vetuſtatis quaſi quodam muco obductis, dicenda reſtant, minime morabor, ſed, bona omnia de tuo in me & mea ſtudia animo ſperans, quem nuper a me cœptum meminiſti, ſtrenue iam alacriterque curſum proſequar. Quartæ librorum Decadis Partem hanc priorem, quam dicendorum copia ſolito longiorem effecit, altera quam proxime ſequetur.

I. *Bartholomæi Fontii Orationes ſex, Vita Pauli Ghiacceti, Donatus, ſive de Pœnitentia.* 4.

Ipſe confinxi, non transſcripſi, titulum, quippe quem libro Autor ſuus nullum addidit. Eſt hoc *Fontiano* huic operi cum multis aliis, haud ita diu ab inventa arte typographica excuſis, commune; quorum argumenta ex nigro tantum cognoſcere, non ex rubro, licet. *Maittairius*, qui in *Appendice Indicis Annalium* ſuorum nominat hunc librum, ſed ita nominat, ut ſatis pateat, nec viſum ei unquam, nec ſatis notum aliunde, fuiſſe, hunc minus plenum eius indicem facit: *Barthol. Fontii Orationes.* Non enim, quæ opere hoc continentur, tantum ſunt

Orationes:

Orationes: etſi hæ præcipuam eius partem faciunt; ſed acceſſit his *Vita Ghiacceti* hiſtoria, cum diligenter elaborata *de poenitentia*, argumento gravi, diſputatione. Itaque, ſi, quæ opere hoc exhibentur, ſingula nominare noluit, rectius hanc ei inſcriptionem dediſſet *Maittairius*: *Bartholomæi Fontii Opuſcula*. Ita & nobis dici poterant; ſed aliter diximus, quia id etiam potuimus. Nec titulo tantum hic liber, ſed anni etiam locique natalis, & typographi, ex cuius officina prodiit, indicio, caret. Sub ipſa artis typographicæ incunabula, & in Italia, editum, ipſa literarum forma, & nitor chartæ, oſtendunt. Ipſius cura *Fontii* hunc prodiiſſe, minime dubitare nos huius ad *Laurentium Medicem* epiſtola, operi præmiſſa, patitur. Satis autem bene, ut mihi quidem videtur, ſuſpicatur *Jo. Cinellius* in *Biblioteca volante Scanz. II pag. 329* editionis novæ Venetæ, Florentiæ in lucem exiiſſe librum A. 1477 ex officina *Jo. Jacobi di Ripoli*, hoc argumento ductus, quod ſit eodem anno, eademque in urbe, eiusdem denique typographi prelo, *Fontii* huius *Commentarius in Perſium* excuſus. Satis hæc, inquam, probabilis coniectura, niſi forte de anno aliqui dubitandum putent, quod nulla nos ratio ad credendum ducat, eodem tempore opus utrumque editum. De urbe autem ideo maxime ſibi nos conſentientes habeat *Cinellius*, quod Florentiæ & vixerit, & publice literas docuerit, *Fontius*, ſitque *Laurentio*, Florentinæ

urbis domino, inſcriptum opus. Multo autem vulgatior, notiorque eruditis, prima hac editione, ab ipſo *Fontio* curata, illa altera eſt, quam longo tempore poſt, anno nempe 1621, Francofurti, forma minore, foras exire, ſua ornatam Præfatione, & *Fontiano in Perſium Commentario*, nec non eiusdem *de Menſuris & Ponderibus* libello poetico, *Saxettas* inſcripto, & *Dialogo de Pudicitia & coniugio*, locupletatam, iuſſit *Georgius Remus*, JCtus Altorfinus, hoc quidem indice: *Opera exquiſitiſſima Bartholomæi Fontii, Viri Clariſſimi, familiaris Matthiæ, Regis Pannoniarum, ad Illuſtriſſimum & Celſiſſimum Principem D. Auguſtum, Brunſuic. & Luneburgi Ducem; cum Præfatione Georgii Remi.* De qua, ne longi ſimus, nihil iam dicemus, ſatis habentes, quod dici de priore poſſit. Hanc, ut dixi, *Laurentio Medici* nuncupavit *Fontius*, id æquum iuſtumque ratus, ut, quæ unius beneficio *Laurentii* recitatæ publice eſſent, eiusdem auctoritate & auſpiciis in lucem & conſpectum omnium prodirent. Brevior, qua id factum, epiſtola eſt, ſed plena amoris & obſervantiæ, nec ineleganter ſcripta. Ex hac diſcere nobis illud licet, in animo fuiſſe *Fontio*, integram rerum a *Laurentio*, & eius maioribus, geſtarum hiſtoriam componere; quam ille poſtea, ad *Matthiam Corvinum*, Regem Hungariæ, vocatus, curam depoſuiſſe videtur; niſi forte aliud huius Auctoris opus, *Annales ſuorum temporum, ab A.* 1488 *ad A.* 1483, inſcriptum,

ſcriptum, quod, ipſius manu ſcriptum *Fontii*, nunc etiam aſſervari Florentiæ in Bibliotheca Marchionis *Franciſci Riccardi* dicitur *Julio Negri* in *Iſtor. degli Scritt. Fior. pag.* 82, & *Jo. Alb. Fabricio* in *Bibl. Lat. med. & inf. æt. Lib. VI pag.* 532, ſit illa ipſa gentis Mediceæ, quæ ætate illa inprimis floruit, hiſtoria. Orationes, quas volumine hoc complexus eſt *Fontius*, numero ſex ſunt, huius quidem argumenti: *in Eloquentiam; in Hiſtoriam; in bonas artes; in Poeticam; in Sapientiam; in Satyram, & ſtudia humanitatis*. Singulæ recitatæ ſunt ſub initium prælectionum publicarum in *Ciceronem*, *Valerium Flaccum*, *Lucanum*, *Cæſarem*, & *Juvenalem*, qui fere præcipui inter veteres eloquentiæ, poetices, hiſtoriæ, & ſapientiæ, magiſtri fuerunt. Harum igitur artium, quæ iure ſuo nobiliſſimæ habentur, non dignitatem tantum exquiſitis Auctor laudibus proſequitur, ſed ſtudium etiam ita commendat iuventuti, ut, lectis his Orationibus, nemo non vehementi quodam ſentiat ſe humaniorum literarum amore inflammatum. Præſtitum id ante *Fontium* ab aliis ſcimus, ſed neſcio, an in his multi ſint, qui oratione id tam gravi, tam eleganti, tam ad exemplum veterum compoſita, præſtiterint. Brevior, neque tamen ieiunus, Orator eſt, amans pondera, non cumulos, ſententiarum, nec in re, quæ ſuis ipſa ornamentis abundat, inanium verborum ſtudioſus. In eo autem præcipuum quoddam *Fontianæ* hæ Orationes præ ſimilibus

aliorum

aliorum multis mihi quidem habere decus videntur, quod ipſæ artium illarum, quarum laudes explicantur, origines & incrementa ſatis hic pro ætate illa diligenter deſcriptæ, & ab ultimis inde temporibus ad eam, qua ipſe vixit *Fontius*, ætatem eorum aut nomina collecta, aut laudata ſint merita, quos artes illæ ſive auctores, ſive amatores & magiſtros, maxime illuſtres habuerunt. *Vita Pauli Ghiacceti*, Orationibus ſubiuncta, talis eſt, meo quidem iudicio, qualem ſcripſiſſe neminem pudeat veterum, etiam qui famæ habent plurimum, Hiſtoricorum. Imitatus hic *Nepotem* inprimis, aut *Salluſtium*, videtur *Fontius*, ad quorum elegantiam & dicendi facilitatem Hiſtoria hæc proxime accedit. Itaque ex uno hoc paucarum plagularum ſpecimine haud obſcure intelligitur, ſi plenior quædam integrarum gentium, aut bellorum, aut magnorum imperiorum, ſcribenda *Fontio* hiſtoria fuiſſet, ita ei ſucceſſurum laborem hunc fuiſſe, ut inter nobiliſſimos ætatis noſtræ Hiſtoricos locum ei promittere haud poſtremum licuiſſet. Magna omni tempore *Ghiaccetæ* gentis in civitatem Florentinam merita fuerunt; & illuſtriſſimis *Paulus* iſte maioribus ortus, ſub initium Seculi XV non ſolum munera inter ſuos ſplendidiſſima geſſit, ſed multas etiam præclariſſimasque ad maximos Italiæ Principes legationes obiit, & in his omnibus luculenta excellentis ingenii, magnæ prudentiæ, & in patriam amoris ſummi, documenta edidit; a literis præterea adeo

non

non alienus, ut his otii, ſi quod ipſi a curis rei publicæ ſupereſſet, partem maximam tribueret, & viros doctos, maxime vero *Leonardum Brunum*, quem ſua ætate, *Fontius* ait, principatum tenuiſſe eloquentiæ, ſtudioſiſſime coleret. Horum igitur, quæcunque pertinent ad munera, legationes, ingenium, & mores *Ghiacceti*, narratio hic non plena tantum, ſed facilis etiam, & perſpicua, & oratoriis pigmentis deſtituta, & a pura Latinaque dictione plurimum habens ſuavitatis, legitur; nec gratiæ hic quidquam *Fontius*, ſed omnia, ut ipſe ait, veritati, dedit, fidem ſecutus eorum hominum, quibus rerum a *Ghiacceto* geſtarum nihil ignotum fuerat. Ut aliquod Lectores mei dictionis *Fontianæ* ſpecimen habeant, legenda his narrationis huius verba poſtrema dabo, quibus, dubito, an dici aliquid gravius, & elegantius, & magis Latine, poſſit. *Et mirabitur aliquis*, inquit, *cum omnis ætas, omnis ſexus, omnis civitas, omnis ager, omnis denique Italia, tam benefici, tam prudentis, tam magnanimi, tam de omni hominum genere optime meriti, vitam dilexerit, mortem defleverit, memoriam coluerit, ſi ipſe quoque ſanctiſſimis eius moribus, præclariſſimis rebus geſtis, permotus, hæc breviter fideliterque deſcripſerim, non alicuius gratiam benevolentiamque, ſed veritatem, ſecutus, ea tantum mandando literis, quæ aut ipſe accuratisſime ſcripta legerim, aut a ſenioribus viris, probatisſimis civibus laudatisſimisque, acceperim,*

xerim, *ne Pauli Ghiacceti*, *tam ſancti viri*, *memoria aevo longiore intercideret*: *eiusque exemplo animi permoverentur noſtrorum civium ad bene de re publica promerendum*, *& immortalem gloriam conſequendam.* Opuſculorum *Fontianorum* ultimum eſt *Donatus*, *ſive de poenitentia*, *Iuliano Medici*, *Petri* filio, inſcriptum. Dialogiſmi forma indutum, ea continet, quae de poenitentia, eiusque vera ratione, & ad aeternam hominum ſalutem neceſſitate, ex ore *Donati Accialoli*, facundiſſimi & res divinas egregie docti hominis, *Fontius* acceperat. Atque hoc argumentum, ut per ſe momenti maximi, ita hoc in loco accurate diligenterque pertractatum eſt, nec aliunde melius cognoſcere naturam poenitentiae, quae recte hic dicitur *pro perpetrato facinore dolor vehemens cum certo propoſito non peccandi*, *beneque ſemper agendi*, liceat. Eſt autem dos libelli haec praecipua, quod caput hoc doctrinae ſacrae, novum quodammodo, & *Ciceroni*, aut huic ſimilibus, prorſus incognitum, explicare hic Auctor ſermone ſciverit non tali, qualis plurimorum eſt, in argumento novo novis vocabulis & formulis utentium, ſed puro, & Latino, & aetate aurea digniſſimo. Gratam hoc facere libelli lectionem etiam iis poteſt, qui alieni ab illis ſacris, neque adeo cupidi ſunt legendi ea, quae ab homine Pontificio de re ad animorum correctionem pertinente diſputata ſunt. Sufficiat haec de libro, quem ante oculos habemus, ratione dixiſſe; iam de

auctore

auctore eius, quæ nobis ſunt cognita, paucis addemus. Illuſtre huic inter eos, a quibus Seculo XV Muſas, olim exules, in Italiam reductas conſtat, nomen fuit. Æqualem igitur, & amicitia ſibi coniunctum, habuerunt maximi homines, *Marſilius Ficinus*, *Hermolaus Barbarus*, *Jo. Picus*, *Hieron. Donatus*, *Chriſtoph. Landinus*, & quicunque illa ætate doctrinæ elegantioris laude floruerunt. Patria ei Florentia fuit, eademque in urbe complures annos publice docuit eloquentiam; cuius ſtudii fructus fuerunt Orationes illæ, paulo ante memoratæ. De hac eius dicendi facultate ita canit civis eius & æqualis, *Ugolinus Verinus*, *Lib. II de illuſtrat. Urbis*:

Fontius eſt Rhetor pubis moderator Etruſcæ,
Judicio, & nulli morum pietate ſecundus.

Doctrinæ, quæ in eo ſingularis fuit, fama permotus, *Matthias Corvinus*, Hungarorum Rex, eum ad ſe vocavit Budam, & Bibliothecæ ſuæ, tot ſcriptorum laudibus celebratiſſimæ, præfecit cuſtodem; quo ille munere ad ipſum uſque vitæ exitum videtur perfunctus. Quo anno ſive natus, ſive mortuus, fuerit *Fontius*, non invenio ab ullo eorum, qui de vita eius pluribus commemorarunt, annotatum. Scriptorum quicquid aut edidit, aut ſua ſcriptum manu reliquit, iis, qui talia æſtimare ſciunt, in magno pretio habetur. Præter hæc, quæ ſupra nominavimus, exſtat eius *Commentarius in*

Perſium,

Perſium, Florentiæ, ut diximus, A. 1477, poſtea Venetiis A. 1482, qua editione ipſe utor, eademque in urbe A. 1491, ſæpiusque aliis in locis, editus. Sunt hæ editiones diligenter collectæ a *Jo. Alb. Fabricio* in *Biblioth. Lat. Vol. II Cap. 12 pag. 395*. Præterea *Epiſtolas Phalaridis*, quas ex Græco in Latinum transtulerat *Franc. Aretinus*, in Italicum ſermonem ab eo converſas, docent *Negri l. c.* & Auctores Diarii, *Giornale de' Letterati d' Italia* inſcripti, *T. XI pag. 274*; idque laboris Florentiæ A. 1491 publici ab eo iuris factum, ex *Fabricii Biblioth. Lat. med. & inf. æt. Lib. VI pag. 532* diſcimus. Ex *Annalibus ſuorum temporum*, paulo ante nominatis, excerptam aliquam partem, qua agitur de morte *Franciſci Philelphi*, dederunt iidem, quos modo diximus, Diarii Veneti, *Giorn. de' Lett. d' It.* Auctores, *T. XVII pag. 332*. Patet ex hoc fragmento, incidiſſe mortem *Philelphi* in annum 1481, & docto huic homini in munere docendarum Florentiæ Græcarum literarum noſtrum *Fontium* ſucceſſiſſe. Inter Italica *Hieronymi Benivieni* Carmina, neſcio quo in loco edita, unum *Fontii* Canticum, quod Italis *Sonetto* dicitur, exſtare, annotatum video a *Jo. Mario Creſcimbenio* in *Commentarj intorno all' Iſtoria della Volg. Poeſia Vol. IV Lib. I pag. m. 26*. Fortaſſe autem melius nobis de poetica *Fontii* facultate exiſtimare liceret, ſi, quem in ſua olim Bibliotheca ſervaſſe *Raphael Trichettus du Freſne* dicitur *Negrio* in *Iſt. degli Scritt.*

Fior.

Flor. pag. 82, *Fontii* in libros *de Poetica* (*Ariſtotelis*, ni fallor,) Commentario, ipſius manu Auctoris ſcripto, in publicam exire lucem contigiſſet. Idem *Negrius*, Florentiæ in Bibliotheca *Franc. Riccardi* adhuc oſtendi doctiſſimas *Fontii* in *T. Livium* & *Juvenalem* animadverſiones, pro certo & explorato refert. Hæc, & ſi qua alia ingenii *Fontiani* monumenta paſſim exſtant, dolendum eſt ſane, nullius adhuc viri docti beneficio e ſuis tenebris egreſſa, nec dubitandum videtur, ſi quis civium Florentinorum, quorum multi ſatis ad id apti ſunt, hæc Manibus *Fontianis* quaſi iuſta perſolverit, bene eum de literis, & harum ſtudioſis, meriturum. Uni *Fontii* Epiſtolæ Latinæ, ad *Robertum Salviatum* ex Hungaria perſcriptæ, locus datus in libro *Epiſtolarum Jo. Pici*, cum ceteris *Pici* Operibus coniunctim publicato Argentinæ A. 1504, *pag. 110.* In hac, amoris erga *Picum* & *Salviatum* pleniſſima, ſuæ ipſe Orationis, Budæ coram *Matthia Corvino* habitæ, & ad *Salviatum* transmiſſæ, mentionem facit, quam, nunquam, quod ego quidem ſciam, editam, ſi exſtat adhuc in Bibliothecæ alicuius forulis, edi ego, ſermonis *Fontiani* elegantia captus, vehementer cuperem. Plures eius ad viros doctos epiſtolæ, quæ quidem ſint editæ, mihi non ſunt cognitæ; at illud tamen ſatis conſtat, perpetuum ei cum nobiliſſimis Italiæ civibus commercium interceſſiſſe epiſtolare. Certe inter Epiſtolas *Marſilii Ficini* duæ *Libro I* & *III* leguntur,

guntur, quarum altera *Barth. Fontio & Alexandro Baccio*, altera *Fontio Rhetori*, inſcripta eſt. Atque in hac poſtrema reſpondetur literis *Fontii*, quibus is quæſiverat ex *Ficino*, *cuius* ipſe *vel imperio compulſus*, *vel auctoritate fretus*, *ſolutæ orationi nonnunquam poeticos modos numerosque interſerat*. Idem *Ficinus* in *Compendio Philoſophiæ Platonicæ* Orationem *Fontii de Homine*; inter has, de quibus dixi, minime obviam, non memorat tantum, ſed laudat etiam, hoc quidem modo: *Latiſſime a Medicis explicatam de Humoribus, complexionibusque, & mirabili humani corporis artificio, atque elegantiam Platonis in hominis corpore deſcribendo adeo admiratus eſt Bartholomæus Fontius noſter, Rhetor egregius, ut præclara Oratione probaverit, neque Lactantium, neque Cornelium Celſum, neque Ciceronem ipſum, in re deſcribenda ad mentem Platonis accedere potuiſſe.* Ceterum, *Orationibus* eius plus, quam *Commentario in Perſium*, pretii a viris doctis ſtatutum, Auctor docet *Dialogi de Latinæ linguæ reparat. pag.* 412. *Fontius*, ait, & *ipſe non parum in Perſio meruit: ſed illius Orationes maiore quodam favore excipiuntur.* Hunc *in Perſium Commentarium*, vivente adhuc Auctore editum, in Bibliotheca Vindobonenſi latere MStum, nec adhuc lucem vidiſſe publicam, parum accurate ſcribunt Auctores illi, a quibus *Conr. Geſneri Bibliotheca* in *Epitomen* redacta eſt, *pag.* 104 quem illis errorem non immerito exprobravit *Caſp. Maſſa* in

libro

libro *della Vita, origine, e patria, di Aulo Perſio pag. 17.* Illud addo, inter Carmina *Angeli Politiani*, quæ *Operibus* eius ſunt addita, Epigramma legi *ad Fontium*, A. 1469, ætatis ſuæ anno tertio decimo, a *Politiano* compoſitum. Atque hunc *Politianum* poſtea *Fontius* in publico docendi Florentinam iuventutem munere Collegam habuit, ut certis documentis demonſtratum eſt a *Jac. Gaddio Tomo II de Scriptor. non eccleſ. pag. 130.* Præ ceteris autem omnibus maximi fecit *Hieronymum Savanarolum*, cuius orationibus ſacris frequens interfuit auditor, & cuius famam adverſus hoſtes, quos habuit non paucos, ore ſcriptisque ſtrenue defendit. Teſtes eius rei habemus vitæ *Savanarolanæ* ſcriptores, *Pacificum Burlamacchum*, & *Serafinum Razzum*, a *Negrio l. c.* nominatos. Præcipuum *Fontii* in literas meritum hoc fuit, quod primus de edendo *Celſo*, Latinorum Medicorum principe, cogitavit, & ex Codicibus MStis numero multis, quos Gallorum inprimis Bibliothecæ ſuppeditaverant, deſcriptum hunc Auctorem, Florentiæ A. 1478 literis *Nicolai*, formæ maioris volumine, excudendum curavit. Eſt hæc editio, quam illuſtris illa, & olim in noſtra hac urbe vix ſimilem ſui habens, Bibliotheca *Platneriana* ſervavit, *Fontii* ad *Saxettum* epiſtola ornata; unde ſcilicet, quid præſtiterit ipſe in hoc genere laboris, plenius cognoſci poteſt. Mirum eſt, nec a *Fabricio*, nec ab alio quoquam eorum, qui nobis veterum Scriptorum hiſtoriam literariam tradide-

ſunt, ea de re verbo commemoratum. Nihil ſuperest, niſi ut doceam lectores, alium ab hoc, de quo egimus, *Bartholomaeum Fontium*, ortu Venetum, ſub initia Seculi XVI claruiſſe, in malae notae Scriptorum numerum in Indice Tridentino, relatum. De noſtro, ut alios Scriptores taceam, ex inſtituto egit *P. Balius* in *Dict. hiſt. & crit. T. II pag. 1193*, ſed cui ſatis fuit, ex multis, quae & poterant & debebant commemorari, pauca attigiſſe.

II. *Theophili Brixiani de Vita ſolitaria & civili, ad invictiſſ. Principem Guidonem Ubaldum Monferetrium, Urbini Ducem, Dialogus. Eiusdem de Vita & moribus Divi Bernardi, Abbae Claravalenſis, Carmen encomiaſticon. 4.*

Fontiano illi, paullo ante memorato, ſimilis in eo liber praeſens eſt, quod & indice, & loci annique natalis nota, careat. Nam, quae modo adſcripſimus verba, non in prima libri pagina, quam *Elegia ad Calliopen* ornat, ſed, partim in quarta ſub initium Dialogi, partim in ſexta & trigeſima ante *Vitam Bernhardi*, leguntur. Anni autem, quo excuſus liber, nuſquam hic veſtigium apparet; nec urbem, aut officinam, ex qua prodiit hic partus, nominatam invenio. Diſcrepat igitur noſtra haec editio ab altera illa, Brixiae A. 1496 a *Bernardino Miſinta*, Papienſi, typis exſcripta, quam & in

Annalibus ſuis *Maittairius* annotavit, & pluribus deſcripſit eximium illud Italiæ purpuratæ decus, *Angelus Maria Quirinius*, in operis doctiſſimi *de Brixiana literatura renatarum literarum ætate Parte II pag. 280.* Habet enim hæc ipſa dotes quasdam præ altera, quæ noſtra eſt, præcipuas, exhibens adiunctos *Dialgo de vita ſolitaria & civili*, & *Vita Bernardi*, Hymnos novem, Sapphico carminis genere concluſos, & *Simoni Ticinenſi, Iuſtinianæ Congregationis Ord. S. Benedicti Præſidenti*, breviori epiſtola inſcriptos: tres nempe *in ſolennitate Beatiſſimi Patris Benedicti*, totidem *in ſolennitate Divi Lucæ Evangeliſtæ*, tresque alios *in ſolennitate Beatæ Juſtinæ, ad Veſperas, ad Nocturnum*, & *ad Laudes*, decantatos; præterea epiſtolam, quæ ſub libri finem legitur, *Heliæ Capreoli* ad *Auguſtinum Æmilium*, qua *Dialogi de vita ſolitaria* exemplar transmittit *Æmilio*, &, ſuo factum ſuaſu & conſilio, ſcribit *Capreolus*, ut in publicam exire lucem *Theophilus* limatiſſimum hoc ſuum Carmen pateretur. Hæc, inquam, omnia exulant editione noſtra; nec mutilo me exemplari uti, ſatis certo colligere vel ex eo licet, quod poſtremam libri paginam, quæ *Vitæ Bernhardi* finem exhibet, verba hæc claudant: *Deo autem gloria.* Exornat tamen noſtram etiam editionem tanquam gemma quædam, qua Brixienſem alteram carere, illud argumento eſt, quod eam Eminentiſſ. *Quirinus*, nihil eorum, quæ editione illa continentur, intactum relinquens, multa etiam, in-

de transſcripta, repetens, ne verbo quidem memoret. Eſt hæc *Theophili* ad Ill. Principem *Guidonem Ubaldum*, Monferetrium Urbini Ducem, epiſtola, nuncupandi Dialogi cauſa ſcripta, brevior illa quidem, at ſatis illi Principi honorifica, & illud ſimul docens, in magna *Theophilum* penes hunc Principem gratia fuiſſe, eodemque hortatore conſilium ſuſcepiſſe ſcribendi maioris carminis, quod num manu deinde Auctoris ſui exierit, cuius etiam argumenti fuerit, prorſus mihi fateor incognitum. Hanc ego epiſtolam, exemplum ſecuturus Emin. *Quirini*, qui duas nobis alias *Theophili*, ad *Ludov. Martinengum* & *Simonem Ticinenſem*, epiſtolas, illam item *Capreoli* ad *Æmilium*, legendas dedit, huc, ut plenam ſic, Lector, utriusque editionis hiſtoriam habeas, nec minus diligens fuiſſe in deſcribenda mea, quam fuit *Quirinus* in ſua, dicar, integram apponam. Eſt igitur hæc: *Cupienti in vulgum prodire Dialogo, Princeps inclyte, duo ſeſe maxime obiiciebant: quibus mallet domi ſesſitans deliteſcere, quam foris hallucinans peregrinari. Nam & naſutiſſimam Catonum excusſionem, & argutulos Zoilorum morſus, non poterat ſui conſcius non expaveſcere. At, ubi ſe nominis illius titulo inſignitum iri conſpexit: quo neque ſublimius, neque perfectius, quidquam cœlum terris hac tempeſtate ſit elargitum, intrepidus in aciem, tanquam Achillis clypeo munitus, repente proſiliit; ſatis ſe de Diis hominibusque promeritum exiſtimans, ſi Arethes tua Fano, quantu-*

lum-

lumcumque id eſt, quod poſſidet, appenderit. Operoſiuſculum autem illud a te nobis iniunctum carmen iam caput parat exerere: malim tamen diutule exſpectari, quam ἡμερόβιον, quod nominant, parere. Vale, Principum decus, & felici tuo illo, quo cœpiſti, auſpicio Latino decoris ſitum, Græci interitum, reparare non deſinas. Ceterum, vetuſtiſſimam hanc eſſe, & circiter Seculi XV exitum in Italia adornatam, editionem, inſpicienti cuique patet; nec certo ſatis ſcio, an non priorem dicere hanc ipſam illa Brixienſi debeam, quippe quæ, cum ſit illis ad *Guidonem* literis, quibus dedicatus eſt Dialogus, deſtituta, Hymnis autem nonnullis, fortaſſe eo tempore, quo noſtra in lucem exiit editio, nondum confectis, auctior prodierit, ob id ipſum non male mihi videtur noſtra hæc poſterior haberi poſſe. Iam, quæ ipſius libri ratio ſit, quid boni is ſecum ferat, quo ſingula ordine legantur, breviſſimis dicemus. Ornat, ut diximus, frontem operis *Carmen erotematicon*, ſeu *ad Calliopen Elegia*, qua Muſam hanc ſuam pie rogat *Theophilus*, ut ſibi gratiam Ducis Feltrii conciliet, &, ne is Carminibus hiſce aditum ad ſe deneget, efficiat. Iuvet, inter alia, hæc, de laudibus illius Ducis præclare dicta, legere:

Effice tunc (ſi quid merear parnaſſide cura)
Hauriat hos avida Feltrius ore ſonos.
Inclyte Dux, Graiæ columen, Latiæque Camœnæ

 Gloria,

Gloria, quo laurus ſoſpite noſtra viret.
Ille tuos inter iuſſus properare clientes,
Hæc tibi dat fidei pignora parva ſuæ.
Cumque tibi duplicis ſubeat facundia linguæ;
Debuerant doctas ſcripta pavere manus.
Ne tamen ignores animi pia vota fidelis,
Hoc tibi de genio paupere promſit opus.

Ex eadem Elegia non pauca diſcere de ipſo huius Poetæ ingenio, de ſtudio, quo bonas Muſas, inprimis vero Poeſin, complexus eſt, de aliis multis, quæ ſpectant ad hunc Italorum elegantiſſimum Poetam, liceat. Quantus omni tempore *Theophili* in Calliopen amor fuerit, non obſcurum eſſe poteſt hæc legenti:

Aoni, Caſtalides inter celeberrima Nymphas,
Phociaci princeps, Calliopea, chori.
Scis, Dea, quam firmo ſemper tua Numina cultu
Jura miniſterii detinuere mei:
Tu mihi conſpicuæ primo ſub flore iuventæ
Electa es ſtudiis unica cura meis.
Non me ſomnus iners, non me labor improbus, unquam
Terruit, aut dubio ſemita calle rigens.
Forma, voluptates, fervor iuvenilis, opesque,
Non mihi te blando ſurripuere ſinu:
Me pia cura tui iuvenilibus impulit annis
Per freta, perque truces plurima ferre vias.

Ex

Ex eadem Elegia haud difficile poteſt intelligi, eiusdem fama *Matthiæ Corvini*, cuius ſupra diximus Bibliothecæ *Barth. Fontium* præfectum, excitatum, iter in Hungariam feciſſe *Theophilum*, & ſua eidem Regi carmina obtuliſſe. Sic enim Poeta:

Viſere Pannonium iuſſiſti interrita Regem,
Et mea belligero carmina ferre ſeni.

Sed, ſuos etiam *Theophilo* hoſtes & obtrectatores fuiſſe, qui peſſima quæque de eius carminibus in vulgus ſparſerant, ipſe non diſſimulat, aperte ſcribens:

Sed neque me rabidis vulgi expoſuiſſe negabis
Morſibus: ipſa meæ conſcia mentis ades.

Plura non addit *Theophilus*; nec ipſe ſatis video, quid dignum reprehenſione invenire in eius carminibus malevoli potuerint, niſi forte ex eo rapuiſſe materiam obtrectandi putentur, quod in *Dialogo de Vita ſolitaria & civili* hominum, in civitate viventium, mores a doctrina Chriſti alienos, & inter medias voluptates vivendi rationem, libere & ſatis acerbe perſtrinxerit. Excipit hanc Elegiam ipſe, quem dixi, Dialogus, *Guidoni Ubaldo* epiſtola illa brevi, quam paulo ante appoſui integram, inſcriptus, & genere carminis heroico compoſitus. Amice hic inter ſe colloquentes *Maurum eremitam* & *Pyrrhum equitem* videas; quorum alter vitæ ſolitariæ, alter civilis, ve-

ram rationem & varia commoda non deſcribit tantum, ſed laudat etiam & commendat vehementer. Eo tandem omnis hæc diſputatio redit, ut nec *Maurus* a ſolitudine, nec *Pyrrhus* a vita civili, abſtrahi ſe patiatur. Cuius quidem carminis, omnes veneres & ſuavitates in ſe continentis, ita, fateor, me lectione delectatum, ut vix legiſſe me aliud ullum, ætate illa ab homine Italo compoſitum, meminerim, quod huic ipſi, non dicam præferendum, ſed comparandum ſaltem, videatur. Per totum Carmen quædam quaſi dictionis maieſtas, ſimilis *Maronianæ*, regnat, nihil non graviter dictum, nihil loco minus apto poſitum, omnia & felici ingenio expromta, & verbis maxime Latinis ac ſonoris expreſſa. Unum, cum bene multa poſſim, idque breviſſimum, legendum hic elegantiſſimi laboris ſpecimen dabo, tantum ut, vera a me ſcribi, ii etiam, qui rudem me in Apollinea hac arte putant, intelligant. Itaque hæc lege, lectisque gaude, Lector;

Non cui multiplici fulget radiata Pyropo
Mitra: nec ardenti rutilant cui tempora cocco,
Non qui regna tenet patrio diademate cinctus,
Quique voluptates placitos partitur in uſus:
Sed qui compoſitos mores animumque furenti
Immunem ſtrepitu placidaque in pace quietum
Geſſerit, hic felix reliquisque beatior exſtat.
At civis quali gaudet fruiturque quiete,
Otia qui neſcit, vigiles qui pectore curas

Semper

Semper habet, ſcelerumque gravi male fluctuat æſtu?
Aut tumidos ambit faſces, & munera primi
Conſulis, aut varios avidus perquirit honores,
Vel quibus ille dolis aurum, quibus augeat agros
Artibus, aut quanto merces emat ære, volutat:
Semper habet cauſas luctus, ſtimulosque doloris:
Namque vel alterius nimio tabeſcit honore,
Succeſſusque notans aliena in vota ſecundos,
Obliquo livore macet: vel forte tuendo
Triſtia vicini lachrymantis fata ſuperbit.

Abſtinemus, ne iuſto longiores ſimus, a recitandis ceteris, ſed quæ miram omnia ſuavitatem habent, & veram nobis hominis in civitate infeliciter viventis imaginem exhibent. Altera velut libri huius pars eſt *de Vita & moribus Divi Bernardi Carmen encomiaſticon*, Elegiis octo concluſum, quarum prima, ceterarum velut commendatrix, *Mariam*, matrem Dei, fingit Poetæ noſtro blandientem, & ad ſcribendam *Bernhardi* vitam quaſi ſtimulos addentem. Cuius elegiæ verſus:

Quæque levi quondam latitans epigrammate luſit,
Nunc graviore meat Calliopea gradu,

cum mentionem faciat compoſitorum a *Theophilo* Epigrammatum; hinc mirum videri poteſt, cur nec in libro præſente, nec uſquam alibi, tale quid Muſa *Theophili* nobis dederit legendum.

gendum. Ea certe carminum *Theophili* ſuavitas eſt, ut minime ſit dubitandum, ſi hæc etiam publice legerentur Epigrammata, multum nos, quo delectemur, habituros. Quæ ſequuntur Elegiæ ſex, commemorandis laudandisque Divi *Bernhardi* dictis factisque ſunt dicatæ, nec prætermiſſæ ſunt eius hominis laudes, cuius cura *Opera Bernhardi* Brixiæ coniuncta prodierant. Quam cum editionem *Jo. Mabillonius* in Præfatione, *Operibus Bernhardi* præmiſſa, in lucem exiiſſe doceat A. 1495; patet hinc, *Carmen* hoc *Theophili encomiaſticon*, atque adeo noſtram hanc illius editionem, poſt illud demum tempus luce publica donatam. De ipſo Carmine, cui præmiſſa eſt ad *Ludovicum Martinengum* perbrevis epiſtola, huius hominis in Carmen illud *Theophili* præclara merita commemorans, iure id nobis profiteri licet, dignum, quod legatur & laudetur ab omnibus, eſſe, &, ſi illud condonetur Auctori, quod plus honoris habuerit *Bernhardo* ſuo, quam homini, etiam ſanctiſſimo, habendum eſt, &, quicquid rerum mirabilium ab eo geſtum eſt, ad opem divinam *Mariæ* retulit, in ceteris miram eius vim ingenii, & poeticæ facultatis copiam, intelligi. Molliter enim omnia, ut illa *Tibulli*, fluunt, nec durum quidquam, aut hiulcum, aut barbarum, delicatas Lectorum aures offendit. Quæ cum ſit Carminum *Theophili* elegantia; haud coniectura aſſequor, quid cauſæ fuerit, cur nec *Gherus Ranutius* (*Janus Gruterus*)

in

in *Deliciis CCCC Poetarum Italorum*, quarum *duo Volumina* A. 1603 forma minore prodierunt, nec Anonymus Italus inter *Carmina illuſtrium Poetarum Italorum*, Florentiæ ab A. 1719 ad 1724 magno *undecim Voluminum* corpore edita, locum his dederit, quem poſtulare hæc maiori ſane iure, quam, quæ leguntur in his Operibus, leviora multa, poterant. Intelligi etiam hinc poteſt, malo quodam *Theophili* fato, & præter omne eius meritum, accidiſſe, ut de conſervanda tam digni civis ſui memoria nemo ad hunc diem Italorum cogitaverit, &, quicunque hiſtoriam illius gentis literariam ſcriptis tradiderunt, ſi unum excipias, de quo paulo poſt dicemus, *Theophili Brixiani* ne nomen quidem, nedum laudes, & acta, commemorent. Nec ipſe ille Brixianæ literaturæ præſtantiſſimus vindex, *Angelus Maria Quirinus*, eo in loco, quo de Carminibus *Theophili* agit, de vita eius quidquam aliud, niſi Monachum fuiſſe, & ortu Brixianum, docet. Unus igitur, a quo ſciam de rebus *Theophili* non omnino nihil dictum, *Octavius Roſſi* eſt, ſcriptor libri, cuius index eſt: *Elogi hiſtorici di Breſciani illuſtri*, Brixiæ A. 1620, 4, editi, quo in opere cum prætermittere *Theophili* noſtri mentionem non poſſet, talia de eo *pag.* 215 refert, quæ, etſi eorum, quibus vulgaria haud ſufficiunt, ſitim haud reſtinguant, tamen, quod aliunde cognoſci vix poſſint, ſpernenda minime videntur. Hoc igitur nos docente diſcimus,

Theophilo

Theophilo cognomen *Bona*, patriam Brixiam, nobiliſſimos duos conſanguineos, *Franciſcum* & *Petrum*, rebus fortiter geſtis de patria præclariſſime meritos, fuiſſe; Ordini S. *Euphemiæ* conſecratum, in magna inter ſuos exiſtimatione vixiſſe, & inter amicos maxime *Valgulium* & *Jo. Taberium* numeraſſe; in carminibus ſcribendis magnam ei vim ingenii, in recitandis autem miram fuiſſe vocis ſuavitatem, quam comitata ſit decora vultus gravitas, omnium ei amorem & gratiam concilians. Eodem narrante *Roſſi*, fatalem *Theophilus* vitæ exitum habuit A. 1500, a Judæo quodam Burgundo crudeli modo interemtus. Quæ ſint Elegiæ illæ, quas de vita civili ſcripſiſſe eidem *Roſſi* perhibetur, neſcire me fateor; niſi forte error eſt elegiam pro carmine heroico memorantis. Nec magis mihi cognita eſt, quam idem ab eo compoſitam teſtatur, ac nobiliſſimam dicit, *de fortitudine Brixianorum* Elegia, cuius nempe ſcribendæ occaſionem ei dederant *Petri* & *Franciſci*, ſuorum, ut diximus, conſanguineorum, facta, laude & carminibus digniſſima.

III. *Laurentii Abſtemii Libri duo de quibusdam locis obſcuris. Venetiis, per Bernardinum Benalium. 4.*

Intereſt Lectorum, notitiam ipſis ſuppeditari libri, etſi mole exigui, & plagulas non niſi ſex implentis, tamen rerum lectu utilium copia abundantis, & iure ſuo inter rariſſimos numerandi;

randi; quippe nec *Maittairio* annotati, nec ipſi illi *Balio*, qui integro Capite de *Abſtemio* in *Dict. hiſt. & crit. T. I pag. 34* egit, inſpecti unquam, nec niſi ex parte aliqua iis cogniti, qui, lectas ſibi in *Jani Gruteri Lampade, ſive Face, artium liberalium Tom. I pag. 878* &. ſeq. *Annotationes varias Laurent. Abſtemii Maceratenſis*, recordantur. Nam, ut recte notatum eſt a *Bernardo de la Monnoye* in literis ad *Balium*, quarum partem exhibet *Balius l. c. not. C*, nihil aliud ſunt *Annotationes* illæ, quam excerpta (*partem* non ſatis commode dicere liceat cum Auctoribus *Lexici eruditorum* vernaculi,) illorum *de Locis obſcuris Librorum*, quos pro arbitrio & ingenio ſuo mutilavit verius, quam in compendium redegit, *Gruterus*, reſectis hinc, quas nemo non lubenter legat, in Auctores veteres animadverſionibus, aut aliis, lectu iucundis æque, ac utilibus, quibus artis criticæ ſtudioſi carere vix poſſint, obſervationibus grammaticis ac literariis. Id quidem nolim exprobrare *Grutero*, quod familiares illas colloquentium inter ſe *Abſtemii* & *Bernardini Urſelli*, Urbinatis, qui fuit diſcipulus *Abſtemii*, formulas, & quæcunque ad colloquii quaſi formam externam, non ad Criticam, aut aliud literarum genus, pertinent, qualia ſub initium inprimis & ſub finem operis legere me non pauca memini, eo in loco, quem ex inſtituto Auctoris occupare tantum critica debebant, repetenda non putavit: etſi hæc etiam multi forma-

ſe

ſe libenter, nec ſine fructu, legerent, inprimis cum ſint eleganter ac Latine ſcripta, & literarium illorum temporum hiſtoriam illuſtrent; at, quod in ipſa operis quaſi viſcera ſæviit, & membra eius talia reſecando, ſine quibus macilentum languidumque totum corpus eſt, ſuccum & animam ſcriptori ſuo abſtulit, id nemo facile factum bonum & laudandum dixerit. Minus autem in *priore Libro*, cui, præter hæc, quæ poterant abeſſe, nihil video ademtum, quam in *poſteriore*, qui miſerrime diſcerptus ac dilaceratus eſt, iſto ſibi *Gruterus* utendum iure putavit. In hoc enim *poſteriore Libro* non ſolum de antiquiſſimis Auctorum ſive Græcorum, ſive Latinorum, Codicibus manu ſcriptis varia olim, ſcitu iucunda æque, ac utilia, legebantur, quorum nullam rationem *Gruterus* habuit, ſed multa etiam veterum Auctorum loca, unde plurimum lucis dicta *Abſtemiana* accipiunt, nec non non variarum explicationum pars quæque maxima & nobiliſſima, quin integra obſervationum capita, nullo ſuo merito a grege ceterorum remota, qualia ſunt illa: *Quod ſecundum Priſcianum ſeptimus decimus & octavus decimus & nonus decimus dicendum ſit, non, ut nunc omnes fere dicunt; quod antiqui Mediolanium dixerint cum i litera inter n & u; quod apud Lucanum lunctui ſapis ſumo, non ſapis, legendum ſit*, nunc, mala *Gruteri* culpa, deſiderantur, quæ ſane omnia ſuus olim libro huic Auctor conſilio minime reprehendendo adiecerat.

iecerat. Falluntur igitur, qui *Grutero* de repetita operis *Abſtemiani* editione gratias decernunt, aut, carere ſe poſſe prima hac, quæ ipſius cura Auctoris prodiit, quod altera illa *Gruteri* ſuppetat, nihil dubitant. Id potius conferenti has inter ſe editiones haud difficile intelligitur, alteram altera duplo pæne pleniorem eſſe, atque hinc cimelii loco habendam poſſeſſoribus ſuis priorem illam, optandumque inprimis eſſe, ut tanquam ab inferis aliquando, hominis docti, qui id poteſt, opera, carnoſus valensque *Abſtemius* revocetur, cuius non niſi fractum & elumbe corpus *Lampas* adhuc *Gruteriana* oſtendit. A nobis interim eximii ſcriptoris imaginem iuvet, non qualem *Gruterus* dedit, ſed veram illam & expreſſam, accipere. Utrique *Libro* ſua dialogi forma eſt, inter *Abſtemium* & *Urſellum*, præceptorem & diſcipulum, inſtituti, quorum alter quærentis, & interdum dubia moventis, alter reſpondentis, & obſcuriora Auctorum loca explicantis, perſonam ſuſtinet. Inſcriptum eſt opus *Guido Ubaldo*, *magnanimo ac inclito Heroi*, *Urbini Duci*, eidem nempe Principi, cui ſua *Theophilum Brixianum* nuncupaſſe Carmina, ſupra dixi. Cognoſci hinc ipſa *Abſtemii* ætas poteſt, quem maxime floruiſſe circa annum 1490, atque adeo in eorum numero ponendum, qui Muſas, olim exules, Seculo XV in Italiam revocarunt, illud etiam argumento eſt, quod ipſe in hoc libro, mortuum ſe adoleſcente *Laur.*

Vallam, ſcribat. Iam vero, obiiſſe *Vallam* A. 1467, indubitatis ſcriptorum teſtimoniis conſtat. Neceſſe eſt igitur, natales *Abſtemii* in annum circiter 1450, firmiores autem annos in Seculi XV extrema incidiſſe. Ceterum ex epiſtola, qua dedicatum eſt opus Urbini Duci, hoc etiam diſcimus, Urbini eum docuiſſe Grammaticam, & Bibliothecæ præfuiſſe *Ubaldi* Ducis, *qua nullam*, ſcribit, *in toto terrarum orbe pulchriorem eſſe*. Rem eandem de *Abſtemio Bælius* notavit, ſed qui, cum nihil tale ex ipſo haurire fonte poſſet, quippe deſtitutus libro hoc *Abſtemii*, teſtimonio uſus eſt *Gruteri*, qui loco ante dicto hæc ipſa ad marginem adſcripſit, ſed non addito epiſtolæ *Abſtemianæ*, unde nempe ipſa verba deſumſit, indicio. Sitne vero ad vitæ uſque finem perfunctus his muneribus *Abſtemius*, inde dubitandi cauſa non omnino nulla eſt, quod de rebus iſtis non aliter ac de præteritis commemoret. His enim verbis utitur: *Cum Urbini Grammaticam docerem, præeſſemque Bibliothecæ tuæ, qua nullam in toto terrarum orbe pulchriorem eſſe, omnes uno ore teſtantur; ſcripſi hunc libellum de obſcuris erroribus*: &c. Iam, quæ operis *Abſtemiani* argumenta ſint, paucis & ſummatim exponam. Per totum Opus interpretum quorundam in explicandis veterum Auctorum locis, aut in re grammatica, errores non ſolum notavit accurate, ſed docte etiam feliciterque emendavit Auctor, ea ſimul cautione adhibita, ne quis horum interpretum, male ſe ab ipſo habitum, aut immo-

deſtius

deſtius tractatum, iure poſſet conqueri. Nihil enim in hos acerbe unquam, nihil contumelioſe, dixit, ſed iuſtum ubique eorum meritis honorem habuit, idoneas attuliſſe, quibus melius, quam ab illis factum, emendari veteres Auctores poſſint, rationes, contentus. Et *Liber* quidem *primus* pæne totus pertinet ad *Domitium Calderinum*, clariſſimum Auctorum veterum interpretem, quem, loca nonnulla *Ovidii* ſecus, ac Latinæ linguæ ratio, aut mens Poetæ, patitur, explicantem, ita confutavit *Abſtemius*, ut nemo lectorum ei negare poſſit aſſenſum ſuum. Sed *Valerii* etiam *Maximi*, Athenienſibus tribuentis factum aliquod, a Lacedæmoniis commiſſum, error hiſtoricus ex luculentis aliorum Scriptorum teſtimoniis oſtenditur. *Alterius Libri*, quem & ipſum eleganti epiſtola *Guido Ubaldo* Duci inſcripſit *Abſtemius*, *Capita*, ni fallor, *octo* ſunt, quorum *primo*, vocem *conjux* male a *Priſciano* cum elemento *n* in ſecunda ſyllaba efferri; *altero*, falli eundem *Priſcianum*, qui *Spoletanus* pro *Spolitanus* dixerit; *tertio*, *Carthaginienſes* rectius, quam, ut Critici illius ætatis fere omnes ſolent, *Carthaginenſes*, dici; *quarto*, *ſeptimus decimus*, *octavus decimus*, bene cum *Priſciano*, male *decimus ſeptimus*, *decimus octavus*, cum Grammaticorum recentiorum plurimis, ſcribi; *quinto*, *cotidie*, non *quotidie*, ſcribendum; *ſexto*, antiquos *Mediolanium*, non *Mediolanum*, dixiſſe; *ſeptimo*, apud *Lucanum* *iunctus Iſapis Iſauro*

non *ſapis*, legendum; denique *octavo*, in omnibus fere *Valerii*, *Flori*, *Lactantii*, & *Solini*, exemplaribus per errorem *Aetnam* pro *Ennam* exſcriptum, oſtenditur. Quæ omnia ita ab Auctore diſputata ſunt, ut, verſatiſſimum in lectione Auctorum veterum fuiſſe, & ad explicanda obſcuriora loca multum ingenii, ſed plus doctrinæ, attuliſſe, nemo non intelligat. Claudit opus univerſum Epigrammatum, quæ ſunt a doctiſſimis illius ætatis hominibus, *Roberto Urſo*, *Ludov. Odaxio*, *Jacobo Copino*, *Joanne Angelo Ariminenſi*, *Franc. Uberto Caſenate*, *Alexandro Philomeno Lugenſi*, & *Domica* (forte *Dominico*) *Palladio Sorano*, laudandi operis *Abſtemiani* cauſa, compoſita, ſeptenarius; unde, in maxima doctrinæ inter ſuos exiſtimatione vixiſſe *Abſtemium*, & inter doctiſſimos ætatis ſuæ Grammaticos locum ei, diſſentiente nemine, tributum, clare patet. In illo autem *Rob. Urſi* Epigrammate, non ſatis intelligo, quid ſibi velit verſus:

Clarus ab impreſſo Laurens Abſtemius ære,
Præmia curarum iam diuturna feret;

cui ſimilis eſt ille in altero *Odaxii*:

Non tantum impreſſo clarus remeabit ab ære.

Sive enim, præclare excultam a *Laurentio* artem tornandi ac lævigandi æra, coniicias; ſive, in excudendis nummis ſingulare aliquid ab eo præſtitum, putetur; ſive denique artis eius, quæ docet formas literarum, vulgo typi vocari ſolitas, effingere, haud vulgarem fuiſſe *Abſtemio* peritiam,

peritiam, contendas; nihil horum ab ullo Scriptorum, qui de rebus *Abſtemii* commemorant, notatum invenio, neque adeo ex me quærenti, quem verba illa ſenſum habeant, aliud quidquam, niſi, illud me ignorare, reſpondebo. Enimvero, cum ſit operæ pretium, eos homines noſſe, per quos artes quæque præcipuum ſuum & incrementum, & decus, acceperunt, non male facturum putem, ſi quis diligentius inquirendum in mentem Poetarum, &, quid ſit illud, quod illi dixerunt *æs imprimere*, eruendum ex hiſtoricis illius ætatis monumentis, duxerit. Annum, quo liber hic *Abſtemianus* prodiit, cum nec ab Auctore, nec a typographo, ſit annotatus, haud licet certo definire. At, ſub Seculi XV exitum *Benalii* hunc prelo exiiſſe, haud male quis ex eo colligat, quod plures alios, ab anno inde 1484 ad 1498 ex illa emiſſos officina, paſſim *Maittairius* adducat. Id patet ex epiſtola *Abſtemii* ad *Octavium Ubaldinum*, *Comitem Mercatelli*, libro alteri, quem *Hecatomythium* inſcripſit, præmiſſa, anno ante, quam is ipſe liber in lucem exiit, opuſculum hoc *de Locis obſcuris* editum. Iam vero mihi aliquis dicat, quem annum alter ille *Abſtemii* liber habuerit natalem; ſi quidem dicere hoc aliquis poteſt in illo *Maittairii*, *Balli*, *Geſneri*, qui Argentinenſem anni 1522, non hac antiquiorem, nominat editionem, *Neveleti* etiam, & eorum omnium, qui *Abſtemianas* has *Fabulas* prelo ſuo recudendas curarunt, ſilentio. Sed

 hæc

hæc ſcribenti occurrit in *Maittairii typographicis Annalibus T. I. P. II pag. 595* liber hoc indice: *Fabula ex Græco in Latinum per Laurentium Vallam & per Laurentium Abſtemium verſæ, impreſſ. per magiſtrum Joannem de Cereto de Tridino anno Domini MCCCCXCV, die vero IIII Augusti, 4;* quem indicem, valde dubito, an ſatis accurate exſcriptum nobis dederit *Maittairius*, quod nemo unquam Scriptorum *Aeſopi Fabulas* ab hoc *Abſtemio* in Latinum dixerit converſas, ipſe etiam *Abſtemius* in Præfatione, *Hecatomythio* præmiſſa, ubi *Laur. Valla* & *Omniboni Leoniceni* in vertendis nonnullis *Æſopi Fabulis* ſtudium iuſtis laudibus proſequitur, de ſuo hoc labore ne verbo quidem commemoret. Si quis igitur coniecturæ locus, libro hoc, quem nolim prorſus confictum a *Maittairio* putari, & *Aeſopicæ* illæ *Fabulæ*, quas *Laur. Valla* Latine reddidit, & novæ *Abſtemii*, ſeu *Hecatomythium* eiusdem, continentur, nec ante hanc ipſam antiquior ulla operis *Abſtemiani* editio exſtat. Quod ſi ita eſt, iam, quo anno *de Locis obſcuris* Libri primum ſint editi, ſatis eſt expeditum. Sed iam invenio etiam in *J. A. Fabricii Bibl. Lat. Vol. II pag. 437* annotatum, prius *Hecatomythium* a *Laurentio* A. 1498, alterum A. 1505, editum; ubi mihi obſervare liceat, *Bernh. Monetam*, quo uno utitur teſte *Fabricius*, non annum 1498 nominare, ſed hoc ſaltem dicere, ſub finem Seculi XV primum *Hecatomythium* prodiiſſe, in *Menagian. T. IV pag.* 203.

203. *Fabricio* igitur quæ cauſa fuerit nominandi annum 1498, quem nemo alius nominat, non intelligo, atque adeo eius rei fides penes auctorem ſit. *Moneta* certe illam æque A. 1495 editam, quæ & ipſa nempe ſub Seculi XV finem prodiit, ac eam, quam prodiiſſe A. 1498 *Fabricius* dicit, intelligere potuit. Id ſane inſpicienti cuique patet, haud ita diu ab inventa arte typographica operi huic noſtro natales contigiſſe. Rudis enim & impolita literarum forma eſt; operarum omnia mendis deformata; Græca etiam, quæ paſſim operi ſuo inſperſerat *Abſtemius* prorſus hic, ob typorum, ut videtur, in officinis Venetis penuriam, exulant; vacuum autem eo in loco, ubi legi hæc debebant, ſpatium relictum, ut calamo ſuppleri a lectore poſſint. Non igitur ab elegantia & externo nitore, qui valde mediocris eſt, ſed a rerum, quæ parum diligenter a *Grutero* ſunt repetitæ, copia, hanc operis *Abſtemiani* editionem commendamus. De vita & fatis *Abſtemii*, quod doceam lectores, præter pauca hæc, quæ paulo ante a me notata meminiſti, nihil habeo. Nec magis mihi de anno mortis eius, quam de natalibus, compertum eſt. Vixit, ni fallor, a medio inde Seculo XV, ad illius uſque finem; id enim, quæcunque adhuc diximus de *Abſtemio*, omnia confirmant. *Bevilacquam* Italorum ſermone dictum, *Moneta* docet in *Menagian. T. IV pag. 203.* Maceratenſis in libro, quem modo deſcripſimus, ipſe ſibi dicitur; qua ex urbe videtur teneris adhuc an-

 nis

nis Urbinum commigraſſe. Inter ſcripta eius, quæ numero pauca exſtant, maxime celebrantur eius *Fabulæ*, quas primum indice *Hecatomythii* inſcriptas, poſtea aliis 99 auctiores, edidit. Sunt in his multæ, quas verius narrationes ioculares, quam fabulas, inſcribere poterat *Abſtemius*; nec tales deſunt ex iudicio *Balii*, id ipſum exemplis probantis *l. c. not. B*, in quibus Clericorum mores acriter perſtrinxit. Harum editionem Argentinenſem, ex officina *Knoblauchbiana* A. 1522 emiſſam, *Conr. Geſnerus* in *Bibl. univ. pag. 476* memorat; quam cum omnium primam iudicaret *Ge. Matth. Koenigius*, in eum errorem prolapſus eſt, ut, A. 1512 editum id operis ab *Abſtemio*, credere nos iuberet in *Bibliotb. Vet. & nov. pag. 3*. Plures alias editiones *Fabricius* notavit in *Bibl. Lat. Vol. I pag. 319*, & *Vol. II pag. 437*, & in *Bibl. Lat. med. & inf. æt. pag. 6.* Mihi in manibus eſt illa, quam *Jo. Nic. Neveletus* A. 1610 curavit, qui inter *Fabulas variorum Auctorum* his etiam *Abſtemianis* locum dedit. Scripſit præterea *Abſtemius*, ſi vera narrantur in *Epitome Bibliotb. Geſneri pag. 534*, *Præfationem in S. Aurelii Victoris Vitas Imperatorum*, quas *Epitomator* ille Venetiis apud *Aldum* & Argentinæ A. 1505; & Baſileæ A. 1530, prodiiſſe ait. Quarum cum mihi editionum nulla ſit inſpecta, de labore hoc *Abſtemii* nihil te docebo, Lector. Id, fateor, valde dubium me habet, an liber ille *Victoris* ex officina *Aldina* A. 1505 prodierit. Nihil enim huius rei

a *Fa-*

a *Fabricio*, nihil a *Maittairio*, nihil ab iis ipſis, qui editiones *Aldi* diligenter collegerunt, annotatum invenio. Cum *Suetonio* prodiit *Victoris* liber ex officina *Aldina* A. 1516, qua editione ipſe utor; ſed in hac Præfationis *Abſtemianæ* nihil invenias. Doceri igitur ab aliquo, qui id poteſt, cuperem, ſatisne vere hæc de Præfatione *Abſtemii* tradita ſint ab *Epitomatore* illo, & an, fidem huius ſequendi, ſatis cauſæ *l. c.* habuerit, qui eandem *Aldi* editionem nominat, *Baelius*. Levia autem & exigui momenti ſunt, quæ edidit *Abſtemius*, ſi cum iis comparentur, quæ editurum ſe promiſerat, & in quibus valde ſe eſſe occupatum; ipſe ſcribit in Epiſtola ad *Guidum Ubaldum*, *Urbini Ducem*, *alteri Locorum obſcurorum Libro* præmiſſa. Converterat ſe nempe ad ſcribendum opus magnum de totius orbis civitatibus; cuius quæ fuerit ratio operis, ipſis *Abſtemii* te, Lector, verbis docebo. *Exacto*, inquit, *ſuperiori libello de obſcuris erroribus huiuſmodi laborem intermittere ſtatueram, non quia, eum inutilem fore, coniicerem, ſed ut ingenti, quod de totius orbis civitatibus inchoaveram, operi expeditius inſudarem: in quo & mihi & ceteris, qui id legere dignarentur, maiorem & iucunditatem & utilitatem futuram eſſe, cernebam. Servato enim alphabeti ordine, cuiuscunque civitatis non modo ſitum, originem, & ædificia memoratu digna, continet: verum & plurimarum aeris ſalubritatem, vini, olei, frumenti, pomorumque, ubertatem, obſidiones, op-*

pugnationes, expugnationes, & cætera, quæ in earum laudem dici referrique poſſunt. Non omitto & earum cives, literarum ſtudiis, aut rei militaris gloria, inſignes, aut alia memorabili arte præſtantes. Latum autem mihi campum ad ſcribendum præbuit Fredericus, divinus parens tuus, qui multis urbium expugnationibus, & crebris victoriis, univerſam illuſtravit Italiam. Cum igitur maiorem tanti laboris partem peregiſſem, cupiebam opus abſolvere, ne, ſi ante, quam ultimam impoſuiſſem manum, morte ſubtractus eſſem, quæ cunctorum mortalium cervicibus horis omnibus imminet, multorum annorum ſudores deperirent: &c. Atque iſtud quidem opus, quod minime mireris, nunquam prodiit; nec prudenter in eo fecit *Abſtemius*, quod opus immenſum, & cui vix anni Neſtorei abſolvendo ſufficiant, animo concepit. Dolendum tamen, ſi, quicquid huius operis compoſitum eſt ab Auctore, quod eſſe non exiguum, ipſe docet, ita omne illud periit, ut nihil ſervatum ſit in Ducis Urbini, quæ illuſtriſſima ipſi *Abſtemio* dicitur, aut aliis Italorum, Bibliothecis. Deſinam dicere de *Abſtemio*, ſimul ac illud monuero Lectores, falli *Janum Gruterum*, cum, in *Abſtemium* invectum *Laurentium Vallam*, ſcribit in Nota illa, quam margini *Lampadis* adſcriptam ſupra dixi. Verba hæc ſunt *Gruteri*: *Valla in illum invectus, qui in omnes ſtilum amarulenter ſtrinxit, adeoque fere in Chriſtum.* Iam ſuſpecta *Bernardo Monetæ* fuit hæc narratio,

ut

ut patet ex eius literis ad *Balium*, paulo ante a me citatis; quod annos octo & quadraginta *Valla* ſuperſtes fuerit *Abſtemius*, isque in Præfatione *Hecatomythii* ſui multis illum laudibus ſit proſecutus; unde ſatis appareat, nullam *Vallæ*, obtrectandi *Abſtemio*, cauſam fuiſſe, nec eſſe, per temporis rationem, potuiſſe ullam. His ego illud inprimis addo, etiam in opere *de Locis obſcuris* paſſim de *Valla* honorifice commemorari, cumque ibidem *Abſtemius*, ſe adoleſcente mortuum *Vallam*, dixerit, non videre me, quam obtrectandi adoleſcenti immaturo, nec ullis adhuc ſcriptis inter eruditos famam conſecuto; *Valla*, quantumvis in alios ſui temporis Grammaticos aſper & iniquus, materiam habuerit, & quam triumphus talis ei gloriam ſpoponderit. Nec, ſi *Valla*, quæcunque ſcripſit, opera perquiras, uſquam nomen *Abſtemii*, aut tale quid, quod ad eum commode referri poſſit, invenire liceat.

IV. *Xenophontis Philoſophi Liber de Vita tirannica, per Leonardum Aretinum traductus.* 4.

Non incognita eruditis, etſi fortaſſe viſa paucis, hæc libri *Xenophontei* interpretatio Latina, quam & *Fabricius* in *Bibliotheca Græca*, & quicunque de ſcriptis *Aretini* ex inſtituto nos docuerunt, commemorant, ſed cuius, quæcunque exſtant, antiquiſſimæ ſint editiones, nec talis, quod ſciam, unquam prodiit, quæ Latina

na hæc cum Græcis *Xenophontis* coniuncta nobis dederit. Adhuc enim, qui, aut ſeorſim, aut inter cetera *Xenophontis* opera, libellum hunc, aut, ſi mavis, Dialogum, ediderunt, illi *Eraſmi*, aut quam dedit *Leunclavius*, interpretationi plurimum pretii ſtatuerunt, ſive quod hanc *Aretini*, quæ, ut dixi, ob paucitatem ac vetuſtatem editionum in paucorum manibus verſatur, prorſus ignorarent, ſive quod ad verbum confectas verſiones, qualis inprimis illa *Leunclavii* eſt, præferendas elegantius ac ſtilo liberiori adornatæ, qualis hæc *Aretini* eſt, putarent. Nimirum legenti hanc interpretationem haud difficile patet, non tam iuventutis, quam doctiorum hominum, uſibus conſecratam ab Auctore, & ſatis huic fuiſſe, ſi ita ubique Græcis Latina reſponderent, ne quis, aliena a mente *Xenophontis* hic legi, iure poſſet conqueri. De eo autem, ut minutiſſima quæque vocula Latine redderetur, aut idem ubique verborum ac dictionum ordo ſervaretur, ob id parum laboraſſe interpretem, quod recte intelligeret, hoc genere interpretandi quaſi vim inferri linguæ Romanæ genio, qui multum ab illo Græcæ diſcrepat, & proprias quaſdam veneres ac ſuavitates habet, etiam interpreti, ne Græca in Græcum potius, quam in Latinum, convertere dicatur, haudquaquam negligendas. Hoc igitur cum agendum ſibi putaret *Aretinus*, ut primum accurate, deinde Latine & eleganter, verteret; hinc fieri aliter non potuit, quam

ut

ut labor eius talem acciperet formam, qualem *Herodiano* a ſe Latine reddito *Politianus* dedit, & ab his, qui verba tantum, non mentem, Auctoris exprimenda iudicant interpreti, paraphraſis poſſet verius, quam interpretatio, vocari. Itaque non tam illud male me habet, quod nemo ad hunc diem Græcis *Xenophontis* ire comitem hanc interpretationem iuſſit, quippe qua iuvenes non ita, ut cupiunt, uti in rem ſuam poſſunt, quam quod a duobus inde Seculis nemo de ea iterum edenda cogitavit. Nam, cum *Aretinus*, ut in aliis ſuorum operum, ita in hoc etiam, ſermone uſus ſit puro, venuſto, & omni ex parte ad exemplum veterum accommodato, vel ſtili cauſa legendam iuventuti hanc ſive Paraphraſin, ſive veram interpretationem, nemo non ſuaſerit; doctiores autem homines, quo artificio ſit opus, ut interpretis non accurati tantum, ſed elegantis etiam & vere Latini, nomen aliquis ferat, diſcere ab hoc magiſtro poſſunt. Non eſt igitur, quod male ſe meriturum de bonis literis, & harum ſtudioſis, putet, ſi quis ſtudium ſuum ad parandam libelli huius, qui quatuor vix plagulas excedit, editionem novam converterit. Eſt autem, tam feliciter hunc *Aretino* laborem ſucceſſiſſe, hoc magis mirandum, quod, in eo ſe adhuc iuvenem, & Muſarum vix ſacra ingreſſum, exercuiſſe, conſtet. In ea enim, quam opuſculo præmiſit, ad *Nicolaum Nicoli* epiſtola, non huius tantum *Nicolai*, ſed inprimis etiam *Xenophontis*, laudes

comme-

commemorante, ipſe, *ingenii exercendi gratia* e Græco ſermone in Latinum hæc converſa, ait, eiusdemque epiſtolæ verba ultima haud obſcure, hoc ipſum omnium ſcriptorum, quæ compoſuit *Aretinus*, fuiſſe primum, indicant. Sic enim Noſter: *Atque, ut tibi grati eſſent labores noſtri, cum exercere nos vellemus, in hoc potiſſimo libro id effecimus. Maiora autem illius viri opera, quæ permulta ſunt ac pulcherrima, in his primitiis ſtudiorum noſtrorum nullo modo auſi ſumus attingere.* Hunc *Nicolaum*, ad quem data eſt epiſtola, omni literarum genere doctiſſimum fuiſſe, Latinarum autem literarum tantam habuiſſe peritiam, quantam nemo fere illo tempore alius, idem ipſe *Aretinus* teſtatur, eundem ſimul in Græcis addiſcendis ſocium ſibi fuiſſe & adiutorem docens. Dixit de eo nonnihil *Jul. Negrius* in *Iſtor. degli Scritt. Fior. pag. 429*, ſed cuius dictis ex *Aretini* hac epiſtola, quam minus ille habuiſſe cognitam videtur, addi aliquid ſupplementorum poteſt. Quam manibus tenemus libelli editionem, non eſt dubium, primam omnium fuiſſe, etſi ab Auctore ipſo, qui ſub ipſa inventæ artis typographicæ initia, anno nempe 1443, e vita exceſſit, adhiberi ei cura nulla potuit. Et certo quidem definire ſive editoris nomen, ſive urbem, ex qua prodiit hic foetus, ſive annum denique, quem natalem is habuit, ideo vix liceat, quod nuſquam per librum totum rerum iſtiusmodi veſtigium appareat. At, poſteriorem non eſſe hanc editionem Bononienſi illa, quam A. 1502 forma maiore prodiiſſe,

e, *l. c. Fabricius* docet, & qua idem *Fabrici-*
antiquiorem haud ſcivit, ipſa eius forma
terna, prorſus redolens vetuſtatem, inſpici-
ti cuique perſuadet. Inſcriptionem, quam
ulum vocant, liber nullam habet, ſed hoc
ıs in ipſa fronte initium eſt: *Leonardi Areti-*
ad Nicolaum Nicoli de Vita tirannica Prohe-
um incipit. Certiſſima hæc nota vetuſtatis eſt,
bene ſciunt, qui libros haud ita diu ab in-
nita arte typographica excuſos frequenter ma-
ous tractarunt. Etiam id ipſum, quod anni
loci natalis liber nota caret, vetuſtatem eius
ud obſcure indicat. Eandem colligere ex
bis literarum liceat, qui valde rudes ſunt,
artis infantiam teſtantur, ex infinitis item
ndis operarum, quibus miſere deformatus
liber, ut ſolent, qui arte illa nondum ſa-
exculta ſunt editi, pæne omnes. Si qua
hi ex libris, ſimili typorum genere excuſis,
picandi venia detur, librum hunc Florentiæ
tem circa annum 1480, a cive quodam *Are-*
i, & memoriæ eius amico, editum. Non le-
igitur huius libri, ſi ex natalibus ſuis æſti-
tur, pretium eſt; nec *Annalibus Maittairia-*
, antiquiora inprimis conſectantibus, exu-
: is debebat. De Auctore autem, *Aretino*,
us fama minime in obſcuro eſt, quem poli-
ma tot ſcripta alia, a *Negrio l. c.*, *Balio* in
t. hiſt. & crit. T. I pag. 300, *Fabricio* in Præfa-
ıe, *Epiſtolis Aretini* præmiſſa, aliisque plu-
ıs, ex merito laudata, ſeræ poſteritati com-
ıdant, cuius denique gloria ad illam *Petrar-*
cha,

cha, *Philelphi*, & ſimilium illius ætatis Grammaticorum, quam proxime accedit, hic, ne rerum vulgarium parum gratus lectori narrator ſim, nihil addam.

V. *Oratio dicta a Petro Marſo in funere Illuſtriſſimi Hieronymi Forocorneliensis & Foroliviensis Comitis.* 4.

Petrum *Marſum*, Ædis S. Laurentii in Damaſo, quæ in urbe Roma eſt, (non, ut in *Lexico Eruditorum vernaculo T. II pag.* 84 per errorem traditur, Neapolitanum,) Canonicum, Seculi XV non ignobilem Grammaticum, qui de *Silio Italico* & *Cicerone*, integros in illius *Carmina*, in huius *de Officiis*, *de Amicitia*, *de Senectute*, *de Natura Deorum*, & *Paradoxorum*, libros, edendo Commentarios, haud male meruit, eloquentiæ etiam famam *Orationibus* nonnullis, quæ publice leguntur, conſecutus eſt, fortaſſe Lectorum meorum pauci ignorant. Tacebo igitur de vita & ſcriptis huius viri, quorum ex libris vulgo cognitis, *Geſneri Biblioth. univerſ. pag.* 550, *Toppi Biblioth. Napol. pag.* 248, & *Balii Dict. hiſt. & crit. T. III pag.* 1948, hauriri notitia poteſt. Unam, operæ pretium fuerit, in funere dictam *Hieronymi*, Forocorneliensis Comitis, Orationem commemorare, non ſolum quod ſuis eam *Annalibus* exulare *Maittairius* iuſſit, ſed quod nemini etiam eorum, qui de ſcriptis *Marſi* ex inſtituto tradiderunt, nec ipſi *Toppio*, qui quatuor alias *Marſi* Orationes nominavit, eius mentio ſit facta. Argumentum

huic

huic ſatis illuſtre eſt; ac prorſus tale, quod facile allicere lectores poſſit. Nimirum parentatum eſt hac Oratione Manibus infeliciſſimi, ſi fata extrema ſpectentur, Comitis, in quo quantum & extollendo & deprimendo valeret, maxime experta fortuna videtur. Satis enim ex hiſtoriarum illius ætatis monumentis conſtat, *Hieronymum* hunc, ex præclara domo *Rearia*, quæ Purpuratos duos, *Petrum* & *Raphaelem*, dedit, oriundum, cum a *Galeatio Sfortia*, Mediolanenſium Duce, cuius filiam *Catharinam* in matrimonium duxerat, dotis loco accepiſſet Forocornelienſes ac Forolivienſes terras, concitata adverſus ipſum civium Forocornelienſium, qui oppreſſam ab hoc *Hieronymo*, olim Sagonenſi civi, libertatem ſuam ægerrime ferebant, coniuratione, multis vulneribus a *Franciſco Urſo*, coniuratorum duce, confoſſum, interiiſſe Seculi XV anno octavo & octogeſimo. Ea res, per ſe triſtiſſima, & bonis omnibus abominanda, a variis varie narratur, prout nempe Scriptorum quemque partibus addictum fuiſſe aut *Hieronymi*, aut coniuratorum, apparet. *Per ingratorum aliquot civium coniurationum ſcelerata indignaque nece apud Forumlivii trucidatum Hieronymum*, ſcribit *Leander Alberti* in *Deſcriptione totius Italiæ pag.* 477 & 493. Contra vero manifeſtum huius cædis approbatorem habemus *Jo. Mich. Brutum* in *Hiſtoria Florentina Lib. VIII pag.* 454, qui, *Franciſci Urſi*, ob eximiam opinionem virtutis, ingenii, ac

prudentiæ, magnam apud ſuos cives fuiſſe auctoritatem, ceteros autem coniuratos fuiſſe magni animi & ſpectatæ virtutis homines, ait, hæc ſimul addens; *quæ aliis terrori fuiſſent, ea Urſo, homini acerrimo & magni animi aque & ad ſe vindicandum in libertatem, & ad patriam liberandam ab impotenti domino, magna incitamenta exſtitiſſe.* A *Petro Marſo*, quem multis magnisque beneficiis ſibi devinxerat *Raphael Rearius*, Purpuratus, *Hieronymi* ex ſorore nepos, vix liceat aliud quidquam, niſi quod *Hieronymo* walde honorificum ſit ac glorioſum, exſpectare. Is, laudibus prolixis virtutes *Hieronymi*, & præclara eius in Forocornelienſes cives merita, proſecutus; crudele ac nefarium eorum facinus Deorum hominumque odio iudicat digniſſimum, *Hieronymum* autem vel hoc ipſo mortis genere *Alexandro Magno*, *Pompeio*, & *Julio Caſari*, nihil inferiorem dicit. Quod ad ipſam *Hieronymi* cædem, quæ non ab omnibus eodem modo narratur, hæc a *Marſo* ſic deſcripta legitur: *Quo animo, qua cura, ſuos iuverit ſubditos, auxerit, ornaverit, teſtes illi ſunt, quos ex modicis maximos reddiderat, qui accepta beneficia & honores, Principis liberalitate ac opera collatos, poſtremo ingratiſſime rependerunt. O tetrum ingratitudinis vitium! — — — Quod huius Principis exitus declarat. Quem de ſe optime meritum, ac nil tale ſuſpicantem, ingratisſimi homines & efferi, ad colloquium denique admiſſi, ſtrictis repente pugionibus, intra domeſticos*

tos parietes, ante ſacratiſſimæ Virginis imaginem, proh facinus! trucidarunt. O ferinam rabiem! O læſæ maieſtatis crimen, multiplici culleo vindicandum! O monſtra inaudita, inſanis obruenda fluctibus! O patriæ faces, profundi pelagi verticibus exſtinguendas! Ceterum ex hac Oratione, cuius tolerabile, meo iudicio, nec invenuſtum, genus ſcribendi eſt, gentis *Reariæ* hiſtoria, & quicquid ab *Hieronymo*, ſalutare Forocornelienſi rei publicæ, & ſibi ipſi glorioſum, geſtum eſt, ſatis plene liceat cognoſcere. Digna igitur, quæ legatur, hæc Oratio videri inprimis iis poteſt, qui res illorum temporum turbulentas, & magna ex parte tragicas, ex ipſis haurire fontibus, hoc eſt, ex æqualium Scriptorum monumentis, cupiunt. Romæ hanc habitam, ideo dubitare vix liceat, quod ceteræ omnes huius Auctoris Orationes in hac urbe ſint recitatæ. Certe, Forocornelii, aut Forolivii, habitam, nemo facile putet, qui Orationem hanc ipſam, in cives Forocornelienſes vehementiſſime ſcriptam, attente legerit. Quis enim inter medios coniuratos talibus hos probris & maledictis audeat laceſſere? Quod vero patratorem cædis, *Franciſcum Urſum*, quem alii ſcriptores memorant, nominatim haud indicavit *Marſus*, factum id timore quodam hominis videtur, qui, qua fuit inter ſuos potentia, hanc facile ulciſci iniuriam potuiſſet. Annus autem cædis cum fuerit Seculi XV octavus & octogeſimus; eodem dictam a *Marſo* hanc Orationem, patet. Sitne vero eodem anno edita a *Marſo*, ſuſpicari magis, quam cer-

tô definire, liceat. Veſtigium, unde hoc cognoſci poſſit, in ipſa Oratione, quæ nuda, & ſine tali nota, hic legitur, nullum exſtat. Omnia certe libellus vetuſtatis ſigna, aliquantum rudes literarum typos, paulo corruptiorem orthographiam, indicem, ſeu titulum, cum ipſo Orationis contextu eadem in pagina coniunctum, habet; nec, cur, anno illo, quo dicta eſt, publicatam non putem, quidquam cauſæ video. Sed certiora facile patiar ab aliis, qui id poſſunt, proferri.

VIII.

COMMERCII EPISTOLARIS, QVOD OTTONI MENCKENIO OLIM CVM BOHVSLAO BALBINO INTERCESSIT, SPECIMINA DVO, NVNC PRIMVM EDITA.

L E C T O R I

S. P. D.

F. O. MENCKENIUS.

Inter viros doctos, quorum amicitia olim non vulgari uſus eſt avus meus, *Otto*, præ ceteris non commemorari tantum, ſed laudari etiam, meretur *Bohuslaus Balbinus*, Bohemorum ſua ætate nobiliſſimus, & ſcriptorum, quæ edidit & multa & egregia, fama clariſſimus. Cuius epiſtolis cum nihil ſcribi venuſtius, nihil elegantius, nihil denique doctius, poſſit; viſum eſt ex his, quas olim ad avum meum numero

numero multas dedit, ſpeciminis loco unam, non indiligenter ſcriptam, ſeligere, hancque, meis aliquot notis illuſtratam, cum una avi mei ad *Balbinum*, legendam dare his, qui aliunde cognitam dudum illius hominis eruditionem, & in dicendo ſuavitatem, habent. Leve, fateor, munuſculum eſt, ſed tale tamen, quod mihi, bono animo donanti, gratiæ aliquid acquirere a Lectore poſſit.

EPISTOLA I.

BOHVSLAO BALBINO (*)

S. P. D.

OTTO MENCKENIVS.

(*) Fuit hic ortu *Bohemus*, Societati Jeſu adſcriptus, in Academia Pragenſi Rhetorices Profeſſor, Scholarum etiam & Congregationum B. Mariæ Virginis Præfectus, A. 1689 ætatis octavo & ſeptuageſimo defunctus. Legas de eo nonnulla in *Petri Ribadeneiræ Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu*, a *Phil. Alegambe* & *Nath. Sotvello* continuata, *pag.* 124, & *Henn. Witte Diario biographico ad A.* 1689. Inter ſcripta eius, quæ numero multa edidit, eminent inprimis *Epitome hiſtorica rerum Bohemicarum*, Pragæ edita A. 1677, & *Miſcellanea hiſtorica regni Bohemiæ*, quorum extant *Decadis I Libri VIII*, & *Decadis II Liber I & II*, ab anno 1679 ad 1688, forma maiore, *Voluminibus quinque* publicata, in quibus candorem *Balbini* inſignem & ab omni partium ſtudio remotiſſimum animum admiratur *Chriſt. Gryphius in Apparatu, ſeu Diſſ. iſagogica, de Scriptoribus, Hiſtoriam Seculi XVII illuſtrantibus, pag.* 170. Fuit præterea elegantiorum literarum amantiſſimus, præclariſ-

Arg. Balbino commercium literarum offert. Actorum Eruditorum inſtitutum ei commendat, huiusque rationem reddit. Nova literaria ex Bohemia ut ſubinde ad ipſum perſcribat, & Mathematicos inprimis ad conferendas ſymbolas excitet, amice eum rogat.

Ut eruditionem tuam iam ex eo tempore, cum Bohemicarum rerum Hiſtoriam edidiſti, colui ſuſpexique; ita nuper admodum, inter humaniſſimos eruditorum te eſſe, & in admittendis ad literarum commercium quibuscunque aliis ſtudia profeſſis facillimum, ex clariſſimi *Weiſii*, (a) amici mei, æſtimatiſſimis literis intellexi. Itaque & copiam Tibi faciendam duxi primitiarum operis, quod cum amicis nonnullis molior, & rogandum te quam eniziſſime, ut conatus noſtros, pro ſingulari tuo in rem literariam ſtudio, iuvare ne dedigneris. Iuvare vero poteris ex voto meo, ſi ſubinde ad me non grava-

præclariſſime de his promeritus in *Veriſimilibus humanorum diſciplinarum, Lipſiæ A 1687. 8.* & in *Tract. de Amplificatione oratoria, Herbipoli A. 1688. 12*, editis. Stilo utitur eleganti & numeroſo, maxime in Epiſtolis, quarum nativus vigor & ſuavitas non affectata plurimum habet delectationis. Sane aut ego, quid ſit caſte & polite ſcribere, non intelligo, aut, quas ille ad avum meum dedit, Epiſtolæ omnibus placebunt.

(a) Eſt hic *Chriſtianus Weiſius*, Scholæ Zittavienſis Rector; quo interprete, avo meo primum innotuit *Balbinus*.

graveberis perſcribere, qui novi in quocunque literarum genere libri in Bohemia edantur (b). Sic enim illorum recenſione *Actis* noſtris non contemnendum decus adiecturi ſumus; libri vero veſtri exteris innoteſcent multo, quam fieri alias ſolet, maturius. Quodſi etiam in rebus phyſicis & mathematicis novi quid obſervatum inventumve apud vos fuerit, quod dignum ſeculi applauſu putas, id noſtris his *Actis* publicandum ut committas, ſummopere te rogo. Ad extremum perſuaſum habeas velim, nullam nos hoc inſtituto gloriam aucupari. Rem enim eſſe non ingenii, (c) ſed laboris,

(b) Quid vero unquam boni ex Bohemia? Ubi, ſi unum aut alterum, bonas literas non ſegniter colentem, excipias, ſpiſſæ tenebræ, barbaries, ſtupor, ſuperſtitio, omnium rerum ignorantia, & huius amor, regnant. Vanas adeo avi optimi preces putes, niſi forſan ſuperiorem ætatem bono ſenſu ditiorem hac noſtra dicas.

(c) Sed ingenii etiam, ſi ita, ut par eſt, tuo munere fungaris. Non hiſtoricos tantum, ſed iudices etiam, agimus, quorum hæ partes ſunt, ut verum a falſo, turpe a decoro, veram pulchritudinem a fuco, probe diſtinguant. Ad præſtandum id opus eſt oculo critico, acute vidente, & per tenebras denſiſſimas in lucem veritatis penetrante. Sed quid, ſi abſtinendum nobis prorſus a iudicando putes, & ſuum lectori iudicium relinquendum? Itaque hoc mihi dari volo, ipſa librorum ſumma argumenta accurate & perſpicue exponere, resque, maxime ſubtiles, interdum etiam obſcuras & implicitas, ita in quendam velut nervum contrahere,

ut

boris, eiusque modici, recenſere libros editos, eorumque ſeu argumenta, ſeu excerpta, nec non aliorum mathematicas & phyſicas obſervationes, publici iuris facere, lubenti animo fatemur. Aſt literatis tamen utcunque inſerviendi ſtudium non defuiſſe nobis, manifeſtum cum Deo ac die ſumus reddituri. Vale, Vir Celeberrime, ac mihi fave. Lipſiæ, $\frac{8}{18}$ Jan. 1682.

P. S. Inſeruimus his primis *Actorum* noſtrorum paginis Eclipſin Lunæ, anno 1681 die 29 Aug. ab *Hevelio* obſervatam. Sequens Sectio duas alias eiusdem Ecclipſeos obſervatiovationes, quarum alteram prope Londinum ex illuſtri ſpecula ſua inſtituit *Flamſteedius*, Mathematicus regius, alteram Vratislaviæ *Schulzius*, exhibebit. Quodſi vel Pragæ, vel Viennæ, eſſet aliquis cœleſtium curioſus obſervator, eum, ut obſervationes eiusmodi ſuas nobiscum communicet, ſtudio noſtro publicandas, per te, Vir celeberrime, rogatum quam officioſiſſime volumus. Quantum ea res in locorum longitudinibus definiendis habeat uſum, publice conſtat. Mathematum in Academia noſtra Profeſſor, *Chriſtophorus Pfautz*, ante ſeptimanas aliquot, cum de obitu R. P. *Hartmanni* nondum conſtaret nobis, literas Pragam dedit ad hunc ipſum *Hartmannum*, ſed, quod expreſſe monuerat, ſi is forte diem obiiſſet, cuicunque

ut ne quid ſive deſit, ſive præter rem abundet, id ipſum ingenii non puerilis, ſed maturi & maxime ſubacti, opus eſſe.

cunque alteri e Collegio Societatis Jeſu reſignandas. Num hæ ad manus cuiusquam veſtrum pervenerint, neſcimus. Vale iterum, Vir Clariſſime, & recenti hoc plurimisque ſequentibus annis quam feliciſſime utere.

EPISTOLA II.

OTTONI MENCKENIO

S. P. D.

BOHUSLAUS BALBINUS.

Arg. *Pro nominis ſui in Actis honorifica commemoratione gratias agit. Libros quosdam, & ſuos, & aliorum, mittit. De morte Copilii, inſignis Mathematici, certiorem facit Menckenium.*

Ne quid obturbem, breviſſime expediam. Primum gratias ago de laudatione nominis mei in *Auguſto* ſane nimis auguſta! Pluſculum affectui tuo indulſiſſe videris. Sed ſic eſſe ſinamus: nemo ſerio & vero, ut ita dicam, vultu laudatus, iraſcitur. Ego tamen referire aliquando conabor, ut ſcias, cum quo tibi res ſit, & ſentias, memoremque & gratum eſſe fatearis. Mitto Curioſam Philoſophiam (a) Profeſſoris Metaphyſices in Univerſitate noſtra, *Caſpari* Knitte-

Aaa 5

(a) Nihil de hac *Philoſophia*, nec de *Theſibus curioſis*, *Acta* habent. Forte utrumque opus Academicæ magis Diſſertationis, quam integri libelli, formam habuit, ut ſic locus ei dari non potuerit in *Actis* noſtris.

Knittelii, tum Theſes alteras curioſas, cuius etiam Artem ſciendi ad Te pridem miſeram iterato, cum prius exemplum periiſſet in via. Addo aliquid de meo, videlicet Librum IV Miſcellaneorum de Sanctis Provinciarum noſtrarum. Liber eſt, ut vides, ad noſtræ religionis normam accommodatus, ſed tibi, Viro prudentiſſimo, etiam hæc placitura ſpero. Grato animo accipe, meque, ut cœpiſti, ama: nam, ſi ames, dignum me eſſe tuo amore putabo; & hic fructus eſt non parvus literatæ diligentiæ, a laudato viro, *Menckenio*, non laudari modo, ſed etiam amari. Vale. Pragæ, 10 Sept. 1682.

Heu! quod primum ſignificare oportuerat, *Matthæus Copilius*, Mathematicus Univerſitatis noſtræ præcellens, ante octo proximos dies, me adſtante, exſtinctus eſt. Illachrymatus ſum eius morti. Exceſſit magis, quam abiit, ex hac vita, tertio morbi die elatus. Morbum Medici nominare non poterant; dyſenteriam cum venenato quodam & incurabili ardore dyſenterico coniunctam fuiſſe, dicebant. Paullo ante mortem fuit memor Amicorum Lipſienſium, & ſe, cum convaluerit, (ita enim ſperabat,) ſcripturum dicebat; quod indicatum illis cuperem, adiuncta etiam a me reverenti ſalute.

INDEX

INDEX DISSERTATIONVM,

QVAE

VOLVMINIS SEXTI

PARTE QVARTA

CONTINENTVR:

I. CAROLI HENR. ZEIBICHII, P. P. de Coetibus illis, quos literis ſuis Apoſtoli Chriſti ſalutarunt, Diſſertatio. Pag. 577-588.

II. PETRI ZORNII Diſſertatio poſthuma de vera & genuina lectione ad *Romanos IX*, 5, adverſus Socinianos rite vindicata. 588-593.

III. IO. CHRISTOPH. HARENBERGII Continuatio quarta, eaque ultima, Supplementi in Hadriani Relandi librum de Urbibus & Vicis Palæſtinæ. 593-619.

IV. PAULI ERNESTI IABLONSKI Obſervatio de Cnepho, vel Cnuphi, Ægyptiorum, id eſt, agathodæmone. 619-649.

V. IOANNIS IACOBI REISKE Libellus Animadverſionum ad alteram editionem Burmannianam Petronii. *Pars IV*, quæ eſt ultima. 650-685.

VI. IO. SAL. SEMLERI, Salfelda-Thuringi, Vindiciæ aliquot Ciceronis locorum ab intentatis emendationibus; ubi ſimul manus gypſatiſſimæ relegantur. 686-695.

VII. FRID. OTTONIS MENCKENII Librorum, haud ita diu ab inventa arte typographica editorum, quibus ſuppleri poſſint Annales typographici Maittairiani, Decas quarta, eiusque prior Pars. 695-723.

VIII. Commercii epiſtolaris, quod OTTONI MENCKENIO olim cum BOHUSLAO BALBINO interceſſit, Specimina duo, nunc primum edita, cum Præfatione F. O. MENCKENII. 740-746

INDEX I.

DICTORUM SCRIPTURAE S. IN HOC VOLUMINE AUT EXPLICATORUM, AUT ILLUSTRATORUM:

Gen. I, 2. 70
14. 427
IV, 18. 403
XI, 2. 427
XII, 6. 434. 436
XIII, 4. 434
10. 223
XIV, 5. 412. 425
15. 427
XV, 18. 19. 215
XVI, 15. 441
XXII, 2. 4. 209
18. 17
XXVIII, 19. 613
XXX, 17. 423
XXXV, 37. 417
XXXVI, 34. 598
XLI, 45. 454
50. ibid.
56. 193
Exod. I, 11. 408
II, 10. 425
VI, 24. 190
VIII, 12. 486
XII, 30. 408
37. 408
42. ibid.
XIII, 17. 234
20. 423. 444
Exod. XV, 22. 445
27. 594
XVII, 1. 446
XIX, 5. 405. 406
XXIII, 31. 445
Lev. IX, 22. 12
XIII, 39. 7
56. 7
Num. X, 11. 229
XI, 3. 593
XIV, 25. 445
XXI, 3. 611
4. 445
10. 417
14. 445
XXII, 5. 227
XXIII, 28. 226
XXIV, 17. 432
XXX, 9. 594
XXXII, 31. 427
36. 200
42. 207
XXXIII, 216
8. 445. 446
10. 446
12. ibid.
21. 22. 414
602
42. 43. 417
Num. XXXIV, 5. 414
8. 433
9. 616
10. 11. 425
Deut. I, 1. 445. 606
II, 40. 445
8. 228
11. ibid.
14. 412
III, 11. ib.
15. ib.
XI, 29. 437
XXIII, 4. 227
XXXIV, 6 226
7. 7
Deut XLII, 4 ib.
Joſ. III, 16. 610. 617
XI, 17. 605
XII, 4. 412
24. 617
XIII, 3. 215
5. 605
19. 611
26. 411
27. 200. 610. 611

Joſ. XV, 8. 412
32. 443
37. 609
42. 602
XVIII, 16. 412
19. 616
XIX, 7. 603
29. 422
33. 609
36. 418
37. 231
41. 598
47. 219
XXI, 15. 393
XXIV, 32. 437
Judic. I, 9. 408
III, 20. 34
IV, 11. 609
XI, 5. 603
XII, 5. 617
XVIII, 27. 219
29. ib.
XX, 45. 415
47. ib.
XXI, 13. 415
1 Sam. III, 13. 6
VII, 12. 423
IX, 4. 420
423
XII, 7. 8
XIV, 4. 411
42. 440
XV, 7. 445
XVII, 1. 2. 441
40. ib.
50. ib.
XXII, 11 ſeq.
1 Sam. XXIII,
3. 425
19. 440
XXIV, 2. 594
XXVII, 8. 202
445
XXVIII, 4. 442
2 Sam. V, 24. 234
VII, 13. 42
16. ib.
VIII, 8. 432
19. 603
X, 6. 602
8. 432
441
XXI, 16. 412
18. ib.
XXIII, 13. ib.
26. 218
32. 423
XXIV, 6. 593
1 Reg. IV, 12. 610
617
24. 603
V, 4. 599
VII, 46. 610
1 Reg. VIII, 65. 215
IX, 9. 408
16. 599
XI, 26. 617
XIV, 17. 618
XV, 21. ib.
XVI, 6. ib.
8. ib.
XVII, 1. 599
4. 5. 205
6. 206
2 Reg. I, 2. 34
XI. 413
XIV, 25. 600
XV, 16. 599
29. 600
XVII, 24. 432
1 Chron. IV, 8. 190
V, 16. 422
XI, 8. 400
15. 412
XIV, 14. 234
XVIII, 3. 612
8. 602
2 Chron. VI, 42. 43
VII, 8. 215
VIII, 3. 612
4. 408 494
XXIV, 16. 617
Eſr. IV, 9. 432
Neh. III, 3. 609
XI, 33. 610
XII, 39. 609
XIII, 16. ib.
Job. IV, 1. 596
VI, 19. ib.
VII, 5. 269
VIII, 1. 443
XIV, 10. 269
XVII, 7. 7
XXII, 21. 403
Pſ. I. 442
V. 1 ſeq.
XX. 403
XXI, 13. 434
XXVII, 8. 2
XXIV, 5. 8
XL, 8. 48

Pſ.

Pſ. XLV, 8. 29
L, 1. 4
LII, 4-6. 3
LIII, 1. 4
LX, 1. 441
8. 434
LXXII, 10. 419
LXXIII, 8. 441
LXXVIII, 12.
408. 617
43. 617
LXXXIX, 4. 43
36, 37.
43 b.
56. 589
XCI, 6. 633
CV. 226
CX, 4. 43 b.
CXVIII, 22.
400
CXXXII, 11. 43
CXXXV, 4.
405
Prov. III, 10.
193
Eccl. III, 8. 405
Cant. II, 2. 422
IV, 25. 605
Eſ. III, 24. 6
IX, 5. 47
XV, 3. 44 b.
XVI, 7. 445
XIX, 18. 213
223
XX, 2. 445
XXII, 5. 213
XXV, 18. 445
XXVI, 14. 412
Eſ. XXVI. 14. 600
19. ib.
XXVII, 12. 216
14. 415
XXVIII, 11.
436
XXXV, 12. 596
XLII, 4. 7
XLIII, 3. 419
XLV, 14. ib.
XLVI, 1. 601
XLIX, 12. 439
LI, 3. 223
LX, 1. 404
9. 41
LXII, 12. 398
LXIII, 11. ib.
Jerem. VI, 20. 4 9
XVIII. 389
XIX. ibid.
2. 394
XXII, 14. 34
XXV, 15. 397
26. 432.
XXX. 25.
400.
XXXII. 391.
394
8. 392
10. 400
XLVIII, 5. 208
34. 617
XLIX, 16. 228
22. 445
LI, 41. 432
Thren. IV, 21. 615
Ez. XXI, 7. 7
XXIII, 31. 445
Ez. XXV, 13. 596
XXVI, 5-14.
608
XXVII, 13. 603
14. 601
17. 465
22. 408
XXVIII, 13.
223
XXIX, 10. 430.
438
14 226
XXX, 17. 203
16. 439
18. 593
XXXI, 8, 9. 223
16. ib.
18. ib.
XXXII, 26. 603
XXXVI, 36. ib.
XLV, 12. 171
XLVII, 5. 432
15 611
XLVII, 19.
594
XLVIII. 219
Dan. I, 2. 427
4. 2.
VI, 11. 34
VII, 13. 485
19. ib.
22. ib.
X, 4-6. 43 b.
Hoſ. VIII, 10. 398
XII, 13. 600
Joel. I, 17. 193
II, 3. 223
20. 445

Joel. IV, 18. 427
Amos. IV, 10. 8
VIII, 8. 216
IX, 7. 213
Obad. v. 19. 443
Jon. I, 3. 234
Mich. I, 11. 609
Nah. III, 19. 7
Hab. III, 11. 398
Zeph. I, 20. 609
III, 9. 434
Zach. II, 12. 13. 400
V, 11. 440
VI, 13. 48
IX, 6. 403
Mal. II, 7. 16
Job. I, 2. 599
1 Macc. V, 13. 606
37. 413
XI, 34. 412
2 Macc. I, 27. 581
XIII, 19. 618.
Matth. I, 18. 87
V. 18
VII, 633
X, 19. 20. 387
XI, 44. 193
XII, 17. 398
XVI, 13. 221
18. 402
XVII, 1. 221
XIX, 17. 636
XXI, 42. 400
45. 397
XXIV, 39. 192
XXVII, 8. 385
Matth. XXVIII, 16. 486
Marc. I, 23. 398
XIV, 61. 590
XVI, 7. 398
Luc. I, 8. 15. 16
14. 190
21. 15. 16
68. 590
III. 192
13. 269
XV, 7. 192
XVI, 29. 398
XXIV, 26. 39
46. ib.
50. 20
50. 51. 15
52. 11
Jo. I, 18. 15
IV, 4. 436
5. 438
22. 15
V, 17. 590
VII, 52. 600
VIII. 667
X, 30. 591
XIV, 10. 15
26. 387
XVI, 14, 15. 17
XVII, 6. 15
XIX, 7. 591
28. 206
30. 19
Act. I, 18. 399
II. 578
III, 24, 25. 18
26. 14
Act. III, 26. 17
X, 35. 269
42. ib.
XIII, 4. 431
34. 41
XVII, 31. 269
XX, 28. 400
Rom. I, 25. 591
III, 13. 9
IX, 5. 588
XI, 3. 580
XIII, 12. 81
XVI, 16. 402
1 Cor. I, 2. 402
II, 8. 401
IX, 25. 46
X, 16. 402
32. ib.
XI, 22. ib.
27. 401
XV, 9. 402
2 Cor. I. 402
3. 591
IV, 6. 15
XI, 31. 591
Gal. II, 7. 580
III, 13. 18
17. 48
IV, 2. 28. 486
4. 191
Eph. I, 3. 590
Col. I, 24. 402
1 Theſſ. II, 14. 402
2 Theſſ. I, 4. ib.
1 Tim. II, 5. 45
III, 5. 402
15. ib.

1 Tim. IV, 2. 7
2 Tim. III, 8. 388
IV, 7. 43
Tit. II, 14. 405
1 Pet. I, 10-12. 399
18. 404
II, 9. 405
2 Pet. III, 15. 388
1 Jo. I, 7. 401
Hebr. II, 17. 23 ſeq.
III, 17. 45
VI, 17. 42b.
VII, 20-22. 43b 481
26. 33
IX, 10. 28
12. 47
14. 401
26. 19
Hebr. XI, 3. 264
XII, 14. 403
Jud. v. 14, 15. 388
Apoc. I, 5. 39
III, 10. 634
14. 28
X, 1 ſeq. 42 b.
XVI, 14. 633
XVIII, 2. ib.
XIX, 10. 399

* * *

INDEX II

RERUM NOTABILIUM.

A.

Abſtemii (Laur.) Libri duo de quibuſdam locis obſcuris recenſiti. 718 ſeq.
vita & in literas merita. 724 ſeq.
Ex *Adiuratione* Judæorum Pontificali explicata fidi N. T. Pontificis appellatio, qua Chriſtus a Paulo inſignitur. 24 ſeq.
Ægyptii atheiſmi fautores. 237 ſeq.
Ægyptiorum Dii quales? 255 ſeq.
Athor, Phthas, Neitha, Cnephus, Dii deſcripti. 47 ſeq. 236 ſeq. 447 ſeq. 620 ſeq.
Æſopi Fabularum metrica interpretatio recenſita. 132.
Agathodæmon, vel bonus genius, Ægyptiis appellatus. 631 ſeq.
Agricolæ (Rud.) junioris, Carmina laudata. 563.
Alani Parabolæ recenſitæ. 132.
Aldi in Poetas Chriſtianos merita. 138 ſeq.
Angliæ ſtatus literarius qualis? 373.
Anima ex Ægyptiorum doctrina refunditur in ætherem. 241.
Antiquato ſermone utendi vitium exagitatum. 163 ſeq.
Apoſtolorum epiſtolæ variis aetibus inſcriptæ. 177 ſeq.

* * *

Aquilis leporem excitare, proverbium explicatum. 682.

Aretini (Leonh.) verſio Latina Xenophontis de vita tyrannica laudata. 731 ſeq.

Ariſtophanis locus emendatus. 197 ſeq.

— — Plutus a Petro Moſellano editus. 557 ſeq.

Athor, veterum Ægyptiorum Numen quale? 47 ſeq.

B.

Barbari (Franc.) de re uxoria libri quando primum editi? 337.

Benedictio diſcipulorum ſuorum, a Chriſto facta, ex antiquitate illuſtrata. 11 ſeq.

Beroaldi (Phil.) opuſculorum rarior editio deſcripta. 155 ſeq.

Bibliotheca Menckeniana libris vetuſtioribus dives. 119 ſeq.

Brugnoli (Bened.) vita & in literas merita deſcripta. 533 ſeq.

Burmanni (Petri) in Petronium notæ ſub criticum iudicium vocatæ. 63 ſeq. 272 ſeq. 650 ſeq.

C.

Camephis Ægyptiorum qualis Deus? 640 ſeq.

Capite aperto ambulare quid notet? 640 ſeq.

Catapygare quid notet? 682.

Catonis Diſtichorum editio vetuſtiſſima recenſita. 128 ſeq.

Cauti-

Cavei (Guil.) ad Ottonem Menckenium Epiſtolæ ſex editæ. 366 ſeq.
Cenſorini editio vetuſtior recenſita. 145.
De *Chalco* (Triſtano) ſingularia. 147.
Chriſti benedictio diſcipulorum ſuorum ex antiquitate illuſtrata. 11 ſeq.
Chriſtus quo ſenſu fidus N. T. Pontifex dicatur? 24 ſeq.
— — quomodo eccleſiam proprio ſanguine acquiſiverit? 401.
Ciceronis aliquot loca ab intentatis emendationibus vindicata. 686 ſeq.
Circummingere aliquem quid notet? 489.
De Clavaſſio (Angeli) Summa angelica recenſita. 121 ſeq.
— — mors in quem annum inciderit? 127.
Cnephus, vel Cnuphis, Ægyptiorum Deus. 620 ſeq.
Concordatorum nationis Germanicæ editio vetuſtior deſcripta. 327. ſeq.
— — variæ lectiones. 331 ſeq.
Craſſi (Chriſtoph.) ad Caſimirum, March. Brandenb. Oratio recenſita. 549 ſeq.

D.

Dantiſci (Jo.) Carmina varia deſcripta. 563 ſeq.

E.

Effluere vinum, pro effundere dictum 520 ſeq.

Eraſmi libellus de conſtructione octo partium orationis quando primum editus? 347.

Encomii Moriæ editio vetuſtior deſcripta. 350.

F.

Fabri (Ant.) in Plinii Hiſtoriæ naturalis Præfationem merita. 319 ſeq.

vita & ſcripta. 320.

Febriculoſus, vox, Latio aſſerta. 493 ſeq.

Fidei, vocis, vera vis & ſignificatio. 37.

Floretus, liber metricus, recenſitus. 132.

Fontii (Barthol.) Opuſcula recenſita. 696 ſeq.

vita & ſcripta. 703 ſeq.

G.

Gingiliphus quid ſit? 653.

Gypſatiſſimæ manus apud Ciceronem emendatæ. 687 ſeq.

H.

De *Herberſtein* (Sigiſmundi) laudes a variis decantatæ. 563 ſeq.

Heumannus (C. A.) modeſte refutatus. 686 ſeq.

Hieronymi, Forocornelienſis Comitis, laudes a Marſo deſcriptæ. 737 ſeq.

Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptorum editio Aldina recenſita. 553 ſeq.

Joſephus

I.

Ioſephus emendatus. 209 ſeq.

In *Julium II* P. M. Satira virulenta deſcripta. 340 ſeq.

Iuſtini editio Aldina recenſita. 567 ſeq.

L.

Libri, haud ita diu ab inventa arte typographica editi, recenſiti. 120 ſeq.

Lipſio verborum antiquorum uſus frequentior exprobratus. 171. 178.

Lividatus vox qualis? 306.

Luciani Hermotimus ab Obſopœo Latine redditus. 569.

Dialogi amatorii quatuor a Manſueto Latine verſi. 572.

M.

Maittairii (Mich.) Annales typographici locupletati. 120 ſeq.

Malcius nomen quale? 290 ſeq.

Manſueti (Chiliani) verſio Dialogorum amatoriorum Luciani laudata. 572.

Manus gypſatiſſimæ apud Ciceronem emendatæ. 687 ſeq.

Marſi (Petri). Oratio in funere Hieronymi, Forocorneliensis Comitis, recenſita. 736.

Martialis Xeniorum & Apophoretorum editio vetuſtior deſcripta. 308.

Carminum editio Aldina deſcripta. 562.

* * *

Matthæi Vindocinenſis Tobias recenſitus. 131
Mela (Pomp.) editio vetuſtior recenſita. 143
Menckenii (Frid. Ott.) Bibliotheca librorum vetuſtiorum ferax. 119 ſeq.
Menckenius (Jo. Burch.) laudatus. 370. 375.
Metzleri (Jo.) vita & in literas merita deſcripta. 573 ſeq.
Minerva Græcorum, eadem, quæ Ægyptiorum Neitha. 448 ſeq
Moralium Scriptorum octo editio vetuſtiſſima recenſita. 527.
Mors ultima num dici poſſit? 666.
Moſellani (Petri) in Ariſtophanis Plutum merita. 557 ſeq.
Münſterus hypobolimæus, liber, Scaligero vindicatus. 513 ſeq.

N.

Neitha, Ægyptorum Dea, eadem, quæ Græcis Minerva dicta. 448 ſeq.
Nilo olim nomen Cnuphis ab Ægyptiis inditum. 544 ſeq.
Nox inter præcipua olim gentium Numina locum habuit. 69 ſeq.
 ab Ægyptiis inprimis culta. 83 ſeq.
Numi, Chriſtum benedicentem ſuis diſcipulis repræſentantes, illuſtrati. 21.

O.

Obſopæi (Vinc.) ſtudium, vertendi Lucianum, commendatum. 569.

Oederni

Oederus (Ge. Lud.) modeſte refutatus. 26.
Ophir, regio Palæſtinæ, deſcripta. 203.
Oroſii editio vetuſtior deſcripta. 314 ſeq.
Oſtracinon, urbs Palæſtinæ, deſcripta. 211 ſeq.

P.

Palæſtinæ urbes & vici varii deſcripti. 199 ſeq; 406 ſeq.
Paneas, urbs Palæſtinæ, deſcripta. 218 ſeq.
Pelufii, urbis Palæſtinæ, antiquitates illuſtratæ. 223 ſeq.
Perotti (Nic.) Cornucopiæ a Brugnolo editum. 524 ſeq.
Petra, urbs Palæſtinæ, deſcripta. 228.
Petronii loca plurima emendata. 107 ſeq.
In *Petronii* editionem Burmannianam ſtricturæ. 93 ſeq. 272 ſeq. 610 ſeq.
Philadelphiæ antiquitates illuſtratæ. 230 ſeq.
Philelfi (Marii) Epiſtolare recenſitum. 133 ſeq.
Philoſophorum noſtri temporis barbara dicendi oratio per Satiram deriſa. 351 ſeq.
— perverſa docendi ratio notata. 570 ſeq.
Phthas, Ægyptiorum Deus, qualis? 261.
— nomen unde? 268 ſeq.
Piſcibus comparati Rhetores. 278 ſeq.
Pitom, locus Palæſtinæ, deſcriptus. 232 ſeq.
Plutarchi de liberorum educatione libellus a Metzlero Latine redditus. 573 ſeq.

* * *

Plutarchi locus emendatus. 652.
Poetarum Chriſtianorum editio Aldina deſcripta. 138 ſeq.
Pontifex N. T. fidus quo ſenſu Chriſtus a Paulo appelletur? 24 ſeq.
De Portis (Leonardi) de Seſtertiis, pecuniis, &c. antiquis editio vetuſtior deſcripta. 159 ſeq.
Pſalmi Davidici quinti critica explicatio. 1 ſeq.

R.

Raemſes, urbs Palæſtinæ, illuſtrata. 408.
Reiskii (Jo. Jac.) famæ ſuæ adverſus Belgas vindiciæ. 93 ſeq.
Ad *Relandi* (Adr.) Palæſtinam ſupplementa. 199 ſeq. 406 ſeq.
Rhetores piſcibus comparati. 278 ſeq.
Rhinocolura, urbs Palæſtinæ, deſcripta. 414.
Rimmon, urbs Palæſtinæ, illuſtrata. 416.
Romæ mirabilia integro libello deſcripta. 328 ſeq.

S.

Saba, monaſterium in Palæſtina. 418.
Sadoleti (Jac.) Oratio in promulgatione induciarum recenſita. 566 ſeq.
Schepham, locus Palæſtinæ, illuſtratus. 425.
Schlichterus (Chriſt. Lud.) modeſte refutatus, 44 ſeq.
Schoti (Jo) in Virgilii Æneida Notæ deſcriptæ. 151 ſeq.

* * *

Sherlocianorum opuſculorum notitia literaria. 367.
Sibyllæ poſſeſſio, locus Palæſtinæ. 433.
Sichem, urbs Palæſtinæ, illuſtrata. 434.
Sociniani refutati. 588 ſeq.
Ad *Stela* ſeſe facere, quid notet? 508 ſeq.
Stili formandi ratio præſcripta. 182 ſeq.
Sur, locus Palæſtinæ. 445.

T.

T*banneri* (Thomæ) inſtitutum, edendi Bibliothecam Britannicam, deſcriptum. 369.
Terebinthus, locus Palæſtinæ, deſcriptus. 596 ſeq.
Theoduli Carmen antiquum recenſitum. 130.
Theophili Brixiani Carmina deſcripta. 708 ſeq.
— vita. 717 ſeq.
Theſaurus, in agro abditus, qualis? 193 ſeq.
Thisbe, locus Palæſtinæ, qualis? 599 ſeq.
Tiraquellus (Andr.) editor librorum Franc. Barbari de re uxoria. 339.
Torrentini (Herm.) Commentarius in Virgilii Georgica deſcriptus. 149.
Tripolis, urbs Palæſtinæ, deſcripta. 604 ſeq.
Tyri antiquitates illuſtratæ. 607 ſeq.

V.

De V*adiani* (Joach.) ad Maximilianum Cæſ. Oratione ſingularia. 544 ſeq.
Venus Græcorum ab Ægyptiis Athor appellata. 50 ſeq.

Videre, verbi, vis notata. 678 ſeq.
Virgilii Georgicorum editio Torrentini recenſita. 149 ſeq.
Æneidos editio Schoti deſcripta. 151 ſeq.
Utz, patria Jobi, deſcripta. 615.
Vulcanus Græcorum idem, qui Ægyptiorum Phthas. 261 ſeq.

X.

Xenophontis liber de vita tyrannica a Leon. Aretino Latine redditus. 731 ſeq.

Z.

Zacagni Collectanea laudata. 371
Zur, urbs Palæſtinæ, deſcripta. 618.

In *ſexto* hoc *Miſcellaneorum Volumine* *pag.* 91 *lin.* 17 pro *vererantur* leg. *venerantur*; *pag.* 114 *lin* 2 pro *progredimur* leg. *progrediemur*; *pag.* 131 *lin.* 16 pro *Fabſicius* leg. *Fabricius*; *pag.* 340 *lin.* 2 pro *ipſo* leg. *ipſi*; *pag.* 341 *lin.* 19 pro *explicatam* leg. *exploratam*; *pag.* 342 *lin.* 22 pro *effictum* leg. *effictam*.

Errores typographici in *Elemento impoſſibilium*, quod locum occupavit in *Miſcell. Lipſ. Vol.* *V Parte IV pag.* 638-716, hi ſunt emendandi:

In

* * *

In *Præf. pag.* 661 a calce ſurſum lin. 7. pro *hæc* lege *hoc; pag.* 662 *lin.* 6 pro *tum* l. *cum;* in *tract. pag.* 663. §. 1. *n.* 2. *a. lin.* 2. pro (— *a n* × —

n n r r,

a) l. (— *a*) × (— *a*); §. 2. *lin.* 4. pro *a* r l. *a* r

r vn r n 2nr

item pro a r l. a r × ; *lin.* 5. pro a r l. a

2nr m

r n

pag. 664 *ead.* §. *n.* 2. *lin.* 4 & 5, pro a

m 1 1

n 2nμr 2n†r

l. (— *a*); §. 6. *pag.* 666. *lin.* 6. pro — a l. a

§. 9. *n.* (2) *lin.* 7. *p.* 668. pro *appellatur* l. *appelletur;*

1 1

m m

§. 10. *lin.* 5. *pag.* 669. pro — *a* l. — *a*; §. 18. *n.*

m m

m m

3. *lin.* 1. *pag.* 674. pro — √ *a* l. — √ — *a*; §. 19.

1 1

r n

lin. 2. *pag. ead.* pro √ l. √; *n.* 1. *lin. ult. ib.* pro

1 1 m m

m.m n m†mr o o

√ — a l. √ — *a*; §. 21. *pag.* 676. *A* pro √ l. √;

B. & *C.* inter 2 & 3um *terminum* pro, *l.* 1. *eſt enim*

— m — m — m

† 2 † 1 † 1

e. g. ſeriem B. &c. √ — *a.* √ — *a.* l. √ — *a* . . . .

m m

qr q r

§. 28. *lin.* 6. *pag.* 680. pro *a* √ lege bis *a* √; §. 31.

m mt

lin. 2. (*pag.* 681.) pro √ — *a* l. √ *a*; §. 32. *lin.* 1.

(*pag.*

* * *

(pag. ead.) pro *V*. l. *I*; 36. §. *lin. 1.* (*pag.* 664.) pro $a^{\frac{1}{v.2^n}}$ l. $a^{\frac{1}{2.v^n}}$; *p. eiuſd. lin. penult.* pro §. 7. l. §. 37; *eiuſdemque* §. *lin. penult.* (*p.* 683.) pro $\sqrt[\frac{2}{2}]{}$ l. $\sqrt[\frac{2}{2}]{}$; item *p. 686. a calce lin. 6.* pro *bc*. l. *bx*, & *l. 7. brb.* l. *bab*. §. 42. *lin. 3.* (*p.* 688.) pro $\times a^{\frac{1}{vm}}$ l. $\times a^{\frac{1}{vm}}$, pro $\sqrt[\frac{m+1}{1}]{}$ l. $\sqrt[\frac{mv}{m+1}]{}$; *Dem. lin. 4. pro* $-a^{\frac{1}{mr)v}}$ l. $-a^{\frac{1}{m+1}})$; *lin. 6.* pro $\sqrt[\frac{mv}{m+1}]{-1}\ \frac{1}{m+1}$ l. $\sqrt[\frac{mv}{m+1}]{-a^{\frac{1}{m+1}}}$; *lin. 8.* pro $\sqrt[m]{}$ l. $-\sqrt[m]{}$; *pag.* 689. *l. 1.* pro $-a^{\frac{1}{m+1}}$ l. $-a^{\frac{1}{m+1}}$; §. 44. *lin. 8. in fin.* pro $b^{\frac{1}{1}}$ l. $b.-^{\frac{2}{2}}$; *lin. 9.* pro $b\frac{2}{2}\frac{t}{u}\sqrt[u]{-1}$ l. $b\frac{t}{2u}\sqrt[\frac{u}{t}]{-1}$; *Dem. lin. 4.* (*p* 690.) *poſt u, m,* inſeratur *et*; §. 45. *lin. pen. & ult.* (*p.* 692.) pro *diſtracto* $a\sqrt{-a}$ l. $a\sqrt{-a^3}$; §. 46. *pag. 693 lin. pen.* pro $\pm a^2$ l. $\pm b^{\frac{1}{2}}$ *lin. antep.* pro $(a+b)^2$ l. $(a\pm b)^2$; *pag.* 694. *VI.* pro $\sqrt{-4}-16=$ l. $\sqrt{-4}-\sqrt{-16}=$; VIII. lin. *1.* pro $-\sqrt{-4}$, l. $-\sqrt{-4^3}$; *lin. 2.* pro $2\sqrt[7]{-1}$. l. $2\sqrt[7]{-1}$; *lin. ult.* (aut β *lin. 3.*) pro 9^a l. $9a$; *lin. pen.* pro $\sqrt{=a}$, l. $\sqrt{-a}$; *pag.* 695. *III.* pro $\sqrt{=a}$, l. $\sqrt{-a}$; *IV.* pro a^3bc^2, l. a^2bc^2; *V.* pro (14−4), l. (12−4); *Caſ. III. lin. 5.* pro $\sqrt{-a}\pm\sqrt{-b}$, l. $\sqrt[4]{-a}\pm\sqrt[2]{-b}$;

pag.

pag. 697. lin. pen. pro t l. 1 (unitatem); pag. 698. III. lin. 2. pro $\sqrt[4]{-ab.ac.bc}\sqrt[\frac{3}{4}]{-1}$, l. $\sqrt[4]{-ab.ac.bc}\sqrt[\frac{4}{3}]{-1}$; pro $\sqrt[\frac{3}{4}]{-}$ (in fine) l. $\sqrt[\frac{4}{3}]{-1} =$; lin. 3. initio pro $a^{\frac{1}{2}} b^{\frac{1}{2}} c^{\frac{1}{2}}$ l. $-a^{\frac{1}{2}} b^{\frac{1}{2}} c^{\frac{1}{2}}$; pro $\sqrt[\frac{4}{3}]{}$, l. $-\sqrt[\frac{4}{3}]{}$; V. pro $\sqrt{-3}\times -6$, l. $\sqrt{-3}\times\sqrt{-6}$; pag. 699. VI. lin. 2. pro $2\frac{3}{8}$, l. $2\frac{4}{8}$; §. 48. (p. 700.) II. pro $\sqrt{=a}$, l. $\sqrt{-a}$; lin. 5 pro $a^{\frac{3}{2}}\sqrt[\frac{2}{2}]{}$ l. $a^{\frac{3}{2}}\sqrt[\frac{2}{3}]{}$; (p. 701) V. pro $\sqrt{-c}$, l. $b\sqrt{-c}$, pro $\int$ l. $\sqrt{}$; §. 49. pag. 702. lin. 10. pro $b^{\frac{ft}{ga}\frac{mu}{rn}}\sqrt{-1}$, l. $-b^{\frac{ft}{ga}\frac{mu}{rn}}\sqrt{-1}$; I. pro $\sqrt[\frac{2}{2}]{-1}$ l. $\sqrt[\frac{2}{2}]{-1}$; lin. pen. pro $\sqrt{=a}$ l. $\sqrt{-a}$; lin. ult. pro $\sqrt[\frac{2}{2\cdot 2}]{}$ l. $\sqrt[\frac{2}{2-1}]{}$; II. (p. 703. ſic enim pro 704 poſt pag. 702 legendum) lin. 3. pro $\frac{1}{4}-\frac{1}{4}$ l. $(\frac{1}{4}-\frac{1}{4})$, & ſub finem pro $a^{\frac{1}{4}} c^{\frac{1}{4}}$ l. $a^{\frac{1}{4}} c^{\frac{1}{4}}\times$; V. pro $\sqrt{\ldots 2}\times\sqrt{\ldots 3}$ l. $\sqrt{-2}\times\sqrt{-3}$; VI. (p. 704.) lin. 1. pro $\sqrt[\frac{9}{2\cdot 1}]{-1}$ l. $\sqrt[\frac{8}{76}]{-1}$; VII. lin. 3. pro $24\frac{1}{6}$ l. $24\frac{1}{6}\times$; §. 52. p. 706. lin. pen. pro Rogn. l. Reyn. p. 707. lin. 5, 6, pro $\pm$ l. $\mp$; lin. 9. pro $-9+\frac{1}{2}9$ l. $-\frac{1}{2}9$; lin. 14 pro $\pm$ l. $+$; pag. 708. lin. 1. pro $+\frac{125}{27}$ l. $+-\frac{125}{27}$; lin. 3. $\frac{27}{27-125}$ l. $-\frac{27-125}{27}$ lin. 5, 7. pro $\frac{7^{\cdot 22}}{3^{\cdot 84}}$ l. $7^{\frac{22}{2\cdot 8}}_{3}$

lin.

* * *

pag. 708. *lin. antep.* pro $+ b: a^2 b^2$ l. $6\ a^2 b^2$; *p.* 709. *lin.* 3 *fin.* pro $3^2 b$ l. $3 a^2 + b$; *lin.* 4. pro $(a^2 - b^2)$ l. $(a^2 - b)$; *lin.* 7. poſt $+ b$ interpone, (*comma*); *lin.* 8. pro $\frac{7}{3} +$ l. $\frac{7}{3} =$; *lin.* 12, 13, pro $3, a^3$ l. $3 a^2$; *lin.* 15. pro 26 l. $2 b$; *p.* 710. *lin.* 1. pro $\sqrt{\frac{2}{1}}$ l. $\sqrt{\frac{2}{3}}$; *lin.* 2. pro $\frac{2}{3} + 1 \sqrt{}$ l. $\frac{2}{3} + 1 - \sqrt{}$; *lin.* 5. pro $\sqrt{\frac{2}{8}}$ l. $\frac{7}{3} \sqrt{-\frac{2}{3}}$; *lin.* 8. pro $\sqrt{} =$ l. $\sqrt{-\frac{2}{3}}$ *lin.* 6 *a calce* pro $\sqrt{-{}_3}$ l. $\sqrt{-\frac{2}{3}}$; *p.* 711 *lin.* 10. pro $\sqrt{}$ l. $\frac{7}{3} \sqrt{}$; *lin.* 15. pro $+ \frac{2}{3}$ l. $+ \frac{7}{3}$; *lin.* 17. pro $\frac{2}{5}$ l. $\frac{2}{3}$; *lin.* 18, 19, initio pone $=$ & pro $\frac{11}{3}$ l. $\frac{10}{3}$; *lin. antep. media* pro $1 - \sqrt{}$ l. $1 + \sqrt{}$; *lin. pen.* pro $\sqrt{-{}^2}$ l. $\sqrt{-\frac{2}{3}}$; *p.* 712. *a calce lin.* 9. pro $- q$ l. $- \frac{1}{2} q$; *lin. antep.* $\sqrt{)}\ 5$. l. $\sqrt{)} - 5$; *p.* 713. *a calce lin.* 8 & 14 adde $+ \sqrt{-a} + \sqrt{-a}$; *p.* 714. *lin.* 5. bis pro $=$ l. $-$; *lin.* 7. *pro* $x^{\frac{1}{2}}$ l. $2 x^{\frac{1}{2}}$ *a calce linea* 6. $+ 2 a^{\frac{1}{2}} x^{\frac{1}{2}} - a$ rite ſubſcribatur *lin.* 7. $- 2 a^{\frac{1}{2}} \sqrt{-1} - a$; *lin.* 8. *in fine* pro $\sqrt{-1} -$ l. $\sqrt{-1}$, ſeu dele $-$ *poſt* 1; *p.* 715. *lin.* 1. 2. 3. pro

$$\frac{\frac{\textit{Quot.}}{- x \sqrt{a x}}}{\sqrt{-x} \times \sqrt{-x}} \quad \text{l.} \quad \frac{\frac{\textit{Quot.}}{- x}\ \ \frac{}{\sqrt{a x}}}{\sqrt{-x}\ \ \sqrt{-x}}$$

lin. 4. pro $\times \sqrt{-a}$ l. $\times \sqrt{-x}$; *lin.* 5. pro $\sqrt{-x}$ l. $\sqrt{a x}$; *pag.* 716. *lin.* 7. pro $- x\ 2$ l. $- x - 2$; *lin.* 8. pro $- x\ 2$ l. $- x + 2$; *lin.* 13. pro $2 \sqrt{ax}$ *mendoe* l. $+ 2 \sqrt{ax}$ *mendoſe*; *a calce lin.* 5. pro $+ - a$ l. $+ \sqrt{-a}$.

6 ſ

$(a^2 -$

uma la

ſin, 5, x

pro $\frac{3}{5}$ +

lin. 1. p

$-\frac{2}{3}$

$+\frac{7}{3}$

& pro

$+\sqrt{}$

alec lin.

$\sqrt{)} - 5$

$+\sqrt{-}$

$\frac{1}{2}$ l. 2

e ſub

in ſine

lin. 1.

$\sqrt{-1}$

$x -$

$2\sqrt{}$

5. pri